Henry Wace

3 Pols
9/-

461

370
444

JOSEPHI FESSLER

QUONDAM EPISCOPI S. HIPPOLYTI

INSTITUTIONES PATROLOGIAE

QUAS

DENUO RECENSUIT, AUXIT, EDIDIT

BERNARDUS JUNGMANN

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon., Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol. in Universitate cath. Lovaniensi.

TOMUS I.

ALMA COLLEGE
208.091
LIBRARY
F425
Alma, California

OENIPONTE 1890.
SUMPTIBUS ET TYPIS FELICIANI RAUCH.
RATISBONAE, NEO EBORACI ET CINCINNATII
FR. PUSTET.

3387

APPROBATIO.

Tantum abest, ut in Opere, cui titulus: *Institutiones Patrologiae* auctore J. Fessler, quidpiam occurrat, quod a recta fidei morumque regula deflectat, ut tum ob eximiam hujus scientiae utilitatem, tum propter Auctoris eruditionem vastamque venerandae antiquitatis notitiam summopere commendari mereatur.

Datum in Consistorio Episcopali Brixinensi die 31. Julii 1850.

Dr. JOS. a BOHUSLAW,
Praeses Consistorii.

A. HUBER,
Secretar.

Opus quod inscribitur: *Josephi Fessler quondam Episcopi S. Hippolyti Institutiones Patrologiae, quas denuo recensuit, auxit, edidit Bernardus Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon., Philos. et S. Theol. Doct., in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord., Tom. I.,* ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, inprimi potest.

Datum Lovanii die 4. Novembris 1889.

J. B. Abbeloos, Rect. Univ.

Imprimatur.

Simon, Ep. Brixin.

Brixinae die 9. Januarii 1890.

L. B. S.

Novam editionem Institutionum Patrologiae Josephi Fessler eo praecipue scopo suscepi, ut Opus hoc egregium usui esse posset auditoribus Patrologiae in hac Universitate Lovaniensi. Quum vero inde a prima editione quadraginta fere effluxerint anni, non pauca addere necessarium fuit. Praesertim de iis quae Opera aetatis Apostolicae et vulgati Dionysii Areopagitae Scripta spectant, aliquanto fusius agendum esse videbatur. De hisce enim Operibus recenti tempore diligentius tractatum est, nova documenta reperta, variae quaestiones motae sunt. Porro quum, jam absolutis Seminariorum studiis, profundiori Theologiae scientiae Ecclesiastici hac in Universitate incumbere soleant, accuratius haec exponere conveniebat. Adjeci etiam in Parte generali harum Institutionum articulum de litterarum graecarum et latinarum in Scripta ss. Patrum influxu; notiones enim istas, experientia duce, ad studium ss. Patrum admodum utiles esse agnovi. — Ex altera vero parte ne in nimiam Opus excresceret molem, plura in breviorem formam contrahere oportuit. Vitas igitur plurium Patrum paucioribus digessi, argumenta quoque Operum passim brevius exposui; aliqua in Parte generali quoad auctoritatem et usum ss. Patrum, quae minus necessaria videbantur, ablegavi.

In hisce an omnium votis satisfecerim, nescio. Sed prima editione jam multis ex annis exhausta nemo tamen praeclari Operis novam recensionem et editionem parare videbatur. Dum igitur hanc provinciam suscepi, quae ad scopum propositum conducebant, uti opportunum erat praestare conatus sum.

B. J.

Lovanii die 3. Novembris a. 1889.

Ex Praefatione prioris editionis.[1])

Latissimum et paene immensum campum ingreditur, qui perlustrandis omnibus ss. Patrum libris animum adjicit. Laboris crescit moles, cum quis tot praestantissimorum Operum brevem conspectum aliis exhibere praesumit. In tanta igitur suscepti Operis amplitudine ac difficultate aequos et benignos judices licet exspectare, idque tanto magis, quanto sunt pauciores, qui in via ista facem praetulerunt. Attamen ut sciat Lector, quid me ad tale ac tantum Opus aggrediendum permoverit, quid assequi studuerim, paucis ista praefari visum est.

Studium ss. Patrum, in quorum libris thesaurus inexhaustus veritatis animum allicit, unde omnes disciplinae theologicae lumen acquirunt, a primis Theologiae annis erat mihi in votis. Sed partim defuit necessariorum copia librorum; partim incidi in libros supposititios, quibus sedulam navavi operam, donec aliquot post annos errorem deprehendi; partim difficultatibus haud exiguis in vero istorum librorum sensu assequendo impeditus haesi; nec potui reperire modici voluminis librum, qui praesidium satis aptum in hisce angustiis subministrasset. Etenim qui de ss. Patribus, eorum Operibus, editionibus, subsidiis scribere instituerunt, vel tot volumina implent, ut nonnisi paucissimis otium animusve sit, Opus tam late diffusum, quod 20 Tomos et amplius complectitur (Dupin,

[1]) Quae indolem Operis spectant opportunum visum est hoc loco exhibere; aliqua vero quae minus eo pertinent omisimus.

Ceillier), lingua insuper gallica exaratum, percurrere; vel tanta brevitate laborant, ut fere non reperiatur illic, nisi arida et jejuna titulorum enumeratio, quae lectorem fatigat taedioque afficit potius, quam instruit (Wilhelm, Schleichert, Tobenz, Goldwitzer, Busse, Annegarn etc.); vel si quando bonis auspiciis coepere (Lumper, Moehler, Permaneder), cum ad initia saeculi IV. pervenerunt, ubi immensum fere ss. Patrum pelagus aperitur, fato minus prospero cessarunt, ut Opus multorum votis expetitum remaneret imperfectum. Hinc desiderium enatum, ut integrum haberetur Opus, in quo omnia ss. Patrum Opera genuina brevi conspectu exhiberentur, editiones optimae et maxime recentiores, nec non subsidia ad ss. Patres facilius intelligendos indicarentur. . . . . .

Finis autem praecipuus, quem in isto labore mihi proposueram, is fuit: ut Theologis, sacerdotibus, et quibusvis ss. Patrum studiosis viam planam et facilem ad ss. Patrum lectionem sternerem eosque in isto negotio satis arduo quasi manu ducerem. Plura in hunc finem erant necessaria. Notio primum, quis s. Patris nomine veniat, determinanda, quippe cum confusio haud minima ea de re apud varios auctores obtineat. Ecclesiae porro catholicae vestigia secutus et Concilia oecumenica summorumque Pontificum decreta dogmatica perscrutatus, quidquid in eis reperi, in medium protuli, sicque totius Operis fundamenta posui. Quae deinceps de arte critica, de subsidiis, de usu ss. Patrum adjeci, unice ad finem istum practicum tendunt.

Singulos Patres ita pertractavi, ut fontes atque subsidia praecipua in fronte uniuscujusque collocarem, vitam describerem, Opera singillatim recenserem, doctrinae specimina subjicerem, editiones praestantissimas, praesertim recentiores, quae facilius comparari possent, accurate indicarem. Titulum Sancti nonnisi iis tribuendum censui, quos Ecclesia catholica in publicis monumentis, praesertim in Martyrologio Romano, eodem titulo decorandos judicavit. Vitam singulorum eatenus descripsi, quatenus inde Operum intelligentia pendebat, ita ut eorum occasio et

scopus pateret. Per se liquet, Vitas eorum Patrum, qui plurimas reliquerunt epistolas, fusiori calamo describendas fuisse, ut cujusvis Patris vita omnes ejusdem epistolas contineret ac veluti brevis quaedam Introductio ad eas legendas sufficeret. Opera singula non solum recensui, verum etiam argumentum uniuscujusque ordine logico exposui, ita tamen, ut magis allicerem, quam satiarem. Quotiescumque visum est necessarium, Operum authentiam et integritatem defendi; id quod praesertim in Patribus nonnullis saeculi IV. et V. multum negotii facessebat, Operisque augebat molem. Nonnullorum quippe Patrum editiones, ut s. Gregorii Nysseni, s. Cyrilli Alexandrini, s. Nili plurima desideranda relinquunt, adeo ut crisin singulorum fere Operum instituere et praestantissimorum Criticorum sententias exquirere necessarium fuerit. Unde factum est, ut priorum trium saeculorum Patres plerumque breviori tantum expositione absolvi possent, posteriores aliquando fusiori tractatione indigerent. Ordinem eum secutus sum, ut, quoad fieri licuit, materiae simul et temporis ratione habita magnis Ecclesiae Patribus ac praecipuis Doctoribus Patres minores atque Scriptores magis conspicuos pro eorum gravitate ac necessitudine subjungerem. Qui simile argumentum eodem ferme tempore prosecuti sunt, uno Capite junxi, singulisque Capitibus brevem conspectum praemisi, ut, in quo maxime illorum scripta versentur, statim ab initio appareat. Scriptores ecclesiasticos, qui in classem ss. Patrum referri haud poterant, plerumque in calce singulorum Capitum adjunxi, nonnunquam, ubi series historica id postulare videbatur, Patribus immiscui aut praemisi; vitam eorum et scripta paucis semper absolvi, doctrinae specimina nunquam adjeci. Scopus etenim principalis fuit, *Patres Ecclesiae* proponere, secundarius tantum, eos adjungere Scriptores, qui, licet ad cognoscendam Traditionem non sint testes omni fide digni, saltem ex parte notitiam doctrinae ecclesiasticae accuratiorem subministrare poterant. Excludere nolui, qui prodesse poterant, etsi principii propositi consequentia iisdem in Patrologia stricti

nominis locum negare debuisset. Tabula adjecta ss. Patres a meris Scriptoribus secernet. — Agmen ss. Patrum, quos ea ratione pertractandos sumsi, claudit s. Gregorius M. († a. 604), in quo terminum hujus Operis posui, cujus videlicet scopus primarius erat, fidem Ecclesiae traditam illustrare et confirmare, quem in finem scripta Patrum priorum sex aerae christianae saeculorum maxime inserviunt. Quodsi haec, quae prae manibus sunt, viris istarum rerum peritis desiderium excitaverint, ut Patres posterioris aetatis eadem ratione proponantur, Deus benignissimus (ut spero) et vires et otium dabit, ut prioribus posteriora apte succedant.

Editiones omnium Patrum adhibere mihi licuit praestantissimas, quas pro insigni sua humanitate benignissime mihi suppeditavit R. D. Joannes Parschaln, parochus in Lengmoos, qui inde a multis annis amplissimam Bibliothecam, rarissima quaevis et praestantissima ss. Patrum Opera complectentem, indefesso studio magnisque sumtibus instruxit. Pauca quaedam in Bibliothecis publicis, tam Austriacis, quam exteris nactus sum. Egregium inter subsidia locum obtinuit Collectio Conciliorum amplissima auctore J. D. Mansi, quam Celsissimus ac Reverendissimus Episcopus meus Bernardus Galura eo, quem nunquam satis laudare possum, benigno in me animo promtoque bona studia juvandi lubentissime praebuit. Praeter editiones praestantissimas alia quoque subsidia praesto fuerunt, ut C. Bellarminus, Labbeus, Nourry, Dupin, Tillemont, Ceillier, G. Cave, Cas. Oudin, J. A. Fabricius aliique recentiores. Hos ac inprimis editores Patrum doctissimos ex Congregatione s. Mauri frequenter secutus sum; ea siquidem est felix conditio posterorum, ut, quae alii ante ipsos recte sensere et bene dixere, in usus suos convertere et possint, et quodammodo debeant. Utrum nihilo secius nova quoque et propria addiderim, harum rerum periti aeque dijudicent. . . . .

Porro istud haudquaquam diffiteor, Opus hoc universum justos limites excessisse, quos observare oportebat, ut juxta finem ab origine praestitutum commode prae-

lectionibus publicis inserviret. Pars interim generalis tam arcte circumscripta est, ut praelectionibus inservire facile possit; idem fortassis valebit de prioribus tribus Capitibus Partis specialis, quae Patres primorum trium saeculorum exhibent; in posterioribus materia tam ampla exstitit, ut aequalitate servata Opus in nimiam creverit molem, quae ad usum quidem in scholis contrahi debet, Patrum tamen studiosis fortasse haud ingrata erit. Caeterum si aptum videbitur Opus, quod notitiam et lectionem ss. Patrum promoveat, haud magni erit laboris, illud in compendium redigere.

Tandem ut intimos animi sensus exprimam, qui Opus hocce in lucem editum subsequuntur, liceat mihi hic usurpare, quod a Patribus didici: „Videor mihi debitum hujus Operis, adjuvante Domino, reddidisse. Quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant; quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant.“ Haec autem, quae scripsi, „ut prosint, aut certe nihil obsint omnibus omnino, quorum in manus forte devenerint, et rogavi Deum et rogo; et spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quod ad hunc stylum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriae ostentationis accessi.“ „Si qua autem vitia mea perspicis (Lector benevole!), ignosce, eadem scilicet sinceritate dilectionis mihi optans medicinam, qua concedis et veniam.“[1]) Quae caritas monebit corrigenda, humilitas grato animo emendabit. Proficere in melius nunquam erubescam.

Sed maxime Ecclesiae catholicae, quae est columna et firmamentum veritatis, „quae in suis Episcopis summoque omnium capite Romano Pontifice successionem habet Apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam, quae nihil unquam potius habuit, quam ut praedicaret atque omni ope custodiret ac tueretur doctrinam ex Christi mandato ab Apostolis annunciatam, quae *Patrum testimoniis*

[1]) S. Augustin. De Civit. Dei lib. XXII. c. 30. n. 6. De utilit. credendi ad Honoratum n. 1. et epist. 187. n. 41.

scriptisque sapientissimis corroborata viguit vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum sacrique regiminis unitate refulget"[1]), judicium venerabundus exspecto, ejusque sententiam promtissime amplectar.

Ecclesiae huic, quam ceu veram Christi sponsam et omnium fidelium matrem, fidissimam veritatis custodem et gratiae coelestis organum agnosco, vires meas quantulascumque dicare statui; ejus incrementa ad majorem Dei gloriam et praesenti hoc Opere quaesivi et in omnibus laboribus meis semper quaeram Ipso juvante, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Philipp. 2, 13.).

Brixinae die 4. Octobris 1850.

---

[1]) Ita S. P. Pius IX. in Allocutione habita die 17. Decembris 1847.

„Qui Spiritu Dei aguntur, quaecumque pie, utpote a SS. Patribus ante sunt definita, recipiunt."

Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 334).

„Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod praedicant, praedico."

S. Augustin. contra Julian. lib. I. n. 20.

„Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia."

S. Vincentii Lirin. Commonit. C. XXIII.

INDEX

Operum atque Editionum, quae in his Patrologiae Institutionibus frequentius adhibentur.

Sancti Patres atque Scriptores Ecclesiastici.

Patrum Apostolicorum Opera gr. et lat. ed. Cotelerius (et Clericus). Amstelodami 1724. II. Voll. fol. ed. G. Jacobson. Oxonii 1840. II. Tomi in 8°. ed. F. X. Funk. Tubingae 1878—81. II. Tom. in 8°. Migne P. G. T. I.

S. Justini Martyris Opera omnia gr. et lat. nec non Tatiani Oratio ad Graecos etc. ed. Prudentius Maranus ex Congregat. S. Mauri. Venetiis 1747. fol. Migne P. G. T. VI.

S. Irenaei Opera gr. et lat. ed. Ren. Massuet ex Congr. S. Mauri. Venetiis 1734. II. Partes fol. Migne P. G. T. VII.

Tertulliani Opera omnia ed. Semler. Halae 1824—29. 6 Voll. in 8°. ed. Leopold. Lipsiae 1839—41. 4 Voll. in 8°. Migne P. L. T. I. II.

Clementis Alexandrini Opera omnia gr. et lat. ed. Potter. Venetiis 1757. II. Voll. fol. Migne P. G. T. VIII. IX.

Origenis Opera omnia gr. et lat. ed. Carol. et Vincent. de la Rue. Paris. 1733—59. IV. Voll. fol. Migne P. G. T. XI—XVII.

S. Hippolyti Opera omnia gr. et lat. ed. J. A. Fabricius. Hamburgi 1716—18. II. Voll. fol. Migne P. G. T. X.

S. Cypriani Opera omnia ed. Steph. Baluzius et Prud. Maranus. Paris. 1726 fol. (ed. Paris.) Venetiis 1758. fol. (ed. Venet.) ed. Oberthür. Wirceburgi 1782. II. Tomi in 8°. (quotiescunque paginae absque ullo additamento citantur, haec editio est intelligenda). Migne P. L. T. IV. ed. Hartel III. Tom. in 8° Vindobonae 1868—71.

S. Dionysii Alexandrini Opera omnia gr. et lat. ed. Simon de Magistris. Romae 1796 fol. Migne P. G. T. X. P. L. T. V.

S. Gregorii Thaumaturgi Opera omnia gr. et lat. ed. Ger. Vossius. Moguntiae 1604 in 4°. Migne P. G. T. X.

S. Athanasii M. Opera omnia gr. et lat. ed. Bern. Montfaucon (ex

Congregat. S. Mauri) et N. Giustiniani. Patavii 1777. III. Tomi in IV. Voll. fol. Migne P. G. T. XXV—XXVIII.

S. Cyrilli Hierosolymitani Opera omnia gr. et lat. ed. A. Touttée (ex Congregat. S. Mauri). Paris. 1720. fol. Migne P. G. T. XXIII.

S. Hilarii Pictaviensis Opera omnia ed. P. Coustant (ex Congregat. S. Mauri) et Scip. Maffei. Veronae 1730. II. Voll. fol. Migne P. L. T. IX. X.

S. Basilii Magni Opera omnia gr. et lat. ed. Jul. Garnerius (ex Congregat. S. Mauri). Paris. 1721—30. III. Voll. fol. Migne P. G. T. XXIX—XXXII.

S. Gregorii Nazianzeni Opera omnia gr. et lat. ed. Clemencet (ex Congregat. S. Mauri) et Caillau. Tomi II. fol. (Tomus I. Paris. 1778. Tomus II. Paris. 1840). Migne P. G. T. XXXV—XXXVIII.

S. Gregorii Nysseni Opera omnia gr. et lat. ed. Fronto Ducaeus S. J. Paris. 1638. III. Voll. fol. Migne P. G. T. XLIV—XLVI.

S. Epiphanii Opera omnia gr. et lat. ed. D. Petavius S. J. Paris 1622. Tomi II. fol. Migne P. G. T. XLI—XLIII.

S. Ambrosii Opera omnia ed. Maurin. Paris. 1686—90. Tomi II. fol. Migne P. L. T. XIV—XVII. ed. Ballerini Mediolani 1881—86. VI. T. in 4°.

S. Ephraem Syri Opera omnia syr. graec. et lat. ed. Jrs. et Steph Assemani. Romae 1732—46. VI Tomi fol. — Hymni et Sermones syr. et lat. ed. Th. Lamy Mechlin. 1882—90. III. T. in 4°.

S. Joannis Chrysostomi Opera omnia gr. et lat. ed B. Montfaucon (ex Congregat. S. Mauri). Paris. 1718—38. XIII. Voll. fol. — graece tantum ed. Savilius. Etonae 1612. VIII. Tomi fol. Migne P. G. T. XLVII—LXIV.

S. Hieronymi Opera omnia ed. D. Vallarsi. Veronae 1766—72. XI. Tomi in 4°. Migne P. L. T. XXII—XXX.

Gennadii liber de Scriptoribus Ecclesiasticis in S. Hieronymi Opp. edit. cit. P. II. col. 965—1016. Migne P. L. T. LVIII.

Rufini Aquilej. Opera omnia ed. D. Vallarsi. Veronae 1745. fol. Tomus I. (et unicus). Migne P. L. T. XXI.

Rufini Aquilej. Historia Ecclesiastica ed. P. Th. Cacciari. Romae 1740—41. II. Partes in 4°.

Sulpicii Severi Opera omnia ed. Hieronymus de Prato. Veronae 1741—54. Tomi II. in 4°. Migne P. L. T. XX.

Palladii Historia Lausiaca in Operib. J. Meursii ex recens. Lami. T. VIII. Florent. 1746. Migne P. G. T. XXXIV.

Palladii Dialogus de Vita S. Joannis Chrysostomi gr. et lat. ed. Bigot. Paris. 1680 in 4°. Migne P. G. T. XLVII.

Marii Mercatoris Opera omnia ed. Garnerius. Paris. 1673. II. Partes fol. (ed. Garn.) ed. Steph. Baluzius. Paris. 1684 in 8°. (ed. Baluz.) Migne P. L. T. XLV.

S. Augustini Opera omnia ex edit. Maurin. emendata et aucta. Paris. 1836—39. XI. Tomi in 8°. (ed. Paris.) item Venetiis 1797—1807.

XVIII. Tomi in 4°. (edit. Veneta tertia). Migne P. L. T. XXXII —XLVII.

S. Paulini Nolani Opera omnia ed. L. A. Muratorius. Veronae 1736. fol. Migne P. L. T. LXI.

A. Prudentii Carmina recensuit et explicavit Theod. Obbarius. Tubingae 1845 in 8°. Migne P. L. T. LIX—LX.

S. Cyrilli Alexandrini Opera omnia gr. et lat. ed. J. Aubertus. Paris. 1638. VI. Voll. fol. Migne P. G. LXVIII—LXXII.

Salviani Massil. et S. Vincentii Lirinensis Opera omnia ed. Steph. Baluzius. Pedeponti 1743 in 4°. Migne P. L. LIII. et L.

Theodoreti Cyrensis Opera omnia gr. et lat. ed. J. Sirmondi S. J. Paris. 1642. IV. Voll. fol. (ed. Paris.) cum Supplemento J. Garnerii (Tomus V. Paris. 1684) denuo ed. Schulze. Halae 1769 — 74. V. Tomi in 8°. Migne P. G. T. LXXX—LXXXIV.

S. Isidori Pelusiotae Opera gr. et lat. Paris. 1638. fol. Migne P. G. T. LXXIII.

Synesii Opera omnia gr. et lat. ed. D. Petavius S. J. Paris. 1640. fol. Migne P. G. T. LXVI.

S. Leonis Magni Opera omnia ed. Ballerini. Venetiis 1753—57. III. Tomi fol. Migne P. L. T. LIV—LX.

S. Petri Chrysologi Sermones ed. Sebastianus Pauli. Augustae Vindelic. 1758. fol. Migne P. L. T. LII.

S. Maximi Taurinensis Opera ed. Bruno Bruni. Romae 1784. fol. Migne P. L. T. LVII.

Joannis Cassiani Opera omnia cum Commentariis ed. Alardus Gazaeus. Atrebati 1628. fol. Migne P. L. T. XII—L.

S. Prosperi Aquitani Opera omnia. Paris. 1711. fol. Migne P. L. T. LI.

S. Fulgentii Ruspensis Opera omnia. Venetiis 1742 fol. Migne P. L. T. LXV.

Cassiodorii Opera omnia ed. Garet. (ex Congregat. S. Mauri). Venetiis 1729. II Tomi fol. Migne P. L. T. LXIX—LXX.

Venantii Fortunati Opera omnia ed. M. A. Lucchi Romae 1786—87. II. Partes in 4°. Migne P. L. T. LXXXVIII.

S. Joannis Climaci Opera omnia gr. et lat. ed. M. Rader S. J. Paris. 1633. fol. Migne P. G. T. LXXXVIII.

S. Gregorii Turonensis Opera omnia ed. Theod. Ruinart (ex Congregat. S. Mauri). Paris. 1699. fol. Migne P. L. T. LXXI.

S. Gregorii Magni Opera omnia ed. Dionys. Sammarthanus (ex Congregat. S. Mauri) et J. B. Galliciolli. Venetiis 1768—76. XVII. Tomi in 4°. Migne P. L T. LXXV—LXXIX.

S. Anastasii Sinaitae Ὁδηγος seu Dux viae adversus Acephalos gr. et lat. ed. J. Gretser S. J. Ingolstadii 1606 in 4°. Migne P. G. T. LXXXIX.

S. Anastasii Sinaitae Quaestiones et Responsiones gr. et lat. ed. J. Gretser S. J. Ingolstadii 1617 in 4°. Migne P. G. T. LXXXIX.

S. Isidorii Hispalensis Opera omnia ed. Faustinus Arevalus. Romae 1797—1803. VII Tomi in 4°. Migne P. L. T. LXXXI—LXXXIV.

S. Joannis Damasceni Opera omnia gr. et lat. ed. Mich. Le Quien. Venetiis 1748. II. Tomi fol. Migne P. G. T. XCIV—XCVI.

Photii Bibliotheca graece tantum ed. D. Hoeschel. Augustae Vindelic. 1601. fol. Migne P. G. T. CIII—CIV.

Suidae Lexicon gr. et lat. ed. Lud. Kusterus. Cantabrigiae 1705. III. Tomi fol. Migne P. G. T. CXVII.

Nicephori Callisti Historia Ecclesiastica gr et lat. ed. Fronto Ducaeus S. J. Paris. 1630. II. Tomi fol. Migne P. G. T. CXLV—CXLVII.

Chronicon Alexandrinum ed. M. Rader S. J. Monachii 1615. in 4°. Migne P. G. T. XCII.

Collectiones.

A. Gallandi Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum. Venetiis 1765—81. XIV. Voll. fol.

Magna Bibliotheca Veterum Patrum etc. Paris. 1644 (1654). XVII. Voll. fol.

Jac. Sirmondi Opera varia. Venetiis 1728. V. Tomi fol.

Historiae Ecclesiasticae Scriptores: Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, Philostorgius, et Theodoretus Lector gr. et lat. ed. Henr. Valesius. Augustae Taurinorum 1746—48. III Voll. fol.

Conciliorum nova et amplissima Collectio ed. J. Dom. Mansi. Florentiae et Venetiis 1759—98. XXXI. Voll. fol.

Conciliorum Collectio ed. J. Harduinus S. J. Paris. 1715. XII Tomi fol.

Pontificum Romanorum Epistolae genuinae. Ex recens. P. Coustantii ed. P. Coustant (Congr. S. Maur) T. I. fol. (unicus) Paris 1721. ed. Schoenemann. Tomus I. (et unicus) Göttingae 1796 in 8°.

Pontificum Roman. Epistolae a s. Hilaro usque ad Pelagium II. Tom. I. (a. S. Hilaro ad S. Hormisdam) ed. A. Thiel. Braunsberg 1868 in 8°.

Acta Martyrum sincera et genuina ex recens. Theod. Ruinart ed. Bern. Galura. Augustae Vindelic. 1802—3. III. Partes in 8°.

Steph. le Moyne Varia Sacra gr. et lat. Lugduni Batav. 1685. II. Tomi in 4°.

L. Zacagnii Collectanea Monumentorum veterum Ecclesiae graecae ac latinae. Romae 1698. Tomus I. (et unicus) in 4°.

J. B. Cotelerii Monumenta Ecclesiae Graecae. Paris. 1677. Tomi III. in 4°.

II. Canisii Thesaurus Monumentorum Ecclesiasticorum seu Lectiones antiquae ed. J. Basnage. Amstelodami 1725. IV. Voll. fol.

L. A. Muratorii Anecdota Graeca. Patavii 1709 in 4°.

L. A. Muratorii Anecdota ex Bibliothecae Ambrosianae Codd. Mediolani et Patavii 1697—1713. IV Tomi in 4°.

Ang. Maji Scriptorum Veterum Nova Collectio e Vaticanis Codd. edita. Romae 1831—38. X. Tomi in 4°. SS. Patrum Nova Bibliotheca. Romae 1852—54. VII Tomi in 4°.

J. P. Migne Patrologiae Cursus completus seu Bibliotheca universalis omnium SS. Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum. Series Latina Tomi CCXX. Series Graeca Tomi CLXII. in 8°. Paris 1844 sqq.

Subsidia quaedam praecipua.

Card. Rob. Bellarmini liber de Scriptoribus Ecclesiasticis. Accessit Dissertatio philologica et historica Phil. Labbe super iisdem Scriptoribus, cum Supplemento, in Opp. C. Bellarmini Tomo III. Venetiis 1728. fol.

Sixti Senensis Bibliotheca Sacra. Neapoli 1742. II. Voll. fol.

El. Dupin Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum. Parisiis et Coloniae Agrippinae 1692—93. III. Tomi in 4°.

El. Dupin Nouvelle Bibliothèque des Auteurs Ecclésiastiques. Paris et Amsterdam 1693—1715. XIX. Tomi in 4°. (Haec editio adhibita est, quotiescunque Dupin T. IV. et seqq. citatur).

Nourry Apparatus ad Bibliothecam maximam Veterum Patrum. Paris. 1703—15. II. Tomi fol.

Sprenger Thesaurus Rei patristicae. Wirceburgi 1784—92. III. Voll. in 4°.

Tillemont Mémoires pour servir à l'histoire Ecclésiastique des six premiers siècles. Venise 1732. XVI. Tomi in 4°.

R. Ceillier Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclesiatiques. Paris 1729—62. XXIII. Tomi in 4°. Ed. 2. Paris 1858—65. XV. Tomi in 4°.

G. Lumper Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina SS. Patrum. Augustae Vindelic. 1783—99. XIII. Partes in 8°.

J. A. Möhler Patrologie oder christliche Literärgeschichte, herausgegeben von F. X. Reithmayr. I. Bd. Regensburg 1840.

Jos. Nirschl Patrologie und Patristik. 3 Bde. Mainz 1881—85.

Cas. Oudin Commentarius de Scriptoribus Ecclesiae antiquis. Lipsiae 1722. III Tomi. fol.

G. Cave Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria. Basileae 1741—45. II. Voll. fol.

J. A. Fabricii Bibliotheca Graeca cur. G. Ch. Harles. Hamburgi 1790—1809. XII. Voll. in 4°. (ed. Harl. seu ed. nova).

J. A. Fabricii Bibliotheca latina. Venetiis 1728. II Tomi in 4°.

J. A. Fabricii Bibliotheca latina mediae et infimae latinitatis ed. J. Dom. Mansi. Patavii 1754. VI. Tomi in 4°.

C. T. G. Schoenemann Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum. Lipsiae 1792—94. II. Tomi in 8°.

J. G. Walchii Bibliotheca patristica. Editio nova emendata et aucta ab J. T. L. Danzio. Jenae 1834 in 8°.

Danz, Initia doctrinae patristicae. Jenae 1839 in 8°.
J. Chr. Fel. Bähr: Die christlichen Dichter und Geschichtschreiber Roms Karlsruhe 1836. (Bähr I. Bd.) 2. Aufl 1872.
J. Chr. F. Bähr: Die christlich-römische Theologie. Karlsruhe 1837. (Bähr II. Bd.)

Martyrologium Romanum. Editio a S. P. Benedicto XIV. aucta et castigata. Venetiis 1751 in 4°.
Acta Sanctorum, ex Latinis et Graecis aliarumque Gentium monumentis collecta, Commentariisque et Observationibus illustrata a J. Bollando S. J. aliisque ejusdem Societatis viris doctis. Antverpiae Venetiis et Bruxellis 1643—1888. LX. Tom. in fol.
Card. C. Baronii Annales Ecclesiastici. Moguntiae 1601—3. XII. Tomi fol.
Fr. A. Pagi Critica historico-chronologica in universos Annales Ecclesiasticos C. Baronii. Antverpiae 1727. IV. Voll. fol.
Fr. Pagi Breviarium histor. chronolog. criticum, illustriora Romanorum Pontificum Gesta etc. complectens Tomus I. Antverpiae 1717 in 4°.
Natalis Alexandri Historia Ecclesiastica, opera et studio Constantini Roncaglia cum J. Dom. Mansi Adnotationibus. Ferrariae (Venetiis) 1758—78. X. Tomi fol.
Anastasius Bibliothecarius de Vitis Romanorum Pontificum cum Notis ed. Blanchini. Romae 1718—28. III. Tomi fol.
Le Liber Pontificalis, Texte, Introduction et Commentaire ed. L. Duchesne. Paris 1886 sqq.
Mich. Le Quien Oriens Christianus. Paris. 1740. III. Tomi fol.
Steph. Morcelli Africa Christiana. Brixiae 1816—17. III. Voll. fol.
C. Norisii Historia Pelagiana cum Observationibus Fratrum Ballerin. ed. J. L. Berti in C. Norisii Opp. Bassani (Venetiis) 1769. T. I. fol.
J. Fontanini Historiae literariae Aquilejensis libri V. Romae 1742 in 4°.
J. Mabillon Tractatus de Studiis monasticis. Editio Veneta tertia. Venetiis 1770. III. Voll. in 4°.
Honorati a S. Maria Animadversiones in regulas et usum Critices. Venetiis 1751. III. Tomi in 4°.
J. Bruckeri Historia critica Philosophiae. Lipsiae 1742—67. VI. Voll. in 4°.
Codex Theodosianus ed. Ritter. Lipsiae 1736—43. VI. Tomi fol.
(Natalis Argonnensis) De optima methodo legendorum Ecclesiae Patrum. Augustae Vindelic. 1756 in 8°.
L. A. Muratorii De ingeniorum moderatione in religionis negotio. Augustae Vindelic. 1779 in 8°.

PROSPECTUS

eorum, quae Tomo I. Institutionum Patrologiae continentur.

PROLEGOMENA.

	Pagina
§. 1. Patrologiae notio et munus	1
§. 2. Patrologiae necessitas et utilitas	2
§. 3. Brevis historia litteraria hujus disciplinae theologicae	3
§. 4. Conspectus hujus Operis	13

PATROLOGIAE PARS GENERALIS.

Caput I.

De notione et auctoritate SS. Patrum.

§. 5. Christus	15
§. 6. Ecclesia	16
§. 7. Principium fidei	17
§. 8. Modi, quibus doctrina Christi propagatur in Ecclesia	23
§. 9. Diversae Scriptorum Ecclesiae species	26
§. 10. Sancti Patres	27
§. 11. SS. Patrum notae	31
§. 12. Criteria, quibus dignoscuntur Sancti Patres	35
§. 13. Doctores Ecclesiae	38
§. 14. De auctoritate SS. Patrum universim spectata	41
§. 15. De auctoritate SS. Patrum quoad quasdam disciplinas	47
§. 16. Solutio objectionum contra SS. Patrum auctoritatem	53

Pagina

Caput II.

De Arte Critica.

§. 17. Notio et necessitas artis Criticae in Patrologia 57
§. 18. Basis artis Criticae 60
§. 19. Causae suppositionis et corruptionis Operum SS. Patrum . 63
§. 20. Principia artis Criticae positiva 68
§. 21. Principia artis Criticae negativa 71
§. 22. Regulae praecipuae in usu artis Criticae observandae . . 77

Caput III.

De subsidiis ad recte intelligendos SS. Patres.

§. 23. Causae obscuritatis et difficultatis in lectione SS. Patrum . 81
§. 24. De peritia in variis linguis ac disciplinis requisita . . . 83
§. 25. De litterarum graecarum et latinarum in Scripta SS. Patrum influxu 88
§. 26. De praestantissimis editionibus Operum SS. Patrum . . . 95
§. 27. De Collectionibus Operum SS. Patrum 100

Caput IV.

De usu Sanctorum Patrum.

§. 28. De usu SS. Patrum generatim 106
§. 29. De usu SS. Patrum quoad Dogmaticam et Moralem . . . 107
§. 30. De usu SS. Patrum quoad studium s. Scripturae et quoad eloquentiam sacram 112

PATROLOGIAE PARS SPECIALIS.

§. 31. Distributio Operis 119

Caput I.

De Patribus Apostolicis.

§. 32. De Patribus Apostolicis ac de charactere Operum ab illis exaratorum generatim 119

Pagina
§. 33. S. Clemens Romanus 122
§. 34. S. Clementis Romani Epistola ad Corinthios 123
§. 35. S. Clementis Romani Opera dubia 137
§. 36. S. Ignatius Martyr 145
§. 37. S. Ignatii Scripta 147
§. 38. S. Polycarpus ejusque Epistola ad Philippenses 159
§. 39. De Martyrio s. Polycarpi 164
§. 41. Epistola s. Barnabae tributa 169
§. 42. Argumentum hujus Epistolae 177
§. 43. De Hermae Pastore 178
§. 44. Argumentum hujus Operis 184
§. 45. Doctrina duodecim Apostolorum 190
§. 46. Epistola ad Diognetem 198
§. 47. S. Papias 205

Caput II.

De Saeculi II. Apologetis et Patribus qui Apostolorum aetatem non attingunt.

§. 48. Conspectus generalis et character eorundem 208
§. 49. S. Justinus Philosophus et Martyr 211
§. 50. S. Justini Apologiae duae 215
§. 51. Dialogus cum Tryphone 221
§. 52. S. Justini Opera dubia 224
§. 53. S. Justini M. doctrina et character 226
§. 54. Apologetae alii Saeculi II. quorum Opera exstant 230
Tatianus 230
Athenagoras 232
S. Theophilus Antiochenus 234
Hermias 235
§. 55. Alii hujus aetatis Apologetae quorum opera interierunt . . 235
S. Quadratus 235
S. Aristides Atheniensis 236
S. Melito Sardensis 237
S. Claudius Apollinaris 239
Miltiades et Aristo Pellaeus 240
§. 56. S. Irenaeus 240
§. 57. S. Irenaei Libri quinque contra Haereses 244
§. 58. Argumentum Operis s. Irenaei contra Haereses 246
§. 59. S. Irenaei doctrina et character 250
§. 60. Reliqui insigniores Saeculi II. Scriptores 256
S. Dionysius Corinthius 256

Pagina
Philippus Gortinensis; Pinytus Cretensis; Agrippa Castor 257
Modestus; Musanus; Rhodon; Maximus; Serapion; Apollonii duo 258
S. Victor; Palmas; Bachyllus; Theophilus Caesariensis . 259
Hegesippus 260

Caput III.

De Patribus Saeculi III.

§. 61. Conspectus hujus aevi et character Scriptorum generatim . 261
§. 62. Tertullianus 264
§. 63. Continuatio Tertulliani 269
§. 64. Clemens Alexandrinus 277
§. 65. Origenes. Ejus Vita 282
§. 66. Origenis Opera 286
§. 67. S. Hippolytus 292
§. 68. S. Cyprianus. Ejus Vita 300
§. 69. Novatiani schisma et haeresis 304
§. 70. S. Cypriani agendi ratio erga lapsos. Novati ac Felicissimi schisma 307
§. 71. Controversia de baptismi extra Ecclesiam collati validitate. S. Cypriani mors 311
§. 72. Opera S. Cypriani. A. Epistolae 315
§. 73. B. Opuscula sive Tractatus S. Cypriani I. Adversus Gentiles et Judaeos 321
§. 74. II. S. Cypriani Tractatus morales, qui ab externis ejus vitae circumstantiis dependent 323
§. 75. III. Reliqui S. Cypriani Tractatus morales. IV. Opera dubia 326
§. 76. Character et doctrina S. Cypriani 330
§. 77. S. Dionysius Alexandrinus 334
§. 78. S. Dionysii Alexandrini Scripta 337
§. 79. S. Gregorius Thaumaturgus 342
§. 80. S. Methodius 347
§. 81. Alii Patres Saeculi III. 353
S. Anatolius Alex.; S. Archelaus 353
S. Petrus Alexandrinus 354
§. 82. Celebriores Saeculi III. et ineuntis IV. Scriptores Ecclesiastici 355
Cajus 355
Julius African. 356
S. Victorinus Petavion. 357
Minucius Felix 358
Commodianus 359

Pagina
Antonius Monachus 360
Alexander Hieros.; Malchion Antioch. 361
Theonas; Pierius; Theognostus; Phileas 362
Lactantius 364
Firmicus Maternus 366

Caput IV.

De SS. Patribus, qui maxime divinitatem Filii et Spiritus S. saeculo IV. illustrarunt et defenderunt.

§. 83. Conspectus et character hujus aevi 366
§. 84. Continuatio 370

Sectio I.

§. 85. Eusebius Caesariensis Episcopus. Ejus Vita 375
§. 86. Opera Eusebii Caesariensis historica et exegetica 380
§. 87. Eusebii Caesariensis Opera apologetica, polemica et dogmatica 386
§. 88. S. Athanasius Magnus. Ejus Vita 392
§. 89. S. Athanasii Opera. I Opera apologetica et dogmatica . . 399
II. Opera historica 412
III. Opera exegetica et moralia S. Athanasii 419
§. 90. Character et doctrina S. Athanasii Magni 423
§. 91. Eustathius Antiochenus 427
§. 92. S. Cyrillus Hierosolymitamus. Ejus Vita 431
§. 93. Scripta S. Cyrilli Hierosolymitani 436
§. 94. Character et doctrina S. Cyrilli Hierosolymitani 444
§. 95. S. Hilarius Pictaviensis. Ejus Vita 449
§. 96. S. Hilarii Pictav. Scripta. A. Opera dogmatico-polemica . 458
§. 97. B. Opera exegetica S. Hilarii Pictaviensis 467
§. 98. Character et doctrina S. Hilarii Pictaviensis 472
§. 99. Alii Scriptores Ecclesiastici hoc aevo celebriores 478
Rheticius; Juvencus 478
Eusebius Vercellensis 479
Lucifer Calaritanus 481
S. Phoebadius 484
Victorinus Afer 485
S. Antonius Magnus 488
S. Pachomius; Isaias; Orsiesius; Serapion Thmuiensis; Titus Bostrensis 489
Macarius Magnes 490

Pagina

Sectio II.

§. 100. S. Basilius Magnus. Ejus Vita usque ad Episcopatum . . 491
§. 101. S. Basilii Episcopatus 496
§. 102. S. Basilii Scripta. A. Opera dogmatica et exegetica . . 507
§. 103. S. Basilii Scripta. B. Ascetica, Homiliae, Epistolae . . 512
§. 104. S. Basilii Scripta. Opera dubia, deperdita, spuria . . . 521
§. 105. Character et doctrina S. Basilii 527
§. 106. S. Gregorius Nazianzenus. Vita ejus usque ad Episcopatum 532
§. 107. S. Gregorius Nazianzenus. Vita ejus inde ab Episcopatu . 538
§. 108. Opera S. Gregorii Nazianzeni. — Orationes 547
§. 109. Opera S. Gregorii Nazianzeni. — Epistolae et Poëmata . 554
§. 110. Character et doctrina S. Gregorii Nazianzeni 559
§. 111. S. Gregorius Nyssenus. Ejus Vita 565
§. 112. Scripta S. Gregorii Nysseni. — Opera dogmatica et exegetica 569
§. 113. Opera S. Gregorii Nysseni. — Moralia et Ascetica . . . 584
§. 114. S. Gregorii Nysseni character et doctrina 595
§. 115. S. Amphilochius Iconiensis Episcopus 600
§. 116. S. Epiphanius. Ejus Vita 605
§. 117. Scripta S. Epiphanii. — Opera dogmatica 611
§. 118. Scripta S. Epiphanii. — Opera exegetica et alia 615
§. 119. Character et doctrina S. Epiphanii 618
§. 120. Scriptores praecipui graeci hujus aetatis 623
Asterius Amasenus 623
Macarius Senior 625
Macarius Alexandrinus 627
Evagrius Ponticus 628
Didymus Alexandrinus 631
Hieronymus theologus 633
Nemesius Emesenus 634
§. 121. De Scriptis vulgati Dionysii Areopagitae 635
§. 122. De Auctore Operum quae sub nomine Dionysii Areopagitae exstant 639

Sectio III.

§. 123. S. Ambrosius. — Ejus Vita usque ad susceptum Episcopatum 655
§. 124. S. Ambrosii Episcopatus 658
§. 125. Opera S. Ambrosii. — Opera dogmatica et exegetica . . 665
§. 126. Opera S. Ambrosii. — Moralia, Sermones, Epistolae, Hymni 680
§. 127. S. Ambrosii Opera dubia et spuria 692
§. 128. Character et doctrina S. Ambrosii 697
§. 129. S. Damasus et S. Syricius Pontifices Romani 705
§. 130. S. Philastrius Brixiensis et S. Zeno Veronensis 710
Addenda 716

Institutiones Patrologiae.

INSTITUTIONES PATROLOGIÆ.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Patrologiae notio et munus.

Patrologiae notio.

Patrologia est scientia exhibens ea, quae requiruntur ad sanctorum Patrum rectum in Theologia usum. Oportet autem ab ea distinguere Patristicam et Historiam litterariam scriptorum Christianorum. *Patristica* enim, juxta usum loquendi hodie receptum, est disciplina theologica, quae ex scriptis ss. Patrum eruit, quae ad fidem, moresque et disciplinam spectant, eaque in justum redigit ordinem. *Historia* autem *litteraria scriptorum Christianorum* est historia, qua omnium, vel saltem praecipuorum quotquot inde ab initio ad nostram usque aetatem extitere nomine Christiano insigniti, Scriptorum vitae et opera exhibentur.

Patrologiae itaque munus est exhibere ea, quae requiruntur ad ss. Patrum rectum in Theologia usum. Ad hunc porro requiritur, ut sciamus, quanta sit eorum in quaestionibus theologicis auctoritas, qua ratione opera genuina a dubiis et spuriis tuto discernere liceat, quae in

lectione et usu ss. Patrum, tironibus praecipue, obviae esse soleant difficultates, et quae media praesto sint ad hasce difficultates removendas atque solvendas; postremo quae regulae adhibendae ad rectum et facilem ss. Patrum in Theologia usum.

Et haec quidem in genere de ss. Patribus universim acceptis erunt pertractanda. Tum vero oportet singulos ss. Patres percensere, eorumque Vitam enarrare, quatenus inde eorumdem operibus rite intelligendis lux necessaria affulgeat; eorum denique opera ac cujuslibet scripti scopum et argumentum singillatim indigitare, ut studiosus lector in istud sanctuarium sensim quasi manu inducatur; quo fiet, ut palato sic delinito, quae sibi magis arrident ac conducunt, ipse deinceps sibi comparet et pleniori haustu iterum iterumque imbibat. Haec itaque potissimum sunt, quae Patrologia praestare debet, ut munere suo rite perfungatur.

§. 2.

Patrologiae necessitas et utilitas.

Patrologiae utilitas.

Quum in omni artium et scientiarum genere, ubi proficere velimus, viros in singulis disciplinis praestantissimos adire et consulere necesse sit, ita ut medici Hippocratem et Galenum, philosophi Platonem et Aristotelem sedulo evolvant, tum certe etiam Theologi ss. Patres haud minori loco habeant oportet.

Traditio in Ecclesia Catholica fons est praecipuus veritatis a Christo revelatae; ss. Patres autem testes sunt omni fide digni istius Traditionis, ut qui non solum *fidem a Patribus per manus traditam*[1]) fideliter ad posteros transmiserunt, sed et omni argumentorum genere munierunt; hos itaque adire et audire oportet.

S. Scriptura pariter fons est veritatis a Christo revelatae[2]), sed nonnisi *Scriptura recte intellecta*, quam nobis

[1]) S. Athanas. de Decret. Nicaen. Synodi n. 27.

[2]) Quum ipsa Ecclesia Catholica „*omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti*, nec non *traditiones* pari pietatis affectu ac reve-

ss. Patres egregie exposuerunt. „Etenim si Dialecticam scire voluero, aut philosophorum dogmata, et scientiam Scripturarum, nequaquam simplices Ecclesiae viros interrogare debeo, sed eos, qui artem didicere ab artifice, et in lege Domini meditantur die ac nocte“[1]), quod praecipue de ss. Ecclesiae Patribus valet; quin et ipsa Ecclesia Catholica in s. Scriptura interpretanda ad ss. Patres nos ablegat.

Quodsi denique „Christianae modestiae et gravitatis proprium est, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare“, ita ut semper „retenta sit antiquitas, explosa novitas“, si porro „nihil aliud ratio pietatis admittit, nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta sunt, eadem fide filiis consignentur“, propterea quod „mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet“[2]); si Christus ipse „vetustate roboravit religionem“[3]), hanc utique vetustatem summi facere et presso vestigio sequi oportet, quam nobis soli puram et integram exhibent ss. Patres.

Quum ergo ss. Patrum studium et usus tot nobis commendetur titulis, illud autem absque Patrologia, quae est veluti manuductio tironis ad lectionem assiduam rectumque usum ss. Patrum in Theologia, vix vel omnino non recta institui ratione et ad optatum possit pertingere finem, patet, Patrologiam apprime utilem, imo plane necessariam esse ad Theologiae studium, prout convenit, absolvendum.

§. 3.

Brevis historia litteraria hujus disciplinae.

Patrologia sensu stricto accepta nonnisi saeculo decimo octavo veluti specialis disciplina theologica constituta

---

rentia suscipit“, atque tum ex his, tum ex istis testimonia ac praesidia confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus apta repetit, (Concil. Trident. Sess. IV; Concil. Vatican. Constit. de Fide Cap. II.), utrumque certe fontem veritatis revelatae appellare licet.

[1]) S. Hieronym. ep. 119. n. 11. [2]) S. Vincent. Lirin. Commonit. c. 6.
[3]) S. Augustin. de utilit. credendi. n 32.

Historia litteraria Patrologiae.

est. Anteriores videlicet auctores qui de ss. Patrum scriptorumve ecclesiasticorum vita et scriptis egerunt, potius historiam litterariam Scriptorum Christianorum concinnaverunt, vel peculiares quasdam de ss. Patribus quaestiones tractarunt. Opportunum tamen videtur in commodum lectorum quae huc pertinent brevi compendio colligere.

Antiqui.

Jam Eusebius Caesariensis in sua Historia ecclesiastica eorum qui ante ipsum floruerunt opera diligenter recensuit, ac de vita scriptorum varia tradidit. Dein s. Hieronymus auctorum Christianorum catalogum, cui titulum fecit: *De Scriptoribus ecclesiasticis* seu *de viris illustribus*[1]) data opera scripsit, in quo usque ad finem saeculi III Eusebium fere secutus, abhinc usque ad finem saeculi IV scripta Eusebio recentiora addidit. Post ipsum *Gennadius Massiliensis*, qui floruit circa finem saeculi V, similiter Hieronymo recentiora ad sua usque tempora deduxit. Continuavit historiam Scriptorum ecclesiasticorum usque ad a. 610 *s. Isidorus Hispalensis* (m. a. 636), quem in hoc indice texendo exceperunt *s. Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus* (m. a. 667) et aliquot illius aetatis auctores minoris famae ac nominis. — In Oriente porro, ad finem vergente saeculo IX *Photius*, pseudopatriarcha Constantinopolitanus, vir eruditissimus, in sua *Bibliotheca* plurimorum veterum Patrum opera recensuit; argumenta brevi conspectu exhibet judiciumque suum de iis interponit.[2])

Medium aevum.

Decurrente medio aevo in Occidente paucos invenimus auctores, qui anteriorum labores hac in re prosecuti sunt. — *Sigebertus Gemblacensis* (m. a. 1112) duos scripsit *de viris illustribus* libros; eodem fere tempore *Honorius Augustodunensis* (m. a. 1130), vel alius illius aetatis auctor, opusculum *de luminaribus Ecclesiae* confecit. Sigeberti Gemblacensis libros continuavit saeculo XIII ad finem vergente *Henricus Gandavensis* (m. a. 1293) suo *de viris*

[1]) Ita ipse Hieronymus nos docet ep 112. n. 3.

[2]) Photii *Μυριόβιβλον*, sive *Bibliotheca*, in qua 280 Veterum codices excerpti et dijudicati leguntur, primum edita est graece a Dav. Hoeschelio Augustae 1601; post vero pluries graece ac latine. Exstat ap. Migne, Patrol. gr. T. 103—104.

illustribus libro; ac *Petrus diaconus*, monachus Cassinensis (c. 1159) *de viris illustribus Cassinensibus* opusculum reliquit. Versus finem saeculi XV Joannes Trithemius O. S. B. abbas Spanheimensis (m. a. 1516), opus edidit amplum *de Scriptoribus ecclesiasticis* (a. 1492), in quo tum de scriptoribus priorum saeculorum tum de medii aevi auctoribus qui eousque floruerant, erudite quidem, passim tamen minus critice disserit.

Tempora recentiora.

Recentiori aevo primus *Robertus Card. Bellarminus* (m. a. 1621) egregium scripsit *De Scriptoribus ecclesiasticis* librum.[1]) In eodem singulorum Scriptorum vitas paucis delineat, opera vero nonnihil uberius recenset, suumque de illis addit judicium, quae in illis jure reprehendi possint innuens. Arte critica quae eo tempore jam satis profecerat bene usus est, atque antiquorum Patrum et Scriptorum studium suo opere multum promovit. — Brevi post *Aubertus Miraeus* (m. a. 1640) Canonicus Antverpiensis conscripsit suam *Bibliothecam ecclesiasticam* in qua de Scriptorum ecclesiasticorum vita et scriptis tractat. Duobus haec constat voluminibus, quorum primum ipse Aubertus a. 1639, alterum post ejus mortem ipsius nepos Aubertus van den Eede, Episcopus Antverpiensis anno 1649 edidit.[2]) — Bellarmini librum *Philippus Labbeus* a. 1660 dissertationibus historicis et philologicis locupletavit.[3]) *Petrus Halloix* vero, Leodiensis, de Scriptoribus Ecclesiae orientalis, qui saeculo primo et secundo floruerunt, tractavit.[4]) Interim *Melchior Canus* (m. a. 1560) in celebri

---

[1]) C. Bellarmini liber de Scriptoribus ecclesiasticis. Romae 1613, in 4°; cura J. Sirmondi Paris 1616 in 4°, et saepius. Opus hoc 40 annorum lectione comparatum est, ut ait ipse Bellarminus initio Praefat. in hunc librum.

[2]) Minus accurate Möhler (Patrol. Einl. §. 4) et Schmid (Grundlin. Einl. §. 3) post Miraeum dicunt Bellarminum scripsisse. Bellarminus jam a. 1621 obierat.

[3]) Philippi Labbaei S. J. de scriptor. eccles. Bellarmini philol. et histor. Dissertat. Parisiis 1660

[4]) P. Halloix illustrium Ecclesiae orientalis scriptorum I et II saeculi vitae et documenta. Duaci 1633 et 1634, voll. 2.

opere suo *De locis theologicis* fusius etiam egerat (L. VII) *de auctoritate ss. Patrum* in re theologica, atque post ipsum universim auctores dogmatici hanc quaestionem opportuno loco consueverunt evolvere.

Galliae scriptores.

Quum vero in Gallia studia patristica saeculo decimo septimo et ineunte decimo octavo admodum florerent, varii quoque auctores opera ediderunt praeclara quae ad nostram doctrinam spectant. Immenso labore imprimis viri duo eruditissimi *El. Dupin* et *R. Ceillier* amplissimis operibus hanc excoluere provinciam.[1]) Uterque vitas Patrum fuse et accurate describunt, dubia et obscura sollicite expendentes; singula ss. Patrum scripta enumerant, eorumdem tempus, occasionem, scopum exhibent, analysin argumenti plerumque adjungentes: judicium suum de eorumdem pretio interponunt et varias tam singulorum Operum, quam omnium simul junctorum editiones ad suam usque aetatem indicant ac plerumque dijudicant. Ille tamen prior fontes, ex quibus historiam vitae Patrum hausit, rarissime indicat, non semper tutissimus dux; insuper ingenio suo, utique foecundissimo nimium confisus liberiores quandoque assertiones protulit erroresque saepius defendit; in re quoque critica editiones, quales tunc erant, minus perfectas secutus haud raro cespitavit. Alter vero

---

[1]) L. Ellies du Pin, Nouvelle Bibliothèque des Auteurs ecclésiastiques. Paris 1686 seqq. 47 Tomi in 8°. Paris. 1693—1715. XIX Voll. in 4°. Paris. 1699 seqq. 61 Tomi in 8°. (De hac edit. vid. J. G. Walch. Biblioth. Patrist. p. 10). Versio latina hujus Operis Paris. 1692—93. nonnisi ad tres Tomos in 4°. se extendit et pertingit usque ad annum 430. — R. Ceillier, Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclésiatiques. Paris. 1729—63. XXIII Tomi in 4°. Cui operi adjungendum est aliud, scilicet: Table générale des matières etc. par Et. Rondet. Paris. 1782. II Voll. in 4°. (Editio recens prodiit Parisiis 1858—65. 15 Vol. in 4°.). Ex hoc Opere, quod summis laudibus extollit P. Lumper, in sua Histor. theolog. crit. Tom. I. Praefat., utile compendium, praecipuos exhibens Patres, confecit Tricaletius, sub titulo: P. J. Tricalet, Bibliothèque portative des Péres de l'Eglise. Paris. 1758 seqq. 9 Voll. in 8°. Hujus posterioris versio etiam latina prodiit Bassani, notis brevibus aucta, sub titulo: P. J. Tricaletii Bibliotheca manualis Ecclesiae Patrum. Bassani 1783. IX Voll. in 8°.

iis omnibus, quae ad suam usque aetatem hac in materia scientia haec produxerat, summa industria et felicitate usus Opus summae utilitatis, copiosum et eruditum confecit; ac singulis Patribus et Scriptoribus conspectum eorum doctrinae, ipsissimis illorum verbis, subjunxit. — His quoad ingenium, eruditionem et industriam jure merito accensendus est *Nicol. le Nourry*, qui eodem fere tempore scripsit Apparatum suum ad Bibliothecam maximam veterum Patrum et antiquorum Scriptorum ecclesiasticorum, Lugduni editam, in quo quidquid ad eorum scripta et doctrinam, variosque scribendi et docendi modos pertinet, Dissertationibus criticis examinatur atque illustratur.[1]) Dolendum valde, quod Opus istud praeclarum et laudum cumulo dignum non ultra initia quarti Ecclesiae saeculi progrediatur. — Multa demum quae ad Ecclesiae Patres ac Scriptores eorumque opera pertinent inveniuntur in *Tillemontii* celeberrimo opere[2]), apud Bollandistas in *Actis Sanctorum*, et in *Historia litteraria Galliae*, quam concinnare coeperunt Benedictini Congregationis s. Mauri[3]), nostrisque diebus varii eruditi Galliae continuarunt. — Egregiis porro operibus, quibus de variorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum vita, doctrinis, eloquentia, tractavit, hoc tempore in Gallia Ill. Freppel de re patristica optime meritus est.[4])

Germaniae scriptores.

Ad epocham quoque trium priorum Ecclesiae saeculorum restringuntur Opera, quae alias plurimum commendari merentur ob eruditionem inde relucentem et sum-

---

[1]) *Nic. le Nourry Apparatus ad Bibliothecam maximam* veterum Patrum etc. Lugduni editam. Primum duo Tomi hujus operis separatim prodierunt Paris. 1684 — 97 in 8°. Idem deinde Opus valde auctum iterum prodiit Paris. 1703 — 15. II Tom. in fol. Posterior editio priori plurimum praestat.

[2]) Mémoires pour servir de guide dans les premiers six siècles de l'histoire ecclésiastique. Paris 1693, 16 Vol. in 4°.

[3]) Histoire littéraire de la France. Paris 1738—63.

[4]) Freppel, Cours d'Éloquence sacrée. — Les Pères Apostoliques, 1 vol. Paris 1859. — Les Apologistes chrétiens au II siècle, 2 vol. 1860. — S. Irénée, 1 vol. 1861. — Tertullien, 2 vol. 1864. — S. Cyprien, 1 vol. 1865. — Origène, 2 vol. 1868.

mum utilitatem hinc redundantem, *Placidi Sprenger*[1]), *Gottfridi Lumper*[2]), et *J. Ad. Moehler.*[3]) Ambo priores aliorum, qui antea jam istas materias pertractaverant, vestigia fere presserunt, haud raro etiam verba propria et totas dissertationes transcripserunt; nemo tamen negabit, Lumperi praesertim Opus valde utile eruditumque esse. Tertius vero scripta praecipue et doctrinam Patrum atque Scriptorum altissimo ingenio, mentis acumine atque elegantia sibi propriis exhibet, singulas quoque Patrum epochas praeclare delineat. — Nec silentio praetermittendus est *P. Dom. Schram*[4]), qui valde utilem confecit Analysin Operum ss. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum, secutus potissimum tribus primis saeculis (Tom. I—VII), *B. Maréchal Concordantiam SS. Patrum Ecclesiae graecae atque latinae*[5]) qua fidei, morum atque disciplinae

---

[1]) *Thesaurus rei Patristicae* continens Dissertationes praestantiores ex rarissimo Nic. le Nourry Apparatu, Gallandii Nova Bibliotheca Patrum, aliisque celebrioribus eorum editionibus depromptas . . ., adjectis Prooemiis, Notis et Reflexionibus ad historiam Theologiae pertinentibus, instructus a P. Pl. Sprenger, Benedictino in Banz. Wirceburgi 1784 — 92. III Voll. in 4°. Opus hoc desinit in Clemente Alexandr. (c. a. 220), quem admodum fuse magna T. II. parte et toto Tomo III. tractat.

[2]) P. Gottfr. Lumper, Monachi Benedictini, Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina SS. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum trium primorum saeculorum, ex virorum doctissimorum literariis monumentis collecta, Augustae Vindel. 1783 — 99. XIII Voll. in 8°. Operis sui institutum auctor ipse exponit in Praefat. Tomi I. sub finem.

[3]) J. A. Möhler's Patrologie oder christliche Literärgeschichte. Aus dessen hinterlassenen Handschriften mit Ergänzungen herausgegeben von Dr. Reithmayr. I. Bd. (die ersten drei Jahrhunderte). Regensburg 1840; gallica versio Lovanii 1844.

[4]) P. Dom. Schram Analysis Operum SS. Patrum etc. Augustae Vindel. 1780—96. XVIII Tomi in 8°.

[5]) P. Bern. Maréchal Concordance des SS. Pères de l'Eglise, Grecs et Latins. Paris 1739. II Tomi in 4°. Idem Opus postea latine versum prodiit sub titulo: Concordantia SS. Patrum Ecclesiae graecae atque latinae. Augustae Vindel. 1769. II Tomi in uno Volum. fol. Pertingit solummodo ad tria prima Ecclesiae saecula. Hujus Operis et Supplementum et continuationem dici posse suam Analysin, ipse fatetur D. Schram (in Praefat.).

difficultates, quae in ipsorum scriptis occurrunt, solide elucidantur; saeculo autem quarto (Tom. VII — XVIII) hausit praecipue ex novissimarum praestantissimarumque ss. Patrum editionum Praefationibus, Dissertationibus Notisque, in quibus locorum obscurorum explicationes continentur. Opus hoc ad finem usque saeculi IV sese extendit, ita ut Patrum graecorum series in S. Epiphanio et Theophilo Alexandrino finiatur, latinorum vero series S. Ambrosio claudatur. Cujuslibet Scriptoris notitiam, genus, scripta, tum genuina, tum spuria, tum dubia et editiones illorum brevissime refert, quin disputationibus criticis immoretur; porro argumentum et scopum uniuscujusque Operis et occasionem, qua et contra quos scriptum fuerit, paulo fusius exponit; denique uberrimam ipsius Operis analysin instituit, ipsissimis ss. Patrum verbis adornatam; difficultates etiam et obscuritates, quae in Patrum Operibus occurrunt, elucidat et explanat; Indices demum valde commodi singulis Tomis adjiciuntur.

Scriptores heterodoxi.

Denique etiam inter Acatholicos nonnulli hujus generis Opera memoratu digna confecerunt. Ex his primo loco habendi sunt *Casim. Oudin*, coetui Reformatorum addictus, *Guil. Cave*, sacra Anglicana sequutus, et *J. A. Fabricius* Lutheranus. — *Oudin* amplissimum edidit commentarium de antiquis Ecclesiae Scriptoribus illorumque scriptis ad annum usque 1460, cum multis Dissertationibus, in quibus insigniorum Ecclesiae auctorum opuscula atque alia argumenta notabiliora examinantur.[1]) Verum is utpote monachus apostata, quotiescunque occasio fert, nimis acerbum in Ecclesiae Catholicae instituta animum prodit, adeoque nonnisi caute legendus est; idem persaepe alios exscribere solet, nec citato auctore, nec verbulo addito. *G. Cave* praeter alia plura huc spectantia Opera elucubravit Historiam litterariam Scriptorum Ecclesiasticorum, qua de vita illorum ac rebus gestis, de scriptis ge-

[1]) Cas. Oudini Commentarius de Scriptoribus Ecclesiae, antiquis illorumque scriptis etc. Lipsiae 1722. III Voll. fol.

nuinis, dubiis, suppositiis, ineditis, deperditis, fragmentis, deque variis Operum editionibus succincte et perspicue juxta singula saecula ad a. usque 1517 agitur.[1]) Demum *J. A. Fabricius* in triplici sua Bibliotheca, scil. Bibliotheca graeca, Bibliotheca latina, et Bibliotheca mediae et infimae latinitatis[2]), vastissima eruditione multum juvare potest. Quamvis enim in istis operibus omnes generatim Scriptores graecos et latinos complectatur, singulari tamen sollicitudine, in graeca praesertim Bibliotheca, scripta omnia ss. Patrum recenset eorumque editiones et codices Mss. memorat; vitam Auctorum brevissime exhibet, indicatis tamen fontibus et subsidiis; Operum argumenta rarissime indicat, analysin nunquam exhibens nec unquam respiciens dogmata. Denique etiam praeter hosce Auctores laudatos citari merentur Schoenemann, Baehr et Ebert, qui minoris voluminis scriptis pariter historiam litterariam Patrum illustrarunt.[3])

---

[1]) Hujus Operis: G. Cave, Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria, quod primum lucem aspexit Londini 1688. fol., editio optima prodiit Oxonii 1740—43, II Voll. fol.; recusa Basileae 1741—45, II Voll. fol. Cf. de hoc et aliis ejusdem Cavei operibus huc spectantibus J. G. Walch Biblioth. Patristic. p. 9—10. Acerrimam de illo Cavei Opere crisin tulit Oudin in Commentar. sui Tom. I., in Argumento de necessitate Operis sui ibidem praemisso.

[2]) J. A. Fabricii Bibliotheca graeca, Hamburgi 1718—28, XIV Voll. in 4°. Editio optima (multum quidem aucta, ast non completa) cur. G. C. Harlesii XII Voll. in 4°. Hamb. 1790—1809. Addatur Index in J. A. Fabricii Bibliothecae graecae editionem G. C. Harlesii, Lipsiae 1838 in 4°. Hujus editionis Harles. Vol. IV. VII. VIII. IX. et X. Patrologiae potissimum inservient. — J. A. Fabricii Bibliotheca latina sive notitia auctorum veterum latinorum; Venetiis 1728, II Tomi in 4°. — J. A. Fabricii Bibliotheca latina mediae et infimae latinitatis, edita cur. J. Dom. Mansi; Patavii 1754, Tomi VI in 4°. Hoc posterius Opus Patrologiae studio multum conferre poterit; quae vero Fabricius in opere priori de Scriptoribus ecclesiasticis habet, pauca sunt et per se non admodum eximia.

[3]) C. G. Schoenemann Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum a Tertulliano usque ad Gregorium M. et Isidorum Hispalensem, ad Bibliothecam Fabricii latinam accommodata; Lipsiae 1792—94, II Tomi in 8°. — J. Ch. F. Bähr: Die christlich-römische Theologie. Karlsruhe 1837; Bähr: Geschichte der Literatur im karolingischen

Natalis d'Argonne.

Haec quae recensuimus scripta, historiam praesertim litterariam Patrum et eorum operum spectant. Sed convenit hoc loco etiam mentionem facere libri admodum utilis, qui *De optima legendorum Ecclesiae Patrum methodo* inscribitur. Tractatus hic prodiit primum gallice conscriptus sub titulo: *Petit traité de la lecture des Pères de l'Eglise, Paris 1688,* iterumque auctus anno 1692. Postmodum optima latinitate donatus fuit notisque ornatus a viro Theologiae doctore, qui nomen suum pariter celavit. Est autem auctor hujus eximii operis *Natalis Bonaventura d'Argonne* Carthusianus. Indolem libri agnosces ex ejus partitione in quatuor partes, quarum prima agitur *De auctoritate Patrum Ecclesiae;* altera, *De rebus necessariis ad Ecclesiae Patres utiliter legendos;* tertia, *De ordine ac methodo, qua Patres Ecclesiae magno cum fructu legi possunt*; quarta, *De usu Patrum Ecclesiae.*

Disciplina specialis Patrologiae.

Ex dictis jam colligitur, anterioris temporis scriptores plerosque vel historiam litterariam Patrum texisse, vel, uti Argonnensem, tantum de eorum auctoritate et usu, data opera scripsisse. Caeterum vero hac de re, uti jam diximus, ab auctoribus in theologia dogmatica suis locis agi solebat. Altero autem medio saeculi decimi octavi in Austria peculiarem *Patrologiae* disciplinam, qui studia theologica regebant, opportune instituendam censuere. Primus hoc argumentum tunc aggressus est *Guilelmus Wilhelm,* Canonicus regularis Kreuzlinganus et Professor in Universitate Friburgensi[1]), quem non pauci alii secuti sunt. Plerique vero, licet haud exigua eruditione instructi, non tamen fini suo omni ex parte satisfaciebant, praesertim quod singulorum Patrum vitam vel omnino

---

Zeitalter. Karlsruhe 1840. — A. Ebert, Geschichte der christlich-lateinischen Literatur von ihren Anfängen bis zum Zeitalter Karls d. Gr. Leipzig. 1874. — Plures alios tam Catholicos quam Acatholicos, qui historiae litterariae auctorum ecclesiasticorum operam navarunt, videre est apud J. G. Walch Biblioth. Patristic. p. 6—18; Permaneder Biblioth. Patrist. Tom. I. §. 34—36 et §. 242.

[1]) Patrologia ad usus academicos, auctore W. Wilhelm. Friburgi Brisgoviae 1773.

non exhibuerunt, vel nonnisi paucis lineis absolverunt, eorum vero operum indicem tantummodo texuerunt, argumentumque cujuslibet operis minime prosecuti sunt. Majorem tamen laudem suis *Institutionibus Patrologiae*, sibi comparavit *St. Wiest*, Ingolstadii olim s. Theologiae Professor.[1]) — Utque alios auctores praetereamus, opus amplioris voluminis ac perutile est *Bibliotheca Patristica*, quam conscripsit vir eruditus *D. M. Permaneder*, Professor in lyceo regio Frisingensi ac dein in Universitate Monacensi; quod opus tamen ad finem non perduxit.[2]) Tria videlicet priora saecula tantum complectitur.

Auctores hujus temporis.

Prae caeteris dein praeclaras *Institutiones Patrologiae* (2 vol. Oeniponte 1850) conscripsit insignis vir *Jos. Fessler*, tunc in Seminario Brixinensi Historiae ecclesiasticae et Juris eccles. Professor, postea Episcopus s. Hippolyti et Secretarius Concilii Vaticani. Quod opus eruditorum judicio comprobatum nova hac recensione jam denuo edimus. — Recentiori tempore cl. *Joh. Alzog* optimum *Compendium Patrologiae* edidit.[3]) Ipse sepositis quaestionibus quae Patrum auctoritatem et scripta generatim spectant, tractationem ad historiam litterariam de Patrum vita, doctrina, scriptis restringendam existimavit. — Breve porro compendium tironibus utile vulgavit *Jos. Schmid.*[4]) — Summam vero hac in re laudem meritus est *Jos. Nirschl* in Universitate Wirceburgensi s. Theologiae professor, qui germanico idiomate hisce annis *Institutiones Patrologiae et Patristicae* edidit maxime commendandas.[5])

---

[1]) Steph. Wiest, Institutiones Patrologiae in usum academ. Ingolstadii 1795.

[2]) Dr. M. Permaneder, Bibliotheca Patristica, Landeshuti 1841—44. T. I. Patrologia generalis, T. II. Patrologiae specialis vol. I., P. I. II. et III.

[3]) Grundriss der Patrologie oder der ältern christlichen Literärgeschichte. Freiburg 1866. Ed. 3. 1876.

[4]) Grundlinien der Patrologie, Freiburg 1879; opusculum gallice vertit N. J. Cornet: Précis de Patrologie, traduit de l'Allemand de M. J. Schmid, Paris, Bray et Retaux 1881.

[5]) Handbuch der Patrologie und Patristik von Dr. Jos. Nirschl, 3 Bände; Mainz 1881—85.

§. 4.

Conspectus hujus Operis.

Dispositio Operis.

Opus hoc bifariam dividitur, scilicet in partem Patrologiae *generalem* et *specialem*. Prior pertractat ea, quae de ss. Patribus universim acceptis scitu necessaria sunt, ut rectus fiat eorum in Theologia usus; pars posterior singulorum ss. Patrum exhibet vitam et scripta. In parte autem Patrologiae generali primo quidem notio s. Patris et criteria, quibus ss. Patres a caeteris Scriptoribus Christianis et Ecclesiasticis discerni queant, erunt proponenda, simul et eorum auctoritas in quaestionibus theologicis erit statuenda (Cap. I.); tum vero auctoritate ss. Patrum generatim cognita etiam disquirendum, quibus ex principiis criticis opera genuina, dubia et spuria certo dijudicare possimus (Cap. II.). Ubi dein hac ratione fixa est notio et auctoritas ss. Patrum, ac opera ss. Patrum genuina dignoscendi suppetit medium, transire oportet ad lectionem et usum ss. Patrum. Cum in lectione ss. Patrum, qui variis in locis, antiquo tempore, diversis in circumstantiis sua scripta exararunt, haud exiguae quandoque occurrant difficultates et obscuritates, remedia quoque breviter oportet statuere et explicare, quibus istae difficultates solvi, obscuritates removeri possint, ut ad rectum ss. Patrum sensum eruendum idonei reddamur (Cap. III.). Denique ostendetur, qualem ss. Patrum oporteat usum instituere in Theologia, et ea proponentur, quae usum istum faciliorem et convenientem reddere possint (Cap. IV.).

Ubi haec paucis exhibita sunt in generali Patrologiae parte, in parte speciali, praemissa singulis periodis brevi earumdem delineatione, singulorum ss. Patrum, quos longum esset heic enumerare, describetur Vita, quatenus lucem aliquam afferre possit ad uniuscujusque scripta melius cognoscenda, eorumque usum aptiorem instituendum, enumerabuntur scripta *genuina* omnia et *dubia*, (*spuria*, quorum nonnisi illustriora quaedam singillatim recensebimus,

genuinis dubiisque omnibus nominatis, sponte apparent), eorumque proponetur scopus, occasio, tempus, argumentum.

De charactere quoque et stylo uniuscujusvis pauca subjungentur, et editiones praestantiores, praesertim quae facilius possint comparari, nec non et subsidia ad perfectiorem singulorum Patrum cognitionem indicabuntur. Denique ut, quantus eorumdem in Theologiae dogmaticae controversis hodie quaestionibus fidei inter Catholicos et Protestantes sit usus, penitius perspiciatur, speciminis loco singulis fere Patribus loca quaedam ex eorum scriptis genuinis depromta subnectentur, quae ad Ecclesiae Catholicae doctrinam confirmandam faciunt. Demum praeter ss. Patres stricte tales etiam Scriptores Ecclesiasticos magis insignes, utpote qui et ipsi testes sunt Traditionis, inferioris quidem ordinis, haud omnino tamen spernendi, suis locis inserentur, ita tamen, ut, quantum fieri poterit, hi seorsim ab illis proponantur, paucisque pro minori dignitate expediantur.

PATROLOGIÆ PARS GENERALIS.

Caput I.

De notione et auctoritate SS. Patrum.

§. 5.

Christus.

Jesus Christus, aeternus Dei Filius, ex benignissimo aeterni Patris consilio homo factus est, ut genus humanum peccato perditum repararet. Quamobrem ea omnia, quae ad finem istum assequendum erant necessaria, perfectissime praestitit. Itaque incarnatus Dei Filius propter salutem totius humani generis, tanquam „agnus occisus ab origine mundi“ (Apocalyps. 13, 8), dum peccata nostra tulit, et iniquitates nostras ipse portavit[1]), semet ipsum offerens hostiam Deo immaculatam, *peccata mundi delevit*, factus propitiatio pro peccatis totius mundi, *nosque Deo reconciliavit,* proprio sanguine fuso in pretium redemptionis pro omnibus, ac potestatem nobis fecit, ut possemus iterum filii Dei fieri.[2]) Et hoc erat primum atque praecipuum, ut Salvator noster Christus peccatum tolleret, nosque iterum Deo reconciliaret ac filios Dei redderet. Sed praeter ipsum peccatum etiam *sequelas peccati* exstinxit Redemptor. Redemptionis opus.

Istae autem peccati sequelae totum infecerant hominem, et animum videlicet et corpus. In animo rursus

---

[1]) Isai. 53, 11. 12. Joh. 1, 29.
[2]) Joh. 1, 12. Ephes. 1, 5. Gal. 4, 5—6. Rom. 8, 15—17.

Redemptionis opus.

corruptio, quae consecuta est peccatum, intellectum obfuscavit, et voluntatem debilitavit; corpus autem factum est morti obnoxium, ac praeterea corporis motus rebellaverunt adversus animi imperium justo Dei judicio, quemadmodum animus rebellaverat adversus Dei mandatum, ita ut perpetua dehinc pugna inter corpus animumque intercederet, quam nomine concupiscentiae intelligimus.[1]) Hasce peccati sequelas, quibus aliae quaedam minoris momenti accenseri possent, Redemptor noster ita sustulit, ut, accedente nostra ipsorum cooperatione, jam in hac vita ex parte removeantur[2]), penitus vero in fine demum saeculorum, in aeterna nimirum beatitudine, sint eliminandae. Jam vero Christus per doctrinam suam verissimam coelitus allatam, quam cum genere humano communicavit, *intellectum* obscuratum lumine superno collustravit, ac ignorantiae humanae in rebus divinis paulatim magis magisque ingravescenti finem fecit remediumque attulit; ita etiam *voluntati* hominum nimium quantum debilitatae vires novas infudit ac robur addidit necessarium, quo voluntatem Dei impleret, ac rebellem concupiscentiam subjugaret, per gratiam suam coelestem. — Mortem quidem corporis non abstulit Redemptor, sed per futuram corporis resurrectionem nobis certo promissam jamque ostensam mortis confregit aculeum. Sic itaque Redemptor noster et ipsum exstinxit peccatum, et peccati sequelas, quae sese diffuderant in animum et corpus, sustulit.

§. 6.

Ecclesia.

Christus opus Redemptionis objective perfecit; singulis insuper hominibus peccata dimisit, eosdem docuit doctrinam salutis et gratia sua confortavit. Verum opus tam immensum, quale erat incarnatio et passio Filii Dei Unigeniti, non ad gentem tantum Judaicam, nec ad unius

[1]) Gal. 5, 17. Rom. 7, 14. sq.
[2]) Cf. Concil. Trident. sess. 5.

solummodo aevi homines pertinebat, sed totum humanum genus omniaque complectebatur tempora.

Ecclesiae missio divina.

Quare Christus ex hoc mundo abiturus ea omnia, quae in salutem humani generis ipse inceperat et egerat, etiam post discessum suum perdurare voluit usque in finem, eoque consilio Apostolis (et implicite iis quoque, qui in finem usque Apostolorum locum occupare deberent) dixit: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos“ (Joh. 20, 21)[1]), eamdem illis potestatem ad salvandum humanum genus necessariam relinquens, quam et ipse a Patre acceperat, eisque legitimam tribuens missionem, ut opus redemptionis in terra, vice Christi ad Patrem reversuri, continuarent. Potestatem itaque eis tradidit perennem, utpote in salutem totius humani generis datam, peccata dimittendi, doctrinam salutis omnibus hominibus annuntiandi, remedia salutis, quibus gratia divina ad infirmas voluntatis nostrae vires erigendas et confortandas Deo disponente annexa est, administrandi, et coetum fidelium plena potestate regendi ad „finem fidei nostrae, salutem animarum“ (1. Petr. 1, 9.). Iisdem porro, quibus adeo insignem contulit potestatem in regno suo terrestri, ut nulla auctoritas hominibus a Deo data, ecclesiasticae aequanda sit, etiam Spiritum sanctum semper affuturum promisit[2]), promissumque vere dedit;[3]) quin et ipse Dei Filius, cum Apostolis suis tantae potestatis verae divinae onus imposuisset, ut eos blande consolaretur eosque animum forte despondentes erigeret in fiduciam, statim adjecit: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“ (Math. 28, 20.). Et sic a Deo constituta est Ecclesia, quae totum redemptionis opus a Christo incoeptum post ejus ascensionem ad Patrem omni ex parte continuaret, omnes gentes in regnum a Christo fundatum congregaret, iisque redemptionem Christi applicaret, ad hoc tam grande munus auxilio Spiritus

[1]) Cf. S. Cypriani epist. 69 (ed. Maur. Paris. 1726, p. 122.
[2]) Joh. 14, 16—18. 26. 15, 26. 16, 7—15.
[3]) Act. Ap. 2, 1—4.

sancti semper praesenti munita, et ipsius Christi praesentia confortata.

§. 7.

Principium fidei.

Munus docendi.

Cum ergo ejusdem sit amplitudinis munus Ecclesiae, quantae ipsum est opus redemptionis, nonnisi partem ejusdem constituit Ecclesiae munus docendi, et Christi doctrinam puram integramque conservandi, eamque talem omnibus omnino hominibus annuntiandi. Qua in re Spiritus sancti auxilium Ecclesiae certe non deerit, cum hunc praecipue in finem eidem fuerit promissum[1]), simulque attentis hominum ingeniis, in rebus praesertim religionis, plane necessarium dici queat.

Doctrina coelestis, quam annuntiavit Jesus Christus, Dominus noster, Deus et homo, quae ex Patre simul et Spiritu sancto descendit[2]), plena est et absoluta veritas; quae, utpote omnibus necessaria non semel tantum in obscuro quodam terrarum angulo annuntiari, sed per omnem terram diffundi et certo quodam ac tutissimo medio integra inviolataque conservari debuit. Et quidem „quamdiu in terris agebat, ipse Christus pronuntiabat sive populo palam, sive discentibus seorsim, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo allegerat, destinatos nationibus magistros; quos regrediens ad Patrem post resurrectionem jussit ire et docere nationes. Statim igitur Apostoli, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt“[3]); „nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter natio-

---

[1]) Joh. 14, 26. Joh. 15, 26—27. 16, 12—13.

[2]) Cf. Joh. 7, 16—18. 8, 25—29. 14, 6. 16, 13—15.

[3]) Tertullian. de Praescript. haeret. c. 20.

nibus assignarunt."[1]) „Et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae caeterae exinde ecclesiae mutuatae sunt".[2]) Per regiones autem et urbes ex voluntate Dei annuntiantes regni Dei adventum primitias earum, Spiritu cum probassent, Episcopos pro iis, qui crediturі erant, constituerunt, ac deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum ac munus exciperent alii viri probati.[3]) His porro, quibus ipsas ecclesias a se fundatas commiserant, doctrinam quoque suam tradiderunt Apostoli[4]), utpote qui eos vel maxime curabant in tali culmine constituendos, qui essent pleni Spiritu sancto, „fideles homines atque idonei et alios docere".[5]) Egressi itaque Apostoli in omnes fines terrae doctrinam divinitus acceptam et coelestem pacem hominibus annuntiantes, et omnes pariter et singuli eorum idem habebant et praedicabant Evangelium Dei, quippe cum omnes et singuli uno eodemque Spiritu sancto repleti perfectam acceperant rerum divinarum agnitionem.[6]) Dum ergo ubique fundabant ecclesias et in iis constituebant episcopos, quibus doctrinam suam commendabant ceu „bonum depositum"[7]), „plenissime in totam Christi Ecclesiam, per totum orbem diffusam (S. Iren. adv. haeres. L. I. c. 10. n. 1.), quasi in depositorium dives, contulerunt omnia, quae sunt veritatis".[8]) Ecclesia autem eam solam veram ac vivificam fidem, quam ab Apostolis percepit, rursus distribuit filiis suis[9]); unde etiam propugnatores et defensores verae fidei haereticis eam adulteran- Fidei praedicatio.

---

[1]) Tertullian. l. c. c. 6. [2]) Tertullian. l. c. c. 20.
[3]) S. Clem. Rom. Epist. I. ad Corinth. c. 42. et c. 44. Cf. Tertull. l. c. c. 32 et c. 36.
[4]) S. Irenaeus adv. haeres. l. III. c. 3. n. 1.
[5]) 2. Tim. 2. 2. Cf. Tertull. l. c. c. 25.
[6]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 1. n. 1.
[7]) 1. Tim. 6, 20. 2. Tim. 1, 14. Cf. Tertull. l. c. c. 25. et S. Vincent. Lirin. Commonitor. c. 22. (ed. Baluz.).
[8]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 4. n. 1.
[9]) S. Iren. adv. haer. l. III. Praef.

tibus tanquam argumentum firmissimum ac ineluctabile opponunt: „Atqui Ecclesia Dei neque ita accepit, neque ita tradidit".[1]) „Nullus sanctorum Patrum nostrorum ita sensit (ἐφρόνησεν), aut docuit; neque enim sic veritas se habet".[2]) Sic Episcopi et ecclesiae fideles sunt custodes depositi fidei, quod Apostoli illis tradiderunt et cum aliis communicandum reliquerunt.

Spiritus sancti auxilium.

Verum quantamcunque impendissent sollicitudinem in doctrina fidei ipsis commissa pure integreque conservanda, ceu homines tamen infirmi, debiles, multiplici errandi periculo obnoxii, nunquam in posterum populis absolutam praestare potuissent certitudinem, se viribus humani solummodo intellectus fretos, nihil omnino perperam intellexisse, parumve recte aut solide percepisse, nihil unquam tot labentibus saeculis corrupisse, addidisse, oblivioni mandasse aut posteris falso tradidisse. Attamen plane necesse erat, ut omnes futurorum saeculorum homines eadem securitate et certitudine veram invenire possent doctrinam salutis a Christo nobis allatam, qua ipsi Christi coaevi; quandoquidem „Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem *veritatis* pervenire" (1. Tim. 2, 4.). Unde sicut Apostoli absque Spiritus sancti singulari auxilio, Christo licet ipso praedicante, multa nondum poterant portare[3]), sed indigebant Spiritu sancto, qui eos doceret omnem veritatem, et omnia illis suggereret, quae Christus ipsis proposuerat annuntianda generi humano[4]), eumque revera etiam accipiebant: ita pariter „Episcopi, qui in Apostolorum locum successerunt"[5]), eodem Spiritus sancti singulari auxilio, quod Christus utique promisit „in aeternum"[6]), indiguere, ut omni securitate et plena certitudine

---

[1]) S. Athanas. contra Apollinar. l. I. n. 20. Cf. S. Augustin. contra Julian. l. 6. n. 11 et 39. De peccat. meritis et remiss. lib. 3. n. 1 et 10. Vide praesertim de praxi Ecclesiae, dicta haec confirmante, *S. Athanas. de Synodis* n. 3—5. S. Hilar. l. II. ad Constantium Aug. n. 4. seqq.

[2]) Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi Tom. XIII. col. 317.).

[3]) Joh. 16, 12. [4]) Joh. 16, 13—14. 14, 26.

[5]) Concil. Trid. Sess. 23. c. 4. [6]) Joh. 14, 16. cf. Math. 28, 20.

doctrinam Christi puram et integram usque ad consummationem saeculi omnibus gentibus annuntiarent, eodemque divina favente voluntate revera potiti sunt. Illud tamen discriminis hac in re obtinet inter Apostolos eorumque successores Episcopos, quod Apostolorum *etiam singuli*, ob singulare eorum munus praedicandi in toto orbe Evangelium Christi, tanta Spiritus sancti plenitudine fuerint ornati, ut ab omni erroris periculo in rebus fidei essent immunes[1]), Episcopi autem, Apostolorum successores, nonnisi ut corpus Pastorum et Doctorum in unione, consensione et subordinatione ad visibile caput Ecclesiae, Romanum Pontificem, eadem praerogativa gaudeant. Sedulo quoque advertendum quod in Concilio oecumenico Vaticano solemniter definitum est: „Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse".[2])

Ecclesiae infallibilitas.

Ecclesiae autem docenti singulare Spiritus sancti auxilium, praesens semper assistere, vi cujus „in rebus fidei et morum" ab omni prorsus errore immunis servatur adeoque certissimam praedicat veritatem, tum per se necesse erat, ni Christus religionem suam, cujus finis erat omne humanum genus salvare, vix ortam mox iterum corrumpi et interire vellet[3]), tum ex ipsius Christi verbis patet, quibus Spiritum sanctum pollicitus est (Joh. 14, 16 et

---

[1]) Concil. Cp. II. a. 553. Collat. VIII. (Mansi T. IX. col. 369.). S. Augustin. contra Faustum Manich. lib. 11. c. 5.

[2]) Concil. Vatican. Constit. prima de Ecclesia Christi C. IV. — De subjecto infallibilitatis in docendo cfr. Franzelin, De Traditione, Thesis XII, Scholion I. ed. II. p. 114 sqq.

[3]) Cf. L. A. Murator. de ingeniorum moderat. l. I. c. 8.

Ecclesiae praedicatio.

Math. 28, 20)[1]), tum denique ipsa Ecclesia inde ab initio id constanter et ubique de semetipsa testata est. — Cum itaque „ubi Ecclesia est, ibi et Spiritus Dei sit, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, Spiritus autem sit ipsa veritas et arrha incorruptelae", cumque „Spiritu Dei fides Ecclesiae quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescat semper, ipsumque vas, in quo est, juvenescere faciat"[2]): „Ecclesia per universum mundum ab Apostolis firmum habens initium in una eademque perseverat sententia"[3]), (veritas quippe constans semper et eadem permanet[4]), atque „praedicationem et fidem, a Christo et Apostolis acceptam, diligenter custodit et credit, quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter praedicat, et docet et tradit, quasi unum possidens os. Sicut sol in universo mundo unus et idem est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire".[5]) „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia, potissimum vero in Romana, quacum propter potiorem ejus principalitatem reliquae omnes convenire (i. e. consentire) debent, aperte spectare licet omnibus, qui vera velint videre"[6]); et „oportet adhaerere et obedire his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt".[7]) Et sic „Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis" (1. Tim. 3, 15.) id

---

[1]) „Hanc promissionem (Math. 28, 20) non solum illis, sed et nobis fecit, qui per illos credidimus in nomine ipsius" (Christi), diserte testatur Concil. Nic. II. in Definit. fidei Act. VII. (Mansi T. XIII. col. 376.).

[2]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 24. n. 1. Cf. Tertull. de praescript. haeret. c. 28.

[3]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 12. n. 7. cf. l. V. c. 20. Tertull. de praescript. c. 37.

[4]) S. Agatho P. Epist. I. lecta in Concil. Cp. III. Act. IV. (Mansi T. XI. col. 280.).

[5]) S. Iren. adv. haer. l. I. c. 10. n. 2.

[6]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 3. n. 1 et 2.

[7]) S. Iren. adv. haer. l. IV. c. 26. n. 2.

sine dubio tenet ac tradit „quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit".[1]) Principium itaque fidei, unde potum vitae, veritatem a Christo revelatam, tuto et facile possumus haurire[2]), est vivum, ab ipso Christo institutum et per Apostolos in eorum legitimos successores deductum magisterium Petro-Apostolicum, quod ex certissima Christi Domini pollicitatione a Spiritu sancto, absque ullo errandi periculo, in omnem inducitur et dirigitur veritatem.

§. 8.

Modi, quibus doctrina Christi propagatur in Ecclesia.

Transmissio doctrinae.

Divina, ut ex dictis patet, simul et humana operatio concurrunt in conservanda et ad posteros propaganda Christi doctrina, quemadmodum Synodus oecumenica VII disertis verbis testatur, „se munitam esse divini Spiritus operatione, ac paternis et ecclesiasticis traditionibus".[3]) Homines autem, quibus Deus omnem veritatem a se revelatam commisit, id est Ecclesiae Praesules, omnem semper ex sua parte adhibuere curam, ut puram eam et integram conservarent et ad posteros transmitterent. Quapropter ore tenus primum per multos annos doctrinam Christi gentibus annuntiarunt, et vivae vocis magisterio ecclesias plurimas et praecipuas fundarunt ac constituerunt. Postea tum ipsi Apostoli, tum fidissimi eorum adjutores Marcus et Lucas, a Spiritu sancto inspirati, quaedam vitae Jesu et Apostolorum facta[4]) et quaedam doctrinae capita[5]) per

---

[1]) Tertull. de praescript. haeret. c. 21 et 37. Cf. S. Clem. Rom. Ep. I. ad Corinth. c. 42.

[2]) S. Iren. adv. haer. l. III. c. 4. n. 1.

[3]) Concil. Nicaen. II. Epist. ad Impp. Act. VII. (Mansi T. XIII. col. 408.).

[4]) Joh. 21, 25.

[5]) 2. Thess. 2, 14. (Vulg.) et S. Chrysost. Hom. IV. in 2. Thess. ad h. l. S. Ignat. M. ap. Euseb. 3, 36. S. Polycarp. ep. ad Philipp. n. 7. Hegesipp. ap. Euseb. 4, 22. S. Basil. de Spir. S. n. 66. 67. 71. Conc. Nic. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 268.) — „multa nobis sine scripto tradita sunt." Cf. Concil. oecumen. VIII. Act. X. can. 1. (Mansi T. XVI. col. 397 sq.).

Dei voluntatem scriptis mandare coeperunt[1]), ita tamen, ut nonnisi data opportuna occasione scripta ista elucubraverint[2]), nec propter scripta ista demandatum sibi ore tenus docendi munus dimiserint aut minus necessarium judicaverint.

Apostolorum exemplum secuti eorum successores doctrinam inde ab initio sibi traditam ubique ore tenus praedicaverunt, ita tamen, ut libros sacros, quos Apostoli et discipuli Domini a Spiritu sancto inspirati conscripserant, tanquam „Spiritus sancti vera oracula“ (ῥήσεις)[3]) suspicerent, ideoque ceu partem insignem doctrinae a Christo et Apostolis traditae haberent. Verum praeter hoc docendi munus, quo doctrinam ab Apostolis acceptam viva voce posteris tradiderunt, eamdem quoque, licet haud adeo frequenter, litteris consignarunt. Veteres enim Apostolorum discipuli et successores non facile scripserunt, cum et Christus, auctor salutis humanae, viva voce, non littera scripta docuerit, et Apostoli nonnisi urgente necessitate scribendo populos docuerint, et magisterium vocis vivae per se longe majorem vim et perspicuitatem inferat, et labores immensi in novis ecclesiis viva utique voce fundandis, ordinandis, gubernandis eorum tempus penitus absumerent.[4]) Persuasum insuper habentes, nulla impellente causa de fide scribere, rem esse certe inutilem forteque periculosam, satiusque esse, quaecunque tradita sunt, simplici fide amplecti, aegre nonnisi ad scribendum animum appulerunt.[5]) Unde et factum est, ut praeclara illa

Opera prima conscripta.

---

[1]) Cf. Iren. adv. haer. l. III. c. 1. n. 1. et c. 4. n. 1. 2. Tertull. de praescript. haeret. c. 21. 20. S. August. de Consensu Evangel. l. 1. n. 54.

[2]) De singulis istis libris eorumque occasione fusius agit Introductio in libros sacros Novi Foederis.

[3]) S. Clem. Rom. ep. I. ad Corinth. c. 45.

[4]) Alias quasdam hujus rei causas affert Clem. Alexandr. (?) ex Scripturis Prophet. Eclogae n. 27.

[5]) S. Athanas. Epist. ad Monachos praemissa ipsius Historiae Arianorum. Quod S. Hilarius de expositionibus fidei in forma Symboli conscriptis dicit, sententiam ss. Patrum generatim de scriptis dogmaticis

antiquitatis ecclesiasticae monumenta, Catecheses inquam S. Cyrilli Hierosolymitani, non ab ipsomet conscripta habeamus, sed exceptorum quorundam industriae debeamus.[1])

Ratio scribendi.

Ideo non gloriae studio, sed necessitate compulsi aut caritate ducti, ut fratrum utilitati consulerent, pro tradita sibi a Domino scientiae mensura sive veritati patrocinantes, sive mendacium confutantes varia opera exararunt viri in Ecclesia sanctitate et doctrina illustres.[2]) Hisce rationibus permoti scripserunt, quotiescunque vel hominibus, locorum intervallo sejunctis, fidei veritates inculcare, eos adversus haereticorum fraudes praemunire, illisque praecepta morum tradere, in dubiis eos dirigere, aut facta quaedam memoratu digna ad eorum notitiam transmittere necesse erat, quotiescunque sacras litteras explicabant, aut religionis christianae adversarios impugnabant, quotiescunque demum ea, quae coram praesentibus disseruerant, rogantibus fratribus calamo exarare aggressi sunt, quo hi facilius audita in animum revocarent nec unquam in posterum oblivioni darent, alii vero Christiani omnium locorum atque temporum, qui dicentem non audierant, saltem ex ejus scriptis utilitatem caperent. Et hac ratione doctrinam fidei et quae in S. Scriptura jam erat consignata, sive quae viva adhuc voce proponebatur[3]), nec non Ec-

---

accurate exprimit: „Non eguistis littera, qui spiritu abundabatis. Neque officium manus ad scribendum desiderastis, qui, quod corde a vobis credebatur, ore ad salutem profitebamini. . . . Ubi sensus conscientiae periclitatur, illic littera postulatur.“ S. Hilarius de Synodis n. 63.

[1]) Vid. A. Touttée Dissert. II. in Opp. S. Cyrilli n. 40. 41.

[2]) Ita praeter auctores, qui scripserunt apologias, s. Clemens Rom. (cf. Iren. l. III. c. 3. n. 3.), S. Ignatius M. (cf. Euseb. hist. eccles. l. 3. c. 36.), s. Irenaeus adv. haer. l. I. Praef. cf. l. III. c. 2. n. 3. Origenes Comment. in Joh. Tom. V. n. 4. sub fin. (Opp. Tom. IV. p. 99.), s. Athanas. Orat. contra Gent. n. 1. Or. I. c. Arian. n. 1. et saep., s. Basilius adv. Eunom. l. I. n. 1. item ep. 135. n. 2. et al. Cf. Möhler, Athanasius P. I. p. 129.

[3]) „Ab Apostolo edocti“, inquit Synodus Nicaena II., „tenemus traditiones, quas accepimus, omnia recipientes et amplectentes, quaecumque sancta Catholica Ecclesia antiquitus (ἀρχῆθεν τῶν χρόνων) scripta et non scripta recepit.“ Conc. Nic. II. (Mansi Tom. XIII. col. 400.).

clesiae disciplinam, quae inde ab Apostolorum aetate variis temporibus viguit, prout occasio tulit, litteris mandarunt; eam porro doctrinam fusius explanarunt, et plurimis defenderunt argumentis; ast ne tantillum quidem immutare praesumpserunt. „Quae enim tradita sunt in catholica Ecclesia neque augmentum neque detrimentum admittunt“[1]); cum quod olim Deus per Filium suum, Prophetas et Apostolos revelavit, et Ecclesiae commisit, id unam Christianam fidem constituat plenam et immutabilem. Verum, quamvis omnia pari religione servata fuerint in Ecclesia, non eodem tamen tempore et modo, neque eadem perspicuitate fidelibus sunt exposita, sed pro varia temporum occasione, alia citius, alia serius, nonnulla statim manifeste, caetera aliquando nonnihil obscurius et magis implicite tradita fuere. Unde recte etiam explicatur Christi doctrina, quamvis omnino in semetipsa perfecta, nulliusque additamenti aut immutationis indiga; ista enim explicatio haudquaquam nova dogmata inducit, sed vetera, imo originalia, majori luce donat, aut a perversis et novitiis interpretationibus vindicat, aut rationibus et argumentis hucusque nondum satis perspectis fulcit et roborat.[2])

§. 9.

Diversae Scriptorum Ecclesiae species.

Scriptorum species.

Sequitur ex dictis in §. superiore, duas praecipuas Scriptorum Ecclesiae distingui oportere species, quarum unam constituunt Scriptores inspirati[3]), alteram auctores

---

[1]) Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi Tom. XIII. col. 325 sq.) Cf. S. Agatho P. in epist. I. ad Conc. Cp. III. lecta in Act. IV. (Mansi Tom. XI. col. 236.).

[2]) Cf. S. Vincent. Lirin. Commonitor. c. 23. (ed. Baluz.). Origenes lib. de Princip. Praef. n. 2. 3. Socrat. Histor. Eccles. l. 3. c. 7. Concilii Chalcedon. Allocutio ad Imperatorem (Mansi T. VII. col. 457.).

[3]) De inspiratione in genere agit Dogmatica generalis seu Theologia fundamentalis; de singulis auctoribus, qui in censum inspiratorum veniunt, fusius tractat Introductio in libros sacros.

non inspirati.[1]) Hi posteriores simpliciter vocari solent Scriptores ecclesiastici sensu latiori. Vocantur ergo *Scriptores seu Auctores ecclesiastici sensu latiori* viri doctrina conspicui, qui in communione Ecclesiae catholicae vel aliquandiu vel omnino ad finem usque vitae perseverantes de rebus ad fidem moresve aut disciplinam Ecclesiae spectantibus scripta reliquerunt. Inter hos porro alii simpliciter *Patrum* nomine veniunt, alii *Doctorum Ecclesiae* titulo honorantur. Tum vero *Scriptores ecclesiastici sensu strictiori* vocantur omnes illi viri doctrina conspicui, qui, si excipias Patres et Doctores Ecclesiae, ipsi Ecclesiae catholicae addicti eamdem scriptis suis illustrarunt, doctrinam scilicet fidei aut morum, sive alia, quae ad Ecclesiam quocunque modo spectant, pertractantes. A Scriptoribus ecclesiasticis probe secerni debent *Scriptores christiani*, quo nomine, *sensu latiori* accepto, omnes isti auctores intelliguntur, qui nomine christiano insigniti, sive ad Ecclesiam catholicam pertinerent, sive ad sectam quamcunque haereticam, scripta quaedam, potissimum ad religionem christianam spectantia, posteris reliquerunt. *Sensu strictiori* ii tantum intelliguntur, qui ab Ecclesiae communione sejuncti, attamen adhuc Christiani, ejusmodi scripta reliquerunt, ex. gr. Novatianus. De Scriptoribus ecclesiasticis sensu strictiori, nec non de Scriptoribus christianis sensu strictiori sumptis, Patrologia proprie non agit, sed de solis ss. Patribus.

§. 10.

Sancti Patres.

Patris notio.

Hic jam videndum, quinam intelligantur nomine sanctorum Patrum, et quibus notis dignoscantur ab aliis Scriptoribus ecclesiasticis. *Pater* generatim vocatur is, qui alium genuit, a quo iste alter habet, ut sit et vivat. Duplex autem est vita in homine, vita corporis, quae sita

[1]) S. Athanasius (?) Synopsis S. Scripturae n. 4.

est in conjunctione corporis cum anima tanquam principio sublimiori, et vita animae, quae consistit in conjunctione animae cum Spiritu Dei per gratiam, quam vocamus sanctificantem.[1]) Prout itaque vita duplex est, corporis et animae, ita et generatio, corporalis scilicet, quae vitam tribuit corporis, et spiritalis, quae vitam tribuit animae. Hinc praeter patres, qui vitam corporis singulis Deo adjuvante praestiterunt, etiam alii recte vocantur patres, quibus Deo auctore et adjutore vitam animae debemus. Vita autem animae confertur per fidem et baptismum.[2]) Unde patres vocantur, qui vel per baptismum vel per institutionem aliis vitam animae conferunt.[3])

Patrum appellatio.

Potissimum vero „Patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt".[4]) „Qui enim ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater"[5]), „seu magister"[6]), juxta usum loquendi S. Scripturae familiarem et jam ab Apostolo Paulo usurpatum, qui scribit ad Corinthios ad fidem Christi a se conversos: „Vos ut *filios*

---

[1]) Cf. S. Iren. adv. haer. l. V. c. 6. n. 1. c. 9. n. 4. et Clem. Alex. Strom. l. II. c. 7. l. III. c. 17.

[2]) Marc. 16, 16. cf. Joh. 3, 3. sqq.

[3]) S. Paulin. Nol. ep. 20. n. 6. et ep. 17. n. 3. cf. ep. 2. n. 4. S. Epiphan. haer. 75. n. 4. et al.

[4]) Clem. Alex. Strom. l. I. c. 1. Cf. c. 6. l. III. c. 15. l. V. c. 2. Euseb. hist. eccles. l. 6. c. 14. S. Chrysost. de Anna Serm. I. n. 3. „Non genuisse tantum patrem efficit, sed recte instituisse". — Unde etiam *Patres* latino nomine vocantur Veteres (ad imitationem vocis: *Abbas* ex lingua syro-chaldaica transsumptae), quos monachi vel ob senium venerandum prae caeteris suspiciebant, vel qui monasteriis erant praepositi. Praeterea etiam Sancti Veteris Testamenti, quos nunc Patriarchas compellare solemus, Patrum nomine exprimuntur in Ecclesia antiqua, ex. gr. S. Augustin. contra Faustum Manich. lib. 22. c. 23. 59. 82. 98. S. Fulgent. l. II. ad Monim. c. 3.; proprie „Sancti Patres, quos per S. Scripturam cognoscimus", ut ait P. Hadrianus I in epist. ad Carolum M. pro synodo Nicaena II. (Mansi T. XIII. col. 803). Denique etiam Episcopi in Conciliis, maxime oecumenicis, congregati saepe *Patres* vocantur.

[5]) S. Iren. adv. haer. l. IV. c. 41. n. 2.

[6]) S. Epiphan. haer. 75. n. 4. Cf. S. Athanas. Epist. ad Afros n. 7. Gregor. M. Moral. in Job l. 20. n. 15—16.

meos carissimos moneo; nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos *patres; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*".[1]) (1. Cor. 4, 14—15. Cf. Gal. 4, 19.). *Patres* itaque *Ecclesiae* vocantur illi, qui totam Ecclesiam scriptis suis illustrarunt et docuerunt, quosque ipsa Ecclesia ceu tales suspicit et veneratur.

Alii scriptores.

Haud exiguum enim intercedit discrimen inter veteres ecclesiasticae doctrinae tractatores. Quum vulgo sancti Patres appellentur, quicunque christiani Scriptores doctrina vel antiquitate conspicui fuerunt, ut Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Lactantius, Eusebius; proprie tamen Patres illi solum dicendi sunt, quos Ecclesia ipsa probavit, atque sinceros ac eruditos suae, seu potius Apostolicae et Christianae doctrinae testes, magistros et judices[2]) esse declarat. Prout enim Ecclesiae est, declarare infallibili auctoritate, quinam fuerint auctores inspirati, seu condere fixum canonem S. Scripturae[3]), ita etiam ipsius est declarare, quinam sint testes idonei et magistri doctrinae a Christo et Apostolis traditae, quam ipsa sola totam novit; adeoque ipsa sola, utrum in certis quibusdam scriptis vere contineatur, dijudicare valet. Constat enim, non omnes Episcopos vel Presbyteros, quos vi muneris patres seu magistros vocare licet, in vera et pura Christi doctrina tradenda ad finem usque perseverasse, sed quosdam eorum veritate excidisse, adeoque minime idoneos existere testes et magistros doctrinae a Christo et Apostolis Ecclesiae commissae. Quos universa Ecclesia tanquam magistros suos agnoscat, utique nonnisi ipsa Ecclesia sta-

---

[1]) Cf. S. Chrysost. Homil. 13. in I. Corinth. ad h. l. et S. Augustin. in Gestis Collat. Charthag. (a. 411.) 3, 239. 242 (Mansi T. IV. col. 231—32).

[2]) Eos recte etiam *judices* posse vocari, palam fit ex S. Augustino c. Julian. l. I. n. 23. l. II. n 34. 36. et S. Vincent. Lirin. Commonit. c. 30 (ed. Baluz).

[3]) „Ego vero", inquit S. Augustinus, „Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas". S. August. contra epist. Fundamenti n 6.

tuere potest; quod quidem ex ipsius sive expressa declaratione, sive praxi repetendum est.

Ecclesiae approbatio.

Et revera „Ecclesia semper hoc jure usa est, dum multos, quos in auctoritatem recepit, sancto Spiritu instruente“[1]), ceu ss. Patres venerata est, et in rebus dubiis consuluit, ut luculenter patet ex Conciliis Ephesino (Act. I.), Chalcedonensi (Act. II.), Constantinopolitano III. (Act. X.) et Nicaeno II. (Act. IV. et VI.), ubi non omnes promiscue Scriptores ecclesiastici ceu testes doctrinae sunt adhibiti, sed *Patres* duntaxat „*probabiles*“ seu approbati (*οἱ ἐγκριτοι τῆς ἐκκλησίας πατέρες*).[2]) — Eodem jure usa Ecclesia Dei complures alios Scriptores ecclesiasticos vel christianos, quantumvis eruditione et antiquitate eminerent, nunquam in ss. Patrum ordinem retulit, ita ut nullum ecclesiasticum documentum proferri possit, in quo ex. gr. Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Lactantius, Eusebius, habiti essent tanquam sancti Patres; imo unus alterve diserte fuerunt rejecti, ut Tertullianus et Lactantius[3]), nec non Eusebius Caesariensis Episcopus.[4]) De aliis vero, de quibus non satis constitit, priusquam in ss. Patrum ordinem admitterentur, sollicita habita est inquisitio.[5]) Ex his utique constat, Ecclesiam semper jus sibi vindicasse et exercuisse, Patres Ecclesiae designandi, nec alios

---

[1]) S. Hormisdae P. epist. 70. ad Possessorem Episcopum (Mansi T. VIII. col. 499).

[2]) Ita Concil. Lateran. Rom. a. 649. Can. 18. (Mansi T. X. col. 1157) et in Definit. fidei (ibid. col. 1149 sq.). Concil. Constantinop. III. Act. X. (Mansi T. XI. col. 392), s. Agathonis P. Epist. I. lecta in eod. Concil. (ibid. col. 269 sq.), Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 313). Denique cf. Agathonis P. Epist. cit. (Mansi T. XI. col. 236). S. Vincent. Lirin. Commonit. c. 3. (ed. Baluz.). S. Athanas. de sentent. Dionys. n. 3.

[3]) Decret. Gelasii P. in Synod. Rom. a. 494. (Mansi T. VIII. col. 151).

[4]) Concil. Nicaen. II. Act. V. (Mansi T. XIII. col. 176 sqq.) et Act. VI. (ib. col. 253.).

[5]) Ita de s. Ephraemio Antiocheno et de s. Anastasio Antioch. Concil. Cp. II. Act. X. (Mansi T. XI. col. 436 et 437.).

unquam Ecclesiae Patres agnitos esse, nisi quos ipsa receperat et approbaverat Ecclesia, adeoque nec alios etiam nunc pro veris Ecclesiae Patribus habendos esse.

§. 11.

Ss. Patrum notae.

Notae ss. Patrum.

Sed quaeritur, ad quid potissimum Ecclesia attendat, ut quemdam Scriptorum ecclesiasticorum in ordinem ss. Patrum recipiat, et ceu talem approbet. Sunt autem tria, quorum ratio hic habenda est:

a) *Doctrina orthodoxa et eruditio.*

Doctrina orthodoxa.

Doctrina orthodoxa necessario requiritur in Patribus Ecclesiae, quia vi nominis et muneris docere debent universam Ecclesiam, et ab hac tanquam magistri considerantur; utrumque sanam penes ipsos doctrinam exigit. Doctrinam hanc vel ab ipsis Apostolis vel ab eorum successoribus per manus traditam acceperunt[1]), et omni sollicitudine custodierunt[2]), et in communione totius Ecclesiae Catholicae perseverantes palam praedicaverunt[3]), adeo ut pronum esset Ecclesiae, scriptis eorum ubique dispersis, judicium ferre de orthodoxa eorum doctrina. Nec unquam Ecclesia eum, quem semel agnovit et approbavit tanquam s. Patrem, vel ipsa heterodoxiae incusavit, vel ab aliis heterodoxiae insimulari passa est.[4]) — Quantum

---

[1]) S. Athanas. de decret. Nicaen. n. 27. cf. Tertull. de praescript. c. 32 et c. 21. Unde et Patres generatim vocantur „Patres Apostolici“, quatenus Apostolorum doctrinam tenent et praedicant, vid. Agathonis P. epist. I. ad Impp. lecta in Concil. Cp. III. Act. IV. (Mansi T. XI. col. 233.), et in specie S. Leo M. nominatur „Pater Apostolicus“ l. c. (ib. col. 249).

[2]) „Custodes Ecclesiae Catholicae“ vocantur sancti Patres a Patriarcha Tarasio, acclamantibus omnibus Episcopis, in Concilio Nicaeno II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 128).

[3]) Cf. s. Athanas. de sentent. Dionys. n. 3. et supra allegata de s. Ephraemio Antioch et S. Anastasio Antioch.

[4]) Cf. hanc in rem Conc. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 291 sqq.), ubi refertur, Iconoclastas ad tuendam causam suam

Eruditio. vero ad *eruditionem*, quae in ss. Patribus requiritur, distinguenda est eruditio *sacra* et *profana*. Eruditio sacra consistit potissimum in doctrina fidei morumque, qualem Christus proposuit et Apostoli docuerunt, recte pleneque percepta, et penitius, quantum fieri potest, perspecta, solide porro fundata, et accurate dilucideque digesta. Eruditio autem profana circa alias quascunque disciplinas non religiosas eodem modo tractandas versatur.

Forma igitur utrique eruditionis generi eadem est et communis; neque differunt nisi quoad materiam. Unde et illi, qui omni eruditionis profanae apparatu instructi ad Ecclesiam accesserunt eamque scriptis illustrare coeperunt, formam eruditionis humanae recte poterant retinere eamque reapse retinuerunt[1]); sed illius materiam doctrinae Ecclesiasticae minime licuit admiscere, ita ut haec vel tantillum immutaretur sive additione, sive detractione, sive sensus adulteratione.[2]) Et ita quidem eruditio humana utilis est Patribus Ecclesiae, modo intra justos sese

---

etiam ss. Patres in medium adduxisse; sed s. Synodus ostendit, eos vel opera spuria ss. Patribus affinxisse (l. c. col 293 et 312), vel eos tanquam ss. Patres citatos fuisse, qui nequaquam pro talibus ab Ecclesia habeantur (l c. col. 313 sqq.), aut ss. Patrum locos perperam intellectos esse (l. c. col. 297 sqq. et col. 325), vel mutilatos (l. c. col. 301); minime vero concedit, ullum ss. Patrum contra fidem orthodoxam offendisse. Vid. etiam Hadriani I. P. Epist. ad Carol. M. pro Synodo Nicaena II, (Mansi T. XIII. col. 795—96.), et Synodica Concil. Francoford. a. 794 ad Episcopos Gall. et German. (Mansi T. XIII. col. 884 sqq.), ac dudum antea Concil. Cplitan. II. (a. 553) Collat. VIII. (Mansi T. IX. col. 373—74).

[1]) Exempli causa hic adducere libet viros omni eruditionis profanae genere ornatos, ss. Gregorium Naz. et Athanasium, quorum posterior Platonis Homerique libros assidue legisse videtur, sanctos item Hieronymum et Augustinum.

[2]) Exemplum hic illustre praebet „magnus ille vir" Origenes (Hieron. ep. 84. n. 8.), qui, maxima quamvis eruditionis laude floreret, sanctissimeque viveret, haudquaquam tamen inter sanctos Ecclesiae Patres receptus est, imo potius damnationis sententiam tulit in *Conc. oecumen. V. a. 553.* (Mansi Tom. IX. col. 395 sqq.) Cf. ejusdem Concil. can. 11. (l. c. col. 384), Concil. Cp. III. Act. XVIII. (Mansi T. XI. col. 632.), s. Sophronii Hierosolym. Synodica in Conc. Cp. III.

cohibeat limites, non vero dici potest necessaria. Eruditio autem sacra, cum nil aliud sit, nisi doctrinae a Christo traditae cognitio quoad materiam et formam perfecta, certe necessaria est Ecclesiae Patribus, quoniam eum, qui totam Ecclesiam vult docere, doctrina Christi perfecta pollere oportet.[1])

Sanctitas vitae.

b) Requiritur etiam *sanctitas vitae.* Sicut enim patres corporales et verbo et exemplo liberos instituere debent, ita et Patres Ecclesiae non solum praeclare scriptis fideles omnes doctrina salutis imbuere, sed et insigni virtutum exemplo, ut eorum institutio perfecta dici queat, eosdem ad salutem debent perducere.

Praeterea Ecclesia nunquam non arctissimum nexum inter eruditionem sacram et vitae sanctitatem agnovit, adeo ut illam absque hac rite excoli et perfici posse minime crediderit.[2]) Idem quippe est Spiritus Dei, quo auctore et adjutore homo pervenit ad sanctitatem, et quo auctore et adjutore sacram acquirit eruditionem; qui ubi non operatur, neque pervenitur ad sanctitatem, neque ad sacram eruditionem.[3])

Act. XI. (Mansi T. XI. col. 500.). Concil. Nicaen. II. in Definit. fidei Act. VII. (Mansi T. XIII. col. 377).

[1]) Hanc eruditionem sacram in ss. Patribus praecipue commendat S. Augustinus c. Julian. lib. II. n. 34.

[2]) C. Ferrand. in Vita S. Fulgentii Rusp. n. 1.

[3]) Unde sanctorum Patrum effata esse divini Spiritus haud obscure innuit Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 395) nec non ss. Patres vocantur *θεοφόροι* (Mansi T. XII. col. 975 et T. XIII. col. 129), *θεοφθόγγοι*, divinitus sonantes (T. XIII. col. 128 et 324), *θεῖοι* (T. XIII. col. 325); et „b. Athanasius sancto afflatus Spiritu“ dicitur in Hadriani I. P. Epist. ad Episcopos Hispan. (Mansi T. XIII. col. 867), „s. Basilius Spiritu S. repletus“ in Conc. Florent. Sess. 21. (Hardouin. T. IX. p. 252). Denique Concil. Nicaen. II. diserte testatur „illis a Deo datum esse sermonem ad doctrinam nostram et ad perfectionem catholicae et apostolicae Ecclesiae.“ Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 129.). Concil. Francoford. a 794. (Mansi T. XIII. col. 896 et 898). Cf. etiam s. Augustin. contra Julian. l. I. n. 20. et l. II. n. 34. Op. imperfect. c. Julian. lib. II. n. 214.

Antiquitas.

c) Denique etiam *antiquitas* certa quadam ratione attenditur. Olim quidem Episcopi sive Presbyteri haud adeo multo tempore antea defuncti, doctrina et sanctitate illustres, mox inter ss. Patres numerabantur[1]), imo paucis post obitum annis jam honorifico hoc titulo quandoque insigniti fuere[2]); quam primum scilicet in universa Ecclesia de eorum orthodoxa doctrina, eruditione sacra et sanctitate constitit. Hodie vero ita limitata est ss. Patrum periodus, ut nemo jam s. Pater audiat, qui post saeculum duodecimum vixit, et s. Bernardo († 1153) tribui soleat titulus: „Ultimus inter Patres“[3]); quapropter aevum ss. Patrum usque ad aevum scholasticum extenditnr. Quamvis autem aevum ss. Patrum communi fere eruditorum consensu ita statuatur; rectius tamen s. Bonaventura et s. Thomas Aquinas saeculo XIII agmen ss. Patrum claudere videntur.

Unde satis apparet Ecclesiam olim recipientem et approbantem ss. Patres tantummodo respexisse doctrinam orthodoxam et eruditionem, ac vitae sanctitatem, nec ullam tunc antiquitatis rationem habuisse. Quodsi rem, ut nunc est, consideramus, Patres utique omnes antiquis temporibus vixerunt, et major antiquitas aliquale etiam discrimen inter illos constituit. Sunt ergo ss. Patres scriptores ecclesiastici doctrina et sanctitate conspicui, qui ab Ecclesia catholica ceu testes doctrinae a Christo et Apostolis propositae, ab Ecclesia semper et ubique traditae, omni fide digni declarati sunt et approbati. Caeterum per se patet, in s. Patre non requiri, ut sit Episcopus vel Presbyter, quamvis plerique in hoc ordine reperiantur, cum his docendi in Ecclesia munus a Christo proprie commissum fuerit. Ast quum nec laici a mu-

---

[1]) Vid. Concil. Ephes. I. (a. 431.) Act. I. (Mansi T. IV. col. 1183 sqq.)

[2]) Sic s. Cyrillus Alexandr. († a. 444) jam a. 451. ss. Patribus annumeratus est, s. Leo M. ep. 165. Cf. Conc. Chalcedon. Act. II. (Mansi T. VI. col. 969) et Act. IV. (T. VII. col. 73.)

[3]) Mabillon Praefat. in S. Bernardi Edit. novam (Venetiis 1750) n. 23 et 26.

nere docendi penitus excludantur, et Spiritus sanctus nonnunquam et in laicos abunde descendat, etiam laici, ex judicio totius Ecclesiae egregie docentes caeterisque s. Patris dotibus instructi, inter ss. Patres referri possunt, ex gr. s. Prosper Aquitanus.

§. 12.

Criteria, quibus dignoscuntur sancti Patres.

Criteria varia.

Quodsi sancti Patres Ecclesiae approbatione constituuntur, quaeritur, unde approbatio ista sit petenda. Generatim approbatio isthaec fieri potest triplici modo, vel per Ecclesiam universam in Concilio oecumenico congregatam, vel per Summum Pontificem, visibile caput Ecclesiae et doctorem omnium Christianorum, vel denique per consensum Ecclesiae dispersae.

Quodsi triplex hoc principium, cognoscendi approbationem Ecclesiae, applicare instituamus, regulae sequentes prodibunt:

1) *Sancti Patres ab Ecclesia approbati habendi sunt, quicunque tanquam ss. Patres allegantur in Conciliis oecumenicis.* Hunc in finem praecipua attentione sunt digna Concilium Ephesinum (Act. I.), Chalcedonense (Act. I. et II.), Constantinopolitanum II. (Collat. III. et V.) et III. (Act. X.), Concilium Nicaenum II. (Act. I. IV. V. et VI.) et Florentinum. Non vero omnes, qui in Conciliis oecumenicis allegantur, sed ii tantum ss. Patres habendi sunt, qui hoc speciatim titulo laudantur.[1])

2) *Sancti Patres ab Ecclesia approbati habendi sunt omnes illi, quos summi Pontifices ut tales in publicis monumentis Ecclesiae propositis seu de fide tractantibus agnoverunt.* Huc praesertim spectant s. Leonis M. Epistola 165,

[1]) Sic ex. gr. Eusebius Caesareensis, Socrates, Rufinus, in Concilio Nicaeno II. citantur tanquam historiographi fide digni, non tanquam sancti Patres, Concil. Nic. II. Act. I. (Mansi T. XII. col. 1033 sqq.), item in Hadriani I Epistola ad Carolum M. de Imaginibus (Mansi T. XIII. col. 760—61).

Criteria varia

s. Gelasii I Decretum in Concilio Romano 70 Episcoporum editum anno 496[1]), s. Martinus I in Concilio Lateranensi Romano habito a. 649 (Secret. V.)[2]), s. Agathonis P. Epistola I. ad Imperatores, lecta in Concilio Constantinopolitano III. (Act. IV.) seu Suggestio ad VI. Synodum oecumenicam[3]), s. Gregorii II Epistola II. ad Leonem Isaurum de sacris Imaginibus[4]), P. Hadriani I Epist. ad Imperatores, lecta in Concilio Nicaeno II. (Act. II.)[5]), et ejusdem Hadriani I Epistola ad Carolum M. de sacris Imaginibus, seu Apologia pro Synodo Nicaena II.[6])

3) *Agnoscendi sunt tanquam ss. Patres ab Ecclesia approbati, qui in Martyrologio Romano venerationi fidelium proponuntur ceu „sanctitate et doctrina insignes“.* Hos enim non Ecclesia solum Romana recepit, sed iisdem universa simul Ecclesia Catholica suffragatur, scilicet Ecclesiae dispersae consensus, cum Martyrologium istud, si paucas quasdam excipias, in omnibus orbis ecclesiis adhibeatur,

---

[1]) Mansi T. VIII. col. 147 sqq. Gelasium vere hujus decreti auctorem esse, pluribus iisque firmissimis argumentis evincit Pagi in Critica Baron. T. II. ad a. 494 n. 2—7. Accuratius vero de partibus hujus decreti earumque origine agit Thiel, de Decretali Gelasii Papae de recipiendis libris; Braunsberg 1866. Idem postea decretum in Corpus Juris Canonici transiit Dist. 15. c. 3. — Decretum hoc opera distinguit in „recipienda“ et „apocrypha“. Apocryphorum autem nomine non tantum ea intelligit, quae canonicis opponuntur, et publica tantum ob naevos quosdam in Ecclesia lectione privantur, sed quae vel falsis titulis praenotantur, vel variis erroribus sunt aspersa. Benedicti XIV Bulla Martyrologio praefixa n. 24. 29. 30. Cf. de usu vocis: *apocryphus* S. Hieron. ep. 107. n. 12., s. Augustin. de Civit. Dei l. 15. c. 23. n. 4. et lib. XI. contra Faustum Manich. c. 2., s. Leo M. ep. 15. c. 15. et s. Turribii epistola huic subjuncta; Salviani ep. 9. item Servati Lupi Collect. de tribus quaest. sub fin. (Opp. Serv. Lupi ed. Steph. Baluz. Antverpiae p. 274.) et epist. 128. cum Nota Baluzii. Galland. Prolegom. T. I. c. 3. n. 1. Fontanini Histor. Aquilej. l. 5. c. 11. n. 8. Suiceri Thesaur. s. h. v. Honorat. a S. Maria Animadvers. in Crit. T. I. Diss. 7. Art. I. §. 1. et T. II. l. 4. Diss. 2. Art. I. §. 3—6.

[2]) Mansi T X. col. 1071 sqq. [3]) Mansi T. XI. col. 233 sqq.
[4]) Mansi T. XII. col. 975 sqq. [5]) Mansi T. XII. col. 1055 sqq.
[6]) Mansi T. XIII. col. 759 sqq.

adeoque scriptores isti, qui ibi publice tanquam „sanctitate et doctrina insignes“ praedicantur, fidelibus ubique ceu duces in via salutis et magistri orthodoxi commendentur. Non autem sufficit, si quem auctorem Martyrologium illud inter Sanctos simpliciter referat, cujus etiam scripta quaedam hodie extant, nisi eum disertis verbis a doctrina quoque commendet. Criteria varia.

4) *Merito quoque ss. Patribus ab Ecclesia approbatis accensentur ii, quorum scripta olim publice in sacris conventibus post s. Scripturam legi consuevere,* donec Concilium Laodicenum ejusmodi consuetudinem generatim abrogandam censuit.[1]) Id quod ex. gr. constat de s. Clemente Romano[2]), de s. Polycarpo[3]) et de s. Ephraem Syro.[4]) Idem quoque valet de iis, quorum scripta adhucdum in Officio Ecclesiastico legi solent.

5) *Denique inter ss. Patres ab ipsa Ecclesia approbatos poni merentur, qui ab insigni quodam Ecclesiae Patre, quem tota semper et ubique venerata est Ecclesia, in disquisitione dogmatica ss. Patrum nomine prolati sunt, ut ex eorum doctrina Ecclesiae doctrina patefieret.* Debent ergo ejusmodi Scriptores, ut revera pro Patribus haberi possint, ab *insigni Ecclesiae Patre* proferri, unde ex. gr. Theodoretus, qui ipse ss. Patrum albo excluditur, huic conditioni minime satisfacere potest; debent porro tanquam *ss. Patres* allegari, unde ex. gr. plurimi, qui apud s. Hieronymum occurrunt absque accurata determinatione, inter simplices Scriptores ecclesiasticos vel Christianos potius referendi sunt, quam in ordinem ss. Patrum cooptandi.[5]) Nisi itaque Pater ille, apud quem alii tanquam sancti Patres allegantur, vir sit in tota Ecclesia spectatissimus, quem omnes summopere venerantur, quocum omnes fere

---

[1]) Concil. Laodicen. c. 59.

[2]) Euseb. hist. eccles. l. 3. c. 16. S. Hieronym. de viris illustr. c. 15. Photii Biblioth. cod. 113.

[3]) S. Hieron. l. c. c. 17. [4]) S. Hieron. l. c. c. 115.

[5]) Vid. exempli causa s. Hieronym. ep. 119. praesertim n. 11.

omnium Ecclesiae partium Episcopi epistolare commercium foverunt, qui ergo recte ceu organum totius Ecclesiae consideratur, cujus sensum apprime novit; nisi is demum ex professo tractans de dogmate fidei vel morum aliquem expresso *Patris Ecclesiae* nomine proferat, hoc criterium locum habere non potest. Exempli loco inservire poterit s. Augustinus libro I. et II. contra Julianum Pelagianum.[1]) Caeterum regulae tres posteriores, uti accuratius consideranti facile patet, consensum Ecclesiae, singulae propria quadam ratione, exhibent.

§. 13.

Doctores Ecclesiae.

Doctorum Ecclesiae notio.

Inter sanctos Ecclesiae Patres nonnulli magis eminent et *Doctores Ecclesiae* vocantur. „Sancta quippe mater Ecclesia, adhuc in terra militans, et Sanctorum cum Christo felicissime regnantium immarcescibiles coronas cum gaudio admirans, non insignes tantum victorias et praeclara Sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, sed eosdem Sanctos, quos Deus mirifice honorificavit, ipsa quoque pie veneratur et colit, quorum nimirum praedicatione salutarique doctrina instituta, sanguine fundata, illustribus charitatis operibus atque exemplis educata fuit, quorum denique ferventibus apud Deum precibus quotidie adjuvatur. Quamobrem debitos congruosque honores unicuique Sanctorum singulatim tribuendo, ad coelestis illius Hierarchiae, ubi omnia in charitate perfecta ordinata sunt, normam atque imaginem sese conformare, quantum quidem in hujus praetereuntis mundi exilio licet, maxime studet. Nam quemadmodum in magna illa summi Patrisfamilias, bonisque omnibus cumulata domo mansiones multae sunt, et beatae illae animae mira quadam varietate unius gloriae beatitudine perfruuntur, sic Catholica Ecclesia, quae coelestis illius effigies est, ut castrorum acies ordinata, in

[1]) Cf. etiam S. Hieron. adv. Helvid. n. 17.

veneratione Sanctis Dei adhibenda, sacros illos ordines divino illustrata lumine agnoscit atque distinguit. — Inter illos vero beatissimos Sanctorum (Apostolorum, Prophetarum, Martyrum etc.) choros, quorum memoria a cunctis fidelibus religioso cultu merito celebratur, insigni splendore elucet *Sanctorum Doctorum* ordo a Paulo Apostolo diserte enumeratus. (1. Cor. 12, 28—29.) Hi sunt, de quibus divina Sapientia clamat: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt* (Eccli. 24, 31). De his angelus apud Danielem loquitur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* (Daniel 12, 3.) Eos denique Salvator ipse Christus Dominus insigni illo elogio ornavit: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.* (Matth. 5, 19.) Cum autem omnibus temporibus sacrorum Doctorum studium et doctrina in Ecclesia Dei utilis et salutaris fuit, maxime fructuosam et plane necessariam esse, res ipsa demonstravit, cum persecutorum Christiani nominis horribili furore represso in ipsa Ecclesiae pace teterrima haeresum bella vehementius excitata sunt; tunc enim haereticorum doli et fallaciae, qui diabolo instigante in agro Domini zizania superseminare non intermittunt, Doctorum cura et diligentia detectae, et pestiferi ac detestabiles errores gladio spiritus amputati, et Catholicae veritatis vi, sacris Doctoribus administris, mendacium prostratum fuit; quare jure optimo Hyadum stellarum[1]) nomine Sancti Doctores in Ecclesia designantur"[2]).

Doctores Ecclesiae.

Doctores Ecclesiae, quorum aetas nullis restringitur limitibus, ob admirabilem vitae sanctitatem simul et praecellentem doctrinam expresse semper ab Ecclesia ceu tales declarantur vel in singulari Constitutione hac de re emissa, vel proprio Officio Doctorum alicui eorum concesso, et universae Ecclesiae praescripto. Ad constituendum itaque

---

[1]) Vid. s, Gregor. M. Moral. in Job. l. 9. n. 15. Cf. n. 16. 17.

[2]) Ita Sixtus V Constit. *Triumphantis Hierusalem* d. d. 14. Martii 1588. (Bullar. Roman. ed. Luxemburg. 1727 T. II. pag. 677.)

Doctores Ecclesiae.

Ecclesiae Doctorem tria sunt necessaria, scilicet a) *eminens doctrina*, qua errorum tenebrae profligatae, obscura dilucidata, dubia declarata, Scripturarumve aenigmata reserata fuerint, b) *insignis vitae sanctitas*, c) et *expressa quaedam Ecclesiae agnitio vel declaratio.* Quodsi hanc regulam sequamur, inter eos, quos Dominus magnus spiritu intelligentiae replere voluit, quique tanquam imbres eloquia sapientiae suae in Ecclesia Dei emiserunt, Doctores Ecclesiae plures per decursum temporum numerati sunt. Jam olim secundum numerum Evangelistarum quatuor *magni Doctores* inter caeteros eminentes distingui solebant, qui sunt ss. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. in Ecclesia occidentali[1]), ss. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus in Ecclesia orientali. Hisce ut Doctores Ecclesiae accensendi sunt in Ecclesia occidentali s. Hilarius Pictaviensis[2]), s. Leo M.[3]), s. Petrus Chrysologus[4]), s. Isidorus Hispalensis[5]), s. Petrus Damiani[6]), s. Anselmus[7]), s. Bernardus[8]), s. Thomas Aquinas[9]), s. Bonaventura[10]), s. Franciscus Salesius[11]), s. Alphonsus Ligorius.[12]) Praeter quatuor magnos Doctores orientales veneratur Ecclesia occidentalis etiam s. Cyrillum Hierosolymitanum et s. Cyrillum Alexandrinum ut Ecclesiae Doctores.[13]) Orientales vero alios quoque ut sanctos Doctores colunt. Chaldaei e. g. quinta feria VI. post Epipha-

---

[1]) Cfr. Bonifatii VIII Decretalem *Gloriosus*, (L. III. tit. 22. c. unic. in VI.), et Clementis XII Constitutionem *Verbo Dei scripto et tradito* d. d. 28. Augusti 1733 §. 1.

[2]) Pius IX rogante Concil. Burdigal., v. Offic. eccles. d. 14. Jan.

[3]) Benedicti XIV Constitutio *Militantis Ecclesiae* d. d. 9. Novembris 1754. — [4]) V. Officium eccles. d. 4. Decbr.

[5]) V. Officium eccles. d. 4. April.

[6]) Ex decreto Leonis XII, v. Officium eccles. d. 23. Febr.

[7]) V. Offic. eccles. d. 21. April.

[8]) Ex decreto Pii VIII, v. Offic. eccles. d. 20. Augusti.

[9]) S. Pii V Constitutio *Mirabilis Deus* d. d. 11. April. 1567.

[10]) Sixti V Constitutio *Triumphantis Hierusalem* d. d. 14. Martii a. 1588. — [11]) Ex decreto Pii IX, v. Offic. eccles. d. 29. Jan.

[12]) Ex decreto Pii IX, v. Offic. eccles. d. 2. Augusti.

[13]) Ex decreto Leonis XIII, v. Offic. eccles. d. 18. Mart. et 9. Febr.

niam Commemorationem agunt Doctorum Graecorum, eoque die potissimum recoluntur ss. Polycarpus, Eustathius Antioch., Meletius, Alexander Hierosol., Athanasius, Basilius M., uterque Gregorius Naz. et Nyss., Joannes Chrysost., Flavianus, Cyrillus. Sexta feria VI post Epiphaniam agunt Commemorationem Doctorum Syrorum, ex quibus coluntur ss. Ephraem, Jacobus Nisib., Jacobus Sarug., Isaac M., Isaac Niniv. et s. Maruthas.[1])

§. 14.

De auctoritate SS. Patrum universim spectata.

Auctoritatis ratio.

Auctoritas est vis probandi aut praecipiendi, inhaerens personis aut dictis quibusdam, qua sola permovemur sive ad agendum, etiam non ponderatis rationibus, quae assertionem aliquam, aut praeceptionem suffulciunt, vel contra easdem militant. Auctoritas haec potest esse *magna*, *maxima* aut *absoluta*. Ubi *magna* personae cuidam vel effato inest auctoritas, ex illa probabilitas nascitur, et non licet inde recedere, nisi aut major id suadeat auctoritas, aut ratio quaedam admodum gravis, aperta et manifesta in contrariam partem rapiat. Ubi *maxima* adest auctoritas, summa inde oritur probabilitas, quam temerarium foret deserere nisi ex contraria parte absoluta id urgeat auctoritas. Ubi *absoluta* habetur auctoritas, ex ea provenit plena certitudo, a qua nunquam recedere licet.

Porro viri docti in varias de auctoritate ss. Patrum abierunt sententias.[2]) Prima sententia, cujus auctor vulgo creditur Abbas Fredegisus ineunte saeculo nono[3]), quem secutus est Glossator Decreti Gratiani (Dist. 9.), tenet,

---

[1]) V. Nilles, Kalendarium utriusque Ecclesiae, Tom. II. pp. 663. 664. Innsbruck 1881.

[2]) Has paulo enucleatius exhibet Wiest Patrolog. P. II. Sect. II. c. 1. §. 311—19.

[3]) Vid. s. Agobardi Lugdun. lib. adv. Fredegisum n. 7—13 in Agobardi Opp. ed. Baluz. Paris. 1666. T. I. p. 171—80. De isto Fredegiso Abbate cf. Baluzii Not. in Agobard. T. II. Append. p. 70—71.

Variae sententiae.

auctoritatem ss. Patrum cum auctoritate Prophetarum divinorumque Scriptorum esse comparandam, et post Ecclesiae approbationem ad unum usque jota fidem iis adhibendam esse. Sed haec sententia, quae paucos admodum nacta est sectatores, nimium attollens auctoritatem ss. Patrum stare non potest, quandoquidem nemo inficias ibit, aliquos saltem errores majores minoresve in scriptis ss. Patrum singillatim sumptis contineri.[1]) — Acatholici vero in scriptis ss. Patrum nil nisi monumenta antiqua agnoscunt, quae ipsis notitiam praebeant variarum rerum, quibus ad magis magisque excolendas theologiae disciplinas bene utantur; unde dicta testimoniaque Patrum ea tantum ratione adhibent, non ut ex illis debeant probari dogmata, quod per ea, tanquam effata humana fieri haud posse affirmant, sed ut ex illis videamus, Deum veram doctrinam conservasse ac propagasse. Auctoritatem itaque ss. Patrum ex sola plerumque eorum eruditione, de qua tamen diversi pro lubitu diversimode statuunt, et antiquitate, fortassis etiam sanctitate, dimetiuntur.[2]) Sed illi, quod traditionem Ecclesiae ceu fontem alterum doctrinae a Christo propositae rejecerunt, etiam ss. Patrum, qui testes sunt illius traditionis, auctoritatem rite determinare minime valent Et insuper ex eodem falso principio, quo s. Scripturam ope solius rationis humanae interpretari praesumpserunt, etiam ss. Patrum opera eadem plane ratione tractant et exponunt; nec unquam, explosa Ecclesiae auctoritate, firmum quoddam criterium invenire poterunt

---

[1]) Id quod ipse concedit C. Bellarminus in praeclaro Opere de Controversiis Christianae fidei, vid. De Christo L. II. c 2. et De Purgatorio L. I. c. 10.

[2]) Walch Biblioth. Patrist. c. IX. §§. 90. 150—152 et Danz Initia doctrinae Patristicae §. 51. Ita quoque Epitome Formulae Concordiae c I. n. 2, (Libri symbol. ecclesiae Evangel. ed. Hase. Lipsiae 1827. Vol. II. p. 570—71), quae statuit: „Patrum scripta . . . sacris litteris nequaquam sunt aequiparanda, sed universa illis ita subjicienda sunt, ut alia ratione non recipiantur, nisi *testium* loco, qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora et in quibus partibus orbis doctrina illa Prophetarum et Apostolorum sincerior conservata sit.“

dijudicandi, quinam vere censendi sint Patres Ecclesiae, seu testes doctrinae, quam Christus Ecclesiae commisit, fide digni.

Principia de auctoritate ss. Patrum.

Ut igitur de auctoritate ss. Patrum sive collective spectentur sive distributive et singillatim feratur judicium, maxime ea inserviunt quae de s. Patris notione exposuimus; praeterea vero quaedam principia theologiae hac in re apprime prae oculis habenda sunt. — Christus Dominus in sua Ecclesia instituit magisterium perenne atque authenticum, per quod depositum fidei Apostolis commissum, jugiter conservaretur, explicaretur ac fidelibus cum auctoritate proponeretur. Constituitur autem hoc magisterium et ministerium authenticum in Ecclesia per successores Apostolorum, Episcopos, qui sunt custodes fidei, testes, doctores, et pastores a Christo ordinati. Corpus hoc Pastorum et Doctorum in unione, consensione et subordinatione ad visibile Ecclesiae caput Romanum Pontificem, charismate divino, in custodia, traditione et explicatione fidei deficere et errare non potest. Quodsi igitur constat de consensu illorum custodum et doctorum fidei, aliquam doctrinam pertinere ad fidei depositum vel intime cum eodem cohaerere, manifestum est eidem non posse subesse errorem. Praesertim vero ex ss. Patrum operibus et testimoniis ille testium et custodum fidei consensus quoad doctrinas tenendas elucet. Universim autem singulorum quoque Patrum auctoritas ex eorum sanctitate, et eximia doctrina, ex eorum antiquitate et dignitate in ordine hierarchico, ex eorum conjunctione intima cum tota Ecclesia atque ex veneratione qua ipsa Ecclesia eos jugiter prosequebatur efflorescit. — Hisce positis facile intelligentur haec principia quae de ss. Patrum auctoritate statui possunt.[1])

---

[1]) Non incongrue quidem jam Melchior Canus (De locis theologicis L. VII c. 3), s. Vincentii Lirinensis (in Commonitorio cc. 2. 3. 19. 20) vestigia premens, regulas de auctoritate ss. Patrum statuit. Sunt tamen aliqua ab ipso minus accurate ibidem dicta, uti ostendit Em. Franzelin in Tractatu *de Traditione* Th. XV. ed. 2. p. 180. Unde

Principia de auctoritate ss. Patrum.

Itaque 1° si consensu unanimi ss. Patres docent, aliquam doctrinam ad fidei depositum pertinere, plane indubium est rem ita habere. Etenim ejusmodi consensus in consensum ipsius magisterii Ecclesiae seu Episcoporum refunditur. Sunt videlicet ipsi Patres inter Praesules maxime insignes, et si qui fuerunt haud Episcopi, uti s. Hieronymus, hisce sanctum erat, ut doctrinam Ecclesiae tenerent ab eaque non discederent. Ita concors ejusmodi sententia Patrum, consensum Ecclesiae docentis exhibet. Ac facile vides hoc jam valere, etiamsi tantum Patres certae cujusdam aetatis tali in assertione consoni inveniantur. „Ipse igitur consensus Patrum in doctrinam fidei non ideo veram infallibiliter exhibet sententiam, quod singuli consentientium per se et subjective sint infallibiles; sed quamvis singuli possint errare, ex promissione Christi infallibiliter certum est, consensum omnium nunquam posse esse in aliquem errorem contrarium fidei, nunquam fuisse et vi promissae divinae providentiae nec esse potuisse, cum hujusmodi communis consensus contra fidem Ecclesiae traditam jam ipsius fidei et traditionis Ecclesiae corruptionem vel supponeret vel induceret".[1])

Est autem 2° persaepe ea Patrum, adjunctorum, controversiae alicujus conditio, ut ex paucorum etiam Patrum insignium sententia inferri possit, doctrinam quam tradunt ad fidem totius Ecclesiae pertinere. Illi Patres et Doctores qui contra varias haereses pro causa catholica decertantes, veluti duces eminuerunt et inspectante ac laudante tota Ecclesia errores istos confutaverunt, etiamsi pauci sint numero, tamen sua testificatione ostendunt, quaenam sit doctrina Ecclesiae. Apparet enim consensus totius Ecclesiae cum talium Doctorum doctrina. Ejusmodi Patres sunt e. g. ss. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Augustinus pro mysterio ss. Trinitatis contra Arianos; ss. Cyrillus Alex., Leo M., Agatho, Sophronius,

---

satius visum est ea principia hoc loco afferre, quae ab ipso Em. Franzelin l. c. Th. XIV et XV proponuntur.

[1]) Franzelin. Tract. de Traditione; Th. XV. p. 178.

pro mysterio de Verbo incarnato contra Nestorianos et Monophysitas; ss. Augustinus ac Fulgentius pro doctrina de gratia contra Pelagianos.[1]) Generatim si Patres etiam pauciores magni nominis positive docent, aliquid ad fidem catholicam pertinere; si hoc testimonium ferant iis in adjunctis, ut non potuerit latere reliquos Praesules et Doctores suae aetatis et subsequentium; ac si huic eorum doctrinae nemo contradixit, sed eadem recepta esse apparet, satis patet, talium etsi paucorum Patrum testimonia vim certi argumenti habere.[2]) Principia de auctoritate ss. Patrum.

Valent 3° haec quae diximus de consensu Patrum, quo testantur aliquam veritatem ad fidem pertinere, etiam de *unanimi conceptu et intellectu* doctrinae, quia ejusmodi unanimis conceptus doctrinae nihil est aliud quam *intellectus catholicus* formatus et expolitus sub infallibili assistentia et directione Spiritus Sancti.

Si consensus ss. Patrum 4° existat in doctrinam vel doctrinae explicationem tanquam religiosam et veram, quin tamen satis appareat, utrum eam proponant tanquam doctrinam fidei, vel ejus intellectum catholicum, vel etiam si consensus non sit adeo manifestus, tamen temerarium (sensu theologico) foret, ejusmodi doctrinae repugnare.

Solet 5° passim statui, in quaestionibus philosophicis tantum valere ss. Patrum auctoritatem, quantum valent rationes quae ab ipsis afferuntur. Id quidem verum est, si agitur de quaestionibus *mere* philosophicis. Atque animadvertendum est, in ejusmodi quaestionibus vix unquam accidere ut consensus adsit ss. Patrum, nec talia proponuntur ab iis ut doctrinae, quas fidelibus inculcare vellent, sed potius disserendo vel per transennam de ejusmodi rebus agunt. — Sed bene animadvertendum est,

---

[1]) V. Franzelin, l. c. p. 175. — Hoc intelligendum est de doctrina ipsa quae contra haereticos defendebatur. Quod vero ad quaestiones incidentes ac subtiliores spectat, attendenda sunt verba s. Coelestini I R. P. in epistola ad Episcopos Galliae (ep. 21): „Profundiores difficiliores-que partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere."

[2]) V. Franzelin, l. c. p. 176.

Principia de auctoritate ss. Patrum.

quaestiones per se philosophicas posse esse et frequenter esse *secundum quid* vere theologicas. Etenim in plerisque scientiis ut ab hominibus ex principiis mere naturalibus et ex fontibus non revelatis excoluntur et excolendae sunt, in philosophia potissimum tum theoretica tum practica, in historia, geologia, ethnographia etc., reperiuntur veritates, quae simul sunt revelatae vel cum revelatis connectuntur. Eo v. g. pertinet quaestio de naturali vi rationis ad cognoscendam existentiam Dei et de modo cognitionis; notio quoque accuratior et adaequata *personae* et *naturae,* quae constitui non potest, quin simul ea quae revelata sunt prae oculis habeantur.[1]) Atque in talibus certe auctoritas Patrum habet suam vim, uti superius eam exposuimus. Passim autem non *a priori* statui potest, aliquam quaestionem esse mere philosophicam, vel non pertinere ad fidem ejusve explicationem. Sed tutius id saepe colliges ex ipso modo docendi Patrum. Neque enim, ut jam innuimus, res, quae tantummodo philosophicae sunt, reperies a ss. Patribus communi aliquo consensu tractatas et assertas tanquam ad religionem pietatemque christianam pertinentes. Si vero tali ratione quaedam unanimi consensu tractant atque proponunt, eo ipso concludes, quaestionem non mere philosophicam esse.[2])

Quoad singulorum ss. Patrum auctoritatem in re fidei et morum, 6° breviter ita statui potest: Singulorum Patrum auctoritas per se spectata sane non est infallibilis et peremptoria. Evenit etiam quandoque, ut in errorem inciderent, prouti accidit ss. Cypriano et Firmiliano in quaestione de valore baptismi haereticorum Persuadet tamen universim non modo pietas sed etiam manifesta ratio, ut et singulorum sententiae theologicae non parvi fiant, et nonnisi cautissime in sensum accipiantur dissonum a communi aliorum Patrum in dogmate et in rebus theologicis doctrina.[3]) Singulis etiam Patribus ejusmodi venerandam

---

[1]) Cfr. Jungmann Tract. de Deo uno P. I. C. I. A. I., de Verbo incarnato P. I. C. II. A. II.

[2]) V. Franzelin, l. c. Thesis XV. p. 180 sqq. [3]) Ibidem p. 177.

auctoritatem convenire, constat ex eorum saltem plerorumque munere pastorum, ex singulari fide, unitatis veritatisque studio, ex scientia et eruditione in doctrina et disciplina christiana, ex sanctitate eximia, qua peculiaribus Dei illustrationibus se aptiores reddiderunt, et christianam doctrinam non solum verbis et scriptis, sed vita ipsa expresserunt. Deducitur id ex vetustate, qua ad initia rei christianae propius accedunt et tempore cum ipsis Apostolis propinquius cohaerent, ex veneratione praecipua qua in Ecclesia Dei tum viventes tum post obitum semper habiti sunt tanquam singulari Dei erga suam Ecclesiam providentia electi et charismatibus doctrinae et sanctitatis abundantius instructi ad explanationem, illustrationem et definitionem fidei christianae.[1]) Principia de auctoritate ss. Patrem.

Ex dictis etiam colliges 7° non facile supponi posse, aliquos Patres doctrinam tenere a doctrina communi alienam, adeoque quantum fieri potest effata Patrum ambigua explicanda sunt in sensu consono communi aliorum doctrinae. — Quodsi vero reapse dissensus aliquot Patrum deprehenditur, re bene examinata invenietur, id provenisse *ex obscuritate rei*, de qua nondum prodierat solemne judicium vel quae longiore disquisitione nondum enucleata erat. In veritatibus fundamentalibus ejusmodi dissensus verus locum nunquam habebit.

Ad quaestiones demum 8° quas constat *mere* profanas esse, non se extendit Patrum auctoritas sacra. Sed singulorum opinio sententiave eum habet valorem, quem ipsis conciliant argumenta vel perspecta auctorum in subjecta materia scientia et sapientia.

Haec igitur universim de auctoritate ss. Patrum statui possunt.

§. 15.

De auctoritate ss. Patrum quoad quasdam disciplinas.

Qualis sit ss. Patrum in rebus dogmaticis et moralibus, seu in re fidei et morum, ex iis quae diximus col-

[1]) Ibidem p. 183.

ligitur. Opportunum vero videtur aliqua etiam adjicere quoad alias quasdam disciplinas, videlicet quoad auctoritatem illorum in expositione s. Scripturae, atque in Ascesi et theologia quae Pastoralis dici solet.

SS. Patres quoad expositionem s. Scripturae.

Quoad auctoritatem igitur ss. Patrum *in expositione sacrae Scripturae,* jam s. Leo M.: *Non licet,* inquit, *aliter de divinis Scripturis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri dixerunt atque docuerunt.*[1]) Tridentina Synodus vero, ad coërcenda petulantia ingenia decernit, „ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat."[2]) Sacrum Concilium Vaticanum vero hoc decretum non solum renovavit, sed etiam ulterius explicavit, statuens: „Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari".[3]) Quodsi videlicet ss. Patres in rebus fidei et morum unanimi consensu s. Scripturae sensum nobis exhibent, talis sensus necessario verus est, uti ex characteribus qui ss. Patribus conveniunt facile colligitur. Ejusmodi consensu simul manifestatur, hunc esse eum sensum quem Ecclesia tenet. Exemplum talis consensus quoad

---

[1]) Ep. 82. c. 1. — [2]) Sess. IV. [3]) Sess. III. C. II. de Revelatione.

sensum s. Scripturae habes e. g. commemoratum in Constitutione Clementis V in Concilio Viennensi edita, qua rejicitur error Joannis Olivae vel asseclarum ejus qui asseruerant, Christum, quum adhuc viveret, in cruce, lancea perforatum fuisse. Adducto textu s. Joannis „ut viderunt eum jam mortuum . . . unus militum lancea latus ejus aperuit etc.“ statuit Pontifex: „Nos igitur ad tam praeclarum testimonium ac sanctorum Patrum et Doctorum communem sententiam, Apostolicae considerationis, (ad quam dumtaxat haec declarare pertinet,) aciem convertentes, sacro approbante Concilio declaramus, praedictum Apostolum et Evangelistam Joannem rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse: narrando quod Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.“[1])

Quoad exposit. s. Scripturae.

In allatis Conciliorum decretis, uti liquet, agitur de unanimi consensu de Scripturae sensu *in rebus fidei et morum* etc., adeoque Synodus Tridentina et Vaticana non statuerunt, piaculum esse a Patribus discedere in quaestionibus *mere* mathematicis, physicis, astronomicis, geographicis aliisque ejusmodi rebus, quibus sacrae litterae materiam vastam suppeditant. — Illud etiam silentio haud est practermittendum, non tam opera Patrum exegetica, in quibus genio sui aevi indulgentes allegoriis captandis nimium quandoque intendebant, esse consulenda, sed opera dogmatica, moralia et polemica, in quibus sat frequenter Scripturae loca, ex quibus dogmata fidei morumque probantur, luculenter tractant et solide exponunt.

In ipsis quoque operibus Patrum exegeticis accurate discerni debet sensus Ecclesiae, quem ab ipsa loco cuidam s. Scripturae tribui Patres diserte testantur, a propria vel singulari ss. Patrum opinione, et a sententiis aliorum, nonnunquam etiam haereticorum, quas in Commentaria sua referre officii sui duxerunt.[2]) Maxima est auctoritas expositionum primi generis, magna plerumque expositionum alterius, diversa denique pro diversitate auctorum est auctoritas explanationum tertii generis.

[1]) V. Corp. Juris, Clementin. Tit. I. Cap. unic.

[2]) S. Hieronym. adv. Rufin. lib. I. n. 16. lib. III. n. 11. et saep.

Quoad exposit. s. Scripturae.

Patrum demum singillatim acceptorum in exponenda s. Scriptura eo gravior est auctoritas, quo major fuerit eorum sanctitas, quo praestantior eruditio, sacra et profana, demum quo excellentiori in gradu Ecclesiae calculum approbantem tulerint in hac speciatim materia. Qua ratione maxime eminent in expositione theoretica s. Hieronymus, quem Ecclesia „in exponendis sacris Scripturis Doctorem maximum“ in Officio compellat, in expositione vero practica s. Joannes Chrysostomus.

Itaque Catholicus interpres sacram Scripturam in rebus fidei et morum „*juxta unanimem consensum* Patrum accipere et interpretari“ tenetur[1]); sed cum raro et paucis tantum in locis ejusmodi ss. Patrum consensus habeatur, in reliquis autem id unum cavendum sit, ne locum quemcunque *contra consensum* Patrum in rebus fidei et morum interpretemur, palam fit, interpretum diligentiae, non obstante illa Ecclesiae sanctione contra petulantia ingenia, amplissimum patere campum. Et revera in rebus, quae ad aedificationem Ecclesiae non pertinent, circa quas interpretum recentiorum industria plerumque versatur, vix ullum Ecclesia frenum injecit. Licentia tantum perniciosa, quae cuncta subvertere conatur, restringitur et coërcetur, libertas ingeniorum non tollitur; quin imo, ut verius dicam, vera et perfecta ingenii humani libertas sic demum inducitur, dum Ecclesia homines ea ratione ab errore retrahit, et ad veritatem divinam quasi manu ducit; eam enim veritatem, ad quam omnes facti sunt, dum libenter et gratanter amplexantur homines, summam, veram et perfectam libertatem assequuntur.[2])

---

[1]) Professio fidei Catholicae a Pio IV edita. Cfr. Concil. Trid. Sess. 4.

[2]) Cardinalis Cajetanus sive Cardinalis Thomas a Vio, qui in sua Praefatione in Pentateuchum legem Concilii Tridentini violare quibusdam visus est, nimiam libertatem s. Scripturae explanatoribus vindicando, nonnullos ideo nactus est Censores, ut Melch. Canum Op. c. lib. 7. c. 3. Concl. 5. Cf. Wiest §. 317.

De auctoritate ss. Patrum in *Ascesi et Pastorali* haec opportune prae oculis habenda sunt. In hisce duabus disciplinis theologicis, ut rite figatur ss. Patrum auctoritas, ante omnia distinguere juvat ea, quae constituunt earumdem principia dogmatica et moralia, ab iis, quae concernunt sive media sive modum ad virtutem et sanctitatem perveniendi, verbum Dei praedicandi, sacra administrandi, animasque ad salutem aeternam dirigendi. — Principia illa cum nihil aliud sint, nisi ipsissima fidei morumque dogmata, in sanctis Patribus sunt exquirenda et invenienda; et quoad hanc partem auctoritas ss. Patrum in Ascesi et Pastorali eadem est, quae in rebus fidei et morum. Quoad Ascesim et Pastoralem.

Quantum ad media modumque, ea vel ex rei natura et ex genio religionis christianae accuratius perspectae et in succum sanguinemque versae fluunt, vel principiis psychologicis innituntur, vel a circumstantiis externis temporum locorumque ac personarum pendent. In rebus asceticis et pastoralibus primi generis, seu in modo mediisque perfectionem Christianam acquirendi, animasque in via salutis dirigendi, quae ex rei natura genioque religionis christianae fluunt, maxima est auctoritas sanctorum Patrum. Haec enim mera sunt plerumque consectaria ex dogmatibus fidei morumque rite expensis; itaque quanto profundius et accuratius aliquis ipsa dogmata fidei morumque cognoverit et perspexerit, omnique ex parte consideraverit, et quanto diutius et maturius hoc consilio illa expenderit, eo melius et perfectius percipiet, quaecumque ex illis pro vita propria ad normam perfectionis instituenda et pro salute aliorum promovenda recte possint deduci. Si quis insuper haec non meditando tantum invenire studuerit, sed inventa quoque sollicite seduloque exercuerit, sicque contemplationi vitam activam junxerit, quandoquidem his maxime in rebus experientia est optima magistra, majori adhuc potietur auctoritate eadem in materia. Sancti Patres autem utpote viri et eruditione sacra et sanctitate praestantes et approbatione Ecclesiae insigniti, et plerumque Episcopi, qui in cura Pastorali egregie ad-

Quoad Asecesim et Pastoralem.

ministrata haud raro consenuere et plausum totius orbis Christiani retulere, hisce omnibus dotibus gaudent; jure merito itaque summa hac in parte habetur eorum auctoritas. — In altero genere rerum asceticarum et pastoralium, in iis scilicet, quae principiis psychologicis innituntur, magna certe est sanctorum Patrum auctoritas, licet non tanta, quanta in rebus primi generis. Haud equidem inficias ierim, in psychologia theoretica complures eorum parum versatos nec solide instructos fuisse; sed, in qua rei hujus omnis cardo vertitur, in psychologia practica vix non omnes insigni cum eventu divina gratia adjuvante praeclaram posuerunt operam. — In tertio denique genere rerum asceticarum et pastoralium, in iis, quae ab externis circumstantiis ut plurimum pendent, distinguere juvat, utrum circumstantiae hodiernae eaedem adhuc sint, in quibus ss. Patres olim versabantur, an diversae modo deprehendantur. Ubi eaedem sunt circumstantiae externae, magna est sanctorum Patrum auctoritas et eorum agendi ratio exemplum omni imitatione dignum; ubi notabiliter fuerint immutatae, si non externa ipsa agendi ratio imitanda, saltem spiritus, quo ducuntur agentes, indagandus erit et mutatis mutandis, quae prudentia vere christiana suggesserit, sectandus. Attentis itaque et rite ponderatis circumstantiis ejusmodi plerumque evanescent contradictiones, quas vel in scriptis diversis unius Patris, vel in scriptis variorum Patrum de una eademque re tractantibus aliquando deprehendere licet.[1]) Oportet ergo hac in parte accurate expendere et definire, quale genus rerum asceticarum et pastoralium in singulis Patrum sive

[1]) Si hoc principium recte applicatur, facile solventur ex. gr. contradictiones apparentes Patrum de sacris peregrinationibus loquentium, quorum nonnulli eas impense laudant atque commendant, alii contra, ut s. Gregorius Nyssenus, eas improbare videntur et dissuadere tanquam noxias. — Nec ipse s. Hieronymus quidquam nobis negotii facesset, eadem de materia uno loco asserens: „Adorasse, ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est“ (ep. 47 n. 2.), dum alibi idem contendat: „Ne quidquam fidei tuae deesse putes, quia Jerosolymam non vidisti.“ (Ep. 58. n. 4.).

scriptis sive locis pertractetur, et si forte plura simul jungantur, quale genus praeponderet, ut deinde ex principiis modo stabilitis auctoritatem ss. Patrum recte ubique dimetiamur. Non igitur quemquam hoc errore duci oportet, ut si quid Augustinus, Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamque hujus temporis fecerint locutive fuerint, idem statim sibi arbitretur licere. Nam res nonnullae non erant tunc adeo in Ecclesia definitae, ut nunc esse videmus; minime vero licet auctoritati unius alteriusve s. Patris insistendo Ecclesiae canones relinquere aut iisdem refragari.[1]) Praeterea magnis illi et divinis bonis quamdam licentiam faciendi dicendique assecuti sunt, quae non est passim cuilibet permittenda. Atque etiam si nostra hac aetate illi vixissent, quaedam profecto aliter et facerent et loquerentur. — Quae modo exposita sunt de auctoritate ss. Patrum in Ascesi et Pastorali Theologia, non minus valent in Jure canonico.[2]) Quoad Ascesim et Pastoralem.

§. 16.

Solutio objectionum contra ss. Patrum auctoritatem.

Superest demum, ut haec de auctoritate ss. Patrum in rebus theologicis doctrina contra objectiones vindicetur. Insurrexerunt autem potissimum contra ss. Patrum auctoritatem Protestantium quidam, ut Rivetus, Dallaeus, J. Clericus et Basnagius.[3]) Objicere vero solent primo: Sancti Patres homines sunt, et qua tales errori obnoxii, quandoquidem labi et errare humanum est; nunquam ergo illis

---

[1]) Vid. Decret. Gratiani Dist. 20. praes. c. 1.

[2]) De auctoritate ss. Patrum in Jure canonico vide J. B. Bartholi Episcopi Feltrensis Instit. Juris Canon. c. 41 et 42 (Augusti 1749), Zallwein, Principia Juris Eccles. Tom. I. Quaest. IV. c. 6., C. Soglio, Institutiones Juris publici ecclesiastici, Praenot. §. 39 et 40, Laureti 1844, p. 89—92.

[3]) Andr. Rivetus in suo *Tractatu de Patrum auctoritate,* qui praemissus invenitur ejusdem *Critici sacri* libris quatuor, qui saepius prodierunt 1612, 1625 etc. Genevae, Lipsiae et al. — J. Dallaei *de Usu*

Objectiones solvuntur.

tanta auctoritas competere potest, ut in rebus fidei plenam et indubitatam fidem facere possint. Respondemus: Consensus Patrum utique, quatenus Patrum est, testimonium est humanum, non vero, quatenus Ecclesiae fides est. Sicut enim regia diplomata regiam auctoritatem non habent, ut ab ipsius ministris conscripta sunt, sed ut regio sigillo sunt obsignata, et mandata regia continent; ita Patrum sententiae in ejusdem dogmatis assertionem diversis locis atque temporibus consentientium illudque proponentium ut dogma fidei, testimonii humani limites et vires excedunt, non per se spectatae, sed ut Ecclesiae veluti sigillo obsignatae et auctoritate receptae, ejusque doctrinam ab Apostolis traditam continentes et exprimentes. Non itaque idcirco eorum sententiis assentimur, quod ipsi dixerint, sed quia ipsius Ecclesiae catholicae, ex Dei dono juxta Christi Salvatoris promissionem infallibilis, sensum exprimunt ac personam repraesentant, nec proinde respui possunt, quin summa Veritas, ipse nimirum Deus verax, respuatur. Unde merito verba Christi huc referuntur: „Qui vos spernit, me spernit“ (Luc. 10, 16.)[1])

Objiciunt praeterea: SS. Patres, quod apud omnes in confesso est, aliquando errarunt etiam in rebus fidei ideoque a se invicem aliquando dissentiunt; quin etiam

---

Patrum libri II. Genevae 1632 (gallice), et interpretatione latina ab ipso auctore recognita, aucta et emendata Genevae 1656 et 1686. Hujus argumenta brevi conspectu exhibet simul et refellit Natalis Alexander in Histor. Eccles. Saecul. II. Dissert. 16 §. 22 et 23. Variorum inter ipsos Protestantes de hoc Dallaei opere sententias, ejus patronos et adversarios exhibet J. G. Walch in sua Bibliotheca Patristica c. 15. §. 150. Praecipue vero illum Dallaei librum extollit vir caeteroquin eruditissimus, sed in ss. Ecclesiae Patres nimis iniquus et acerbus, Joannes Clericus in epist. critica 4. (in Arte Crit. III. p. 98). Novus denique peroratae olim a Riveto et Dallaeo causae succurrit patronus Basnagius Dissert. IX. in fine saec. II., cujus argumenta profert et expendit J. D. Mansi in Nota ad Nat. Alex. Dissert. supra allegatam.

[1]) Cf. s. Hieronymi Comment. in Epist. ad Philemon. v. 4—6.

in errore consentiunt[1]), ex. gr. quum universi Patres uno ore asseverarunt, Beatam Virginem Mariam in peccato originali esse conceptam; ergo tuti duces in rebus fidei esse non possunt. — Respondemus: Negari quidem non potest, aliquos in scriptis ss. Patrum deprehendi errores, etiam in rebus fidei, sed singulorum errores non tollunt omnium consentientium in rebus fidei traditae auctoritatem, quandoquidem nec Ecclesia singulas singulorum Patrum sententias adoptat, neque Catholicus homo easdem sequi tenetur. Omnes autem Patres seu fere omnes in dogmate aliquo unquam errasse, falsa est assertio.[2]) Si qua vero extat in fide discrepantia inter Patres, ea vel ab unius alteriusve Patris errore, quem contingere posse concedimus, repetenda est, vel haud raro in sola locutionis varietate sita est, aliis aliam sensa sua explicandi viam ineuntibus, ut, quam defendendam susceperant veritatem, firmius solidiusque stabilirent, aliis aliter incedentibus, ut, quem metuebant, errorem studiosius devitarent. Ejusmodi durae locutiones ex. gr. s. Hilario Pictaviensi erroris apud quosdam suspicionem asperserunt.

Objectiones solvuntur.

---

[1]) Hanc materiam de Patrum erroribus potissimum dogmaticis fuse exaggerat Walch Biblioth. Patrist. toto capite 14., ubi plurima ejus rei exempla partim vera, partim falsa affert. Cf. de Patrum erroribus in Doctrina morali l. c. c. 13. §. 128, ubi tamen ipse Walchius plurimum hallucinatur. Caeterum haud immerito castigantur ii Patrologiae auctores, praesertim Catholici, qui in suis Patrologiis totum caput: *De erroribus Sanctorum Patrum*, inscribunt. Cf. s. Vincent. Lirin. Commonit. c. 7. — Facund. Herm. Defens. trium Capitul. lib. 11. c. 3. — Wiest §. 327. Murator. de Ingeniorum moderat. lib. III. c. 14. initio.

[2]) Consensisse Patres in neganda immaculata Conceptione B. M. V. contendit Erasmus, inde deducens, etiam in errorem cunctos consentire posse. Sed falsam omnino esse illam assertionem, jam abunde in Theologia dogmatica ubi de immaculata B. M. V. conceptione agitur, demonstratur. Cfr. B. Jungmann Tract. dogm. de Deo Creatore, P. II. C. II. A. V. — Melchior Canus hanc objectionem expendit De locis theol. L. VII C. I. sqq., sed minus bene. Lapsus est enim existimans, doctrinam de Conceptione B. M. V. quaestionem esse quae ad fidem pertinere non possit. V. Franzelin, De Tradit. Thes. XV.

Objectiones solvuntur.

Porro etiam objiciunt: Sanctorum Patrum multa opera interiere, praesertim ex tribus primis Ecclesiae saeculis; quae vero extant, multis mendis sunt foedata, quandoque interpolata aut mutilata; alia denique haud pauca ss. Patrum nomine conficta sunt opera, quae eosdem revera auctores non habent, sed nescio quem impostorem. — Respondemus: Cum Deus Ecclesiam suam nunquam interire voluit, cumque eam ss. Patrum consensum in rebus fidei et morum sequi jussit, divina utique providentia curabit, ne omnes ss. Patrum libri in mundo pereant, sed ut qui ad veram fidem confirmandam potissimum conferre possint, ab interitu serventur.[1]) Menda autem, quae alicubi irrepserunt, et ipsae etiam interpolationes vel ab arte Critica iterum sunt detecta et correcta, vel utpote leviora non tanti sunt momenti, cum et ipsa s. Scriptura, cujus tamen auctoritatem etiam adversarii agnoscunt, simile fatum haud effugerit. Opera vero supposita sensim eliminat Ars critica; et si ex uno alterove eorumdem argumenta olim deduxisse inventa sit Ecclesia, non unum alterumve opus, sed omnium Patrum consensum sequitur Ecclesia; nec apud ipsos Protestantes falsum auctoris nomen fidem detrahit lucubrationi, cujus doctrina est sana. Hujus rei praeclarum extat exemplum in symbolo s. Athanasii, quod, licet non sit s. Athanasii, cujus prae se fert nomen, sed ignoti cujusdam auctoris, tamen ceu fidei regula ab omnibus Christianis agnoscitur.

Dicunt etiam adversarii, ipsos ss. Patres auctoritatem suam aliorumque Patrum haud magni fecisse, id quod sat multis allatis locis firmare conantur.[2]) Sed Patres,

---

[1]) Quamvis non adsit necessitas absoluta, ut Deus ad conservandam fidem revelatam conservet etiam libros s. Scripturae (cf. s. Irenaei adv. haer. lib. III. c. 4. n. 1. 2) atque ss. Patrum, nihilo tamen secius. quae sit ejus voluntas sapientissima, ex iis, quae ad nostram usque aetatem fecit, satis cognoscere licet; nec eum, qui oeconomiam salutis humanae restauratae accuratius meditari voluerit, consilium benignissimum Providentiae divinae, in ejusmodi agendi ratione latens, effugiet.

[2]) Ejusmodi loca sunt s. Augustin. c. Faust. lib. 11. c. 5. De Baptismo contra Donat. lib. 2. n. 4 sqq De dono perseverant. n. 55.

ubi auctoritatem vel propriam vel aliorum Patrum deprimere videntur, vel loquuntur de suis ipsorum operibus, ubi certe modestia prohibet, quo minus sibimetipsis insignem quamdam et eminentem auctoritatem tribuant, praesertim ubi non in rebus dogmaticis ab Ecclesia traditis, sed in mera speculatione versantur; vel loquuntur de coaevis, eruditis utique et sanctis viris, sed nondum ab Ecclesia approbatis; vel etiam agunt de Scriptoribus ecclesiasticis, qui non erant Patres proprie tales, aut certe de singulis Patribus, qui sententias quandoque singulares et a fide Ecclesiae alienas fovebant, denique haud raro de rebus ad fidem moresque non spectantibus. Caeterum hi ipsi Patres, quos inprimis allegare solent adversarii contra ss. Patrum auctoritatem, eadem uti auctoritate, ubi aderat Patrum consensus, huncque consensum contra hostes veritatis urgere minime dubitabant, aperte sic mentem suam de auctoritate ss. Patrum declarantes. Objectiones solvuntur.

Caput II.

De Arte Critica.[1])

§. 17.

Notio et necessitas artis Criticae in Patrologia.

Auctoritas ss. Patrum, de qua hucusque sermo erat, iis tantummodo convenit, qui vere et proprie sancti Patres audiunt, qui eruditione et sanctitate praepollent, et qua in re omnis hujus rei cardo vertitur, qui Ecclesiae approbatione digni habiti sunt. Pariter etiam ea solum scripta Patrum quae vere ab iisdem proficiscuntur, et quae

---

De Trinit. lib. 3. Prooem. n 1. 2. item ep. 82. n. 3. ep. 143. n. 2. 3. 4. ep. 148. n. 15. porro s. Hieronym. ep. 37. ep. 58. n. 10. ep. 84. n. 8. ep. 119. n. 11. Apolog. c. Rufin. lib. 2. n. 17. — S. Ambros. ep. 46. n. 2.

[1]) De hac materia uberius tractant P. Honoratus a S. Maria Animadversiones in regulas et usum Critices, Venet. 1738; praesertim

Notio artis Criticae.

nec additionem nec mutilationem nec ullam prorsus mutationem passa sunt, eadem potiuntur auctoritate. Ex his vero consequens est, plurimum certe interesse, ut firma teneamus principia, quorum ope scripta illa, quae vere a ss. Patribus profecta sunt, et quidem in sua forma originaria, nullatenus immutata, tuto dignoscere valeamus; quandoquidem ex his solis certa argumenta (juxta theoriam Cap. I.) deducere licet. Ast ubi vera ss. Patrum scripta cum falsis temere misceri contingit, plurima inde et gravissima mala in statum Theologiae, et generatim in rempublicam litterariam redundant. Ita enim haud infrequenter continget, ut, dum antiquissimos et gravissimos, eruditissimos et sanctissimos scriptores rerum gravissimarum testes adhiberi existimamus, rei veritate explorata hominis et recentissimi et abjectissimi, levis cujusdam Graeculi, aut obscuri monachi, quandoque etiam impii haeretici testimonium proferatur. Ita vero dogmata obscurantur, foedantur Moralia, historia vacillat et traditio perturbatur; adeoque procul dubio suppositi ss. Patribus libri et veritati adversantur et Ecclesiae.[1]) Quapropter summa adhibenda erit cautio omnisque diligen-

---

Tom. I. — Laubrussel Tractatus de malo usu Critices in negotio religionis. Paris. 1711. [praesertim volum. altero. — Mabillon de Studiis monasticis P. II. c. 13. — De optima methodo legend. Patr. P. II. c. 15. P. III. c. 11. — El. Dupin Praefat. in suam Bibliothecam Auctorum Eccles. p. XV—XX. — Sixtus Sen. Biblioth. Sanctae lib. IV. in fine (p 504—8). — G. Cave Histor. litterar. Scriptorum eccles. Prolegom. Sect. V. — J. Clerici Artis Criticae P. III Sect. II. tota. — Demum Patrologi recentiores omnes, ut Schleichert P. III c. 1. 2. et 5. — Wiest P. I. Cap. 1. Art. I. — Permaneder T. I. §. 38—49. — Nirschl, Patrol. T. I. C III. — Adde Hefele in Tüb. Theolog. Quartalschrift. Jahrg. 1842. S 437—42. — C. De Smedt Introduct. ad Hist. eccl. Tr. I. C. I et II

[1]) „Ex noxa hac non modo haeretica dogmata decus sibi et honestamentum quaerere, sed fidem et auctoritatem, quibus sacra illa monumenta unice pollent, languere inde et evanescere; et postquam fucum in aliquibus detexit lector, de aliis eum dubitare et demum omnia despicere", ait J. Fellus Oxoniensis, cultor Patrum eximius, in Praefatione in suam Editionem Cypriani.

tia, ut ne vera ss. Patrum opera falsis temere permiscentes in tot ac tanta mala incurramus, ne fidem nostram et Ecclesiae putridis fulcris statuminemus, neve contra adversarios plumbea potius, quam ferrea vibremus arma. Contra ejusmodi vero errores, quantum fieri potest, nos praemunit ars Critica.[1]) Est autem ars Critica generatim scientia, quae docet, verum discernere (*χρίνειν*) a falso. — Ejus porro finis est, veritatem sive theologicam, sive physicam, historicam etc. invenire, et falsum persequi aliisque vitandum ostendere. In omnibus itaque disciplinis humanis magis minusve locum habet Critica, et pro diverso, in quo exercetur, objecto, diversis etiam nominibus inscribitur ex. gr. Critica theologica, historica etc. Hic autem nonnisi agetur de Critica, quam compellare possis litterariam. Intelligitur autem sub Critica litteraria ea scientia, quae docet veros et genuinos foetus litterarios uniuscujusque auctoris in sua forma originaria probe et rite discernere a quibusvis aliis. Itaque Critica litteraria ss. Patrum principia debet figere, ex quibus dijudicare possimus, quae opera vere a singulis ss. Patribus fuerint conscripta, quae iisdem falso tribuantur; quae porro immutata ad nos pervenerint, quae denique qualemcunque subierint mutationem. Opera quae illum revera auctorem habent, cujus prae se ferunt nomen et cui vulgo tribuun-

Notio artis Criticae.

---

[1]) Sunt, qui vix audito *Critices* nomine statim cohorrescant, cogitantes ingentem stragem et deplorandam, quam audacia et temeraria ingenia recentissimo aevo in ss. Patrum operibus et ipsis voluminibus divinis ediderunt, ita ut nullum fere monumentum antiquum extet, quod non dejectum sit aut saltem vacillet (aliqua temeritatis hujus exempla videsis in J. G. Walch Biblioth. Patrist. §. 48.). Sed hanc tantam invidiam arti isti creavit abusus, qui penes virum cordatum nunquam efficiet, ut artis tam utilis et necessariae etiam rectus tollatur usus; si quidem re attentius considerata cuique palam fiet, bonam Criticen esse instrumentum veluti generale, sine quo nemo possit vere litteras profiteri, clavem ipsam, progressum et absolutionem scientiarum humanarum, historiae denique ecclesiasticae operumque ss. Patrum murum et clypeum. Abusus vero declinari possunt per solida principia et prudentes cautelas ac regulas in Critices exercitio observandas.

Notio artis Criticae.

tur, vocamus *genuina;* secus vocantur *supposita* seu *spuria,* aut etiam adulterina. Quodsi argumenta in utramque partem fere sint aequalis momenti, ita ut nec genuinum esse certum aliquod opus, nec suppositititium satis firmis evinci possit rationibus, opus vocatur *dubium.* Opera, quae mutationem quamdam internam, seu quoad argumentum suum passa sunt, vocamus *corrupta* seu *adulterata;* eaque rursus sunt vel *interpolata,* si quaedam aliena manu operi adjecta sunt, quae auctor inibi non posuit nec poni voluit, vel *mutila* seu *mutilata,* si qua ab auctore ibi posita postea quademumcumque ratione exciderunt. Opera, in quibus nullus ejusmodi defectus occurrit, vocantur *integra.*[1])

§. 18.

Basis artis Criticae.

Ut in arte Critica exponenda recte versemur, juvat praemittere et praestruere tanquam basin omnia ad primam originem et propagationem librorum ss. Patrum spectantia, quae ad discernenda genuina a spuriis quodam modo facere possunt. Sancti Patres vix non omnes libris a se exaratis nomen suum inscripsere; paucissimi tantum, praesertim monachi, fere humilitatis gratia ascito nomine quodam appellativo latere maluerunt; quod ex. gr. compertum habemus de s. Vincentio Lirinensi, qui eam ob causam Peregrini nomen in suo Commonitorio assumpsit.[2]) Postquam vero Patres ejusmodi opera composuerant, illa non quibuslibet librariis, sed domesticis iisque diligentibus tradiderunt, qui ea accurate transscriberent; nec enim aliter edi in lucem potuissent Patrum scripta, nisi ipsi exem-

---

[1]) Eam vero Critices partem, quae Opera et loca mutila vel interpolata ab integris discernere, et inter varias lectiones seligere optimas docet, hic pertractare animus non est, utpote quae vix ullius tironibus in studio Patrologiae esse possit utilitatis. His editiones praestantissimas sequi, maxime erit consultum.

[2]) Gennad. de Scriptor. eccles. c. 64.

plaria nonnulla exscribenda curassent. Librarii autem illi, quorum munus erat libros dominorum suorum describere, sine dubio omnem operam et curam in suo munere obeundo ponebant. Neque vero timendum erat, ne librarii alii, qui sibi victum transscribendis libris quaeritabant, saltem ab initio ejusmodi scripta corrumperent; nam eorum fraudem dolumque, comparatis inter se exemplaribus, promptum erat detegere, quibus semel detectis nemo certe iterum libros ab eis conscriptos emisset. Quin imo auctores ipsi, ut summa diligentia codices accurate describendos curarent, solemnem adjurationis formulam suis operibus adjecerunt.[1]) Praeterea diligenter servabantur ipsa autographa, quibuscum descripta componere et conferre cuivis licebat. Libros etiam ita editos partim in scriniis publicis ecclesiarum, ad quas fuerant directi[2]), vel a quibus fuerant profecti[3]); partim in aliis praecipuis orbis Christiani ecclesiis[4]) earum Praesules pia religione asservari, quandoque etiam in ecclesiasticis conventibus publice legi curarunt. — Porro alii Patres et scriptores ejusdem vel sequioris aetatis vel de iisdem materiis tractantes illorum scripta in confirmationem suarum assertionum laudabant, ac locos nonnunquam sat prolixos alle- Basis artis Criticae.

---

[1]) Ita primus *s. Irenaeus* in fine libri de Ogdoade, prout refert Eusebius in Histor. Eccles. lib. 5. c. 20. et s. Hieronymus in Catalog. c. 35. Adde *s. Cyrilli* Hierosolym. Admonit. ad Lectorem subjectam Procatechesi. Cfr. *Eusebii* Caesar. obtestationem, quam Chronici sui Praefationi subnectit et *Rufini* Prolog. in libros Origenis *περὶ ἀρχῶν* a se versos. Vid etiam *Epist. Ecclesiae Smyrnensis* de martyrio s. Polycarpi n. 23. 24.

[2]) Exempli gratia vid. s. Leo ep. 69. c. 1.

[3]) Ex. gr. videatur s. Gregorii M. epistola ad Secund. praefixa ejusdem Homiliis in Evangelia, nec non Joannis Diaconi Praefatio in suam Vitam s. Gregorii Magni; item vid. s. Cyrilli Alexandr. ep. 34. fin. cf. Anastasii Biblioth. Nota margin. in Hadr. P. Epist. ad Taras. lectam in Concil. Nic. II. Act. II. (Mansi T. XII. col. 1081.).

[4]) Vid. Concil. Cp. III. Act VIII. (Mansi Tom. XI. col. 360 et 372.) Act. IX. (ibid. col. 388.). Act. X. (ibid. col. 392 sqq. praesertim col. 396.).

Basis artis Criticae.

gabant suosque faciebant; vel etiam in posterorum memoriam accuratos, quantum fieri licuit, texebant catalogos scriptorum omnium ecclesiasticorum tam sui aevi, quam proxime praecedentium temporum. — Contigit etiam, ut unus alterve multorum operum auctor sub finem vitae ipsemet, alii aliis permoti rationibus, suorum operum indicem perficerent.[1]) — At vero etiam ubi hujusmodi certa desunt indicia, alia tamen praesto erunt, quae Critices fundamenta jacere possint, petenda ex operum sive materia, sive forma. Quae enim in singulis occurrunt libris, congruant necesse est auctori et tempori, quibus tribuuntur. Quaedam, ut historiae fert progressus, certa quadam aetate jam praeteriere, quaedam vero eadem aetate sensim prodire incipiunt atque incrementa capiunt, quaedam denique haec vel illa aetas nondum tulit. His omnibus accurate convenire debet libri argumentum. Praesertim vero, uti jam diximus dogmatum explicatio sensim in Ecclesia progreditur et varia percurrit expositionis stadia, ita ut modo haec, modo illa dogmata nunc quoad rei substantiam, nunc quoad speculativum illa exponendi modum disputationem subeant; porro ut certa quadam aetate singulares expressiones vel nova vocabula ad dogmata antiqua optime designanda adhiberi coepta sint; demum ut plerique auctores certa quaedam dogmata et singulares etiam opiniones argumentis sibi propriis tueantur. Haec, quae de dogmatibus sunt dicta, multo magis valent de disciplina Ecclesiastica, quae per se mutationi est obnoxia. Verum non materia tantum, sed forma quoque operum erit attendenda. Quemadmodum enim suus cuique homini corporis habitus est, suus cuique vultus, suus cuique nativus color, sua cuique vox, aliaeque singulares notae, quibus a caeteris hominibus distinguatur, ita singulis quoque Patribus Ecclesiae peculiares quaedam proprietates inhaerent quae aut nunquam, aut raro alteri conveniunt; singuli eorum singularem prae se ferunt ora-

[1]) Id ex. gr. constat de s. Augustino, qui sub vitae finem libros Retractationum exaravit.

tionis characterem, dictionis contextum, texturae continuitatem, elocutionis formam, figuras loquendi, dispositionis artificium, tractationis methodum et alia, quae cuique diserto auctori propria sunt. Imo etiam diversae aetates Ecclesiae pro varia litterarum humaniorum conditione alium atque alium orationis et dictionis characterem diversamque res tractandi methodum exhibent. Ad haec ergo omnia respicere oportet, ut justum in quaestionibus criticis feratur judicium.

§. 19.

Causae suppositionis et corruptionis Operum SS. Patrum.

Causae suppositionis operum.

Causae, unde suppositio et depravatio operum ss. Patrum originem traxere, ad sex genera commode reduci possunt. Harum prima et antiquissima est

1) *haereticorum malitia.* Haeretici enim qui axioma vere Catholicum: in rebus religionis non esse verum, quod est novum, nunquam ex mentibus suorum funditus extirpare, nunquam penitus oblitterare valebant, fontes omnis veritatis revelatae, s. Scripturam et Patres, Traditionis testes, identidem in suas pertrahere sententias satagebant. Quem in finem varia adhibuere media; genuinos s. Scripturae libros perverse ad suam mentem interpretabantur; pariter genuina ss. Patrum opera ad suos errores confirmandos haud raro detorquebant.[1]) Praeterea tam Apostolis et discipulis Domini, quam sequioris aetatis Patribus haud pauca supposuere opera, unde tot falsa Evangelia, falsa Acta, falsae Apostolorum eorumque discipulorum epistolae, falsa denique omnis generis opera Patrum publicam lucem aspexere, ut horum ope errores haeretici, speciosо nomine latentes et commendati, lectorum imprudentium animos occuparent et inficerent.[2]) Alii

---

[1]) Id exemplis ex historia Ecclesiastica depromptis confirmatur apud St. Wiest §. 311. 312. 313. Cfr. Walch Biblioth. Patrist. c. 9.

[2]) Quodsi quis editionum ss. Patrum a Maurinis adornatarum appendices perlustraverit, multa et luculenta hujus rei inveniet exempla;

Causae suppositionis operum.

demum, ubi istud fieri minime licuit, saltem, quo pestiferis suis erroribus vel sic patrocinium quaererent, nefarias manus antiquorum Patrum monumentis injecere vel adjicientes, quae suis erroribus favebant, vel detrahentes delendo aut omittendo, quae iisdem adversari poterant.[1]) Quod idem triste fatum non minus libri Apostolorum et discipulorum Domini saepius experti sunt, cum homines temerarii et impii vel totos divinae Scripturae libros sibi minus arridentes reprobarunt, vel in codice divino iis, quae Hagiographi vere dixerant, superaddiderunt, quae Hagiographi ex mente istorum Novatorum dicere debuissent, vel denique hinc inde aliqua erroribus suis adversa eliminarunt.[2]) Caeterum haeretici labentibus saeculis sibi succedentes errores quandoque mutant, indolem agendique rationem non mutant.[3])

2) Alteram suppositionis et interpolationis causam constituunt *librariorum quorumdam, praesertim posteriorum fallacia et malae fraudes.* Horum alii quaestus et turpis

---

unum alterumve hic indicasse sufficiat: Tertulliani seu potius *Novatiani liber de Trinitate* aliquando ab haereticis sub nomine s. Cypriani venditabatur, Rufin. de adulterat. librorum Origenis in Opp. Orig. T. IV. Append. p. 53. Cfr. s. Hieron. c. Rufin. lib. II. n. 19. et de Scriptor. eccles. c. 70. — Eutychiani quoque „multos Apollinaris libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo et Julio falso adscripserunt", ut diserte testatur Evagrius in Histor Eccles. lib. 3. c. 31. Cfr. Opp. s. Augustini ed. Maur. Venetiae tertiae T. XVI. Praefat. p. IV—V.

[1]) Id ex. gr. accidit in longioribus s. Ignatii epistolis, quae ab Arianis interpolatae sunt; de aliis exemplis vid. Eusebii Hist. Eccles. lib. 4. c. 23., s. Anastasii Sinaitae *Ὁδηγος* c. 10., Concil. Nicaen. II. Act. V. (Mansi T. XIII. col. 183—92) et P. Hadrian. I epist. ad Carol. M. pro Synod. Nicaen. II. (Mansi l. c col. 795—96.). Synodica Concil. Francoford. a. 794 ad Episcopos Gall. et German. (Mansi l. c. col. 884 sq.). *Rufin.* in libro de adulteratione Operum Origenis (Opp. Orig. T. IV. Append.), quocum tamen perpetua collatione jungendus est *s. Hieronymus* Apolog II. c. Rufin. n. 17—20. Cf. Germon de veteribus Haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus. Paris. 1713. P. Coustant Vindiciae veterum Codicum confirmatae. Paris. 1715.

[2]) Cf. dicta s. Dionysii Corinth. apud Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. c. 23. fin.

[3]) Vid. Sixti Senensis Praefat. in suam Biblioth. sanctam n. III.

lucri causa, consarcinatis variis diversorum Patrum locis aptatisque pro arbitrio principiis, insignis cujusdam Patris nomen hujusmodi seu homiliis seu libris adscribebant, ut et facilius et pluris venumdarentur; alii non a pluribus, sed ab uno tantum scriptore exceptas lacinias, ut melius poterant, assuebant, et praemisso illustri nomine proferebant in publicum. Alii demum audaciores integras homilias orationesve omnibus suis partibus et numeris absolutas, celato veri auctoris nomine, praeclari cujusdam Doctoris vel Patris titulo insigniebant, vulgarium hac ratione et interdum quoque obscurorum hominum foetus nobiliorum auctorum titulo coronantes; vel paucis ab initio verbis periodisve ablatis aut mutatis bis vendebant tanquam diversa variorum Patrum opera. Harum malarum artium exempla sat multa invenire licet in Appendice Operum ss. Athanasii, Basilii, Chrysostomi, Augustini aliorumque.[1])

Causae suppositionis operum.

3) *Librariorum etiam errores ex imperitia vel negligentia orti* haud raro suppositionis vel corruptionis ansam praebuere. Id vero pluribus modis accidit, cum scilicet vetustior quidam librarius ob materiam Operum non dissimilem diversorum auctorum libellos eodem copularet volumine, recentior vero librarius sive impressor, aut non reperiens adscriptos titulos, aut oblitteratos offendens ei tribueret omnia, cujus in fronte voluminis conspexerat nomen; vel cum alii meris nixi conjecturis, genuinorum auctorum nomen nescientes, vel rationes satis validas ad illud mutandum sese habere existimantes Patris cujusdam nomen praefigerent; vel cum auctor aliquis libris a se in formam Dialogorum, vel alio modo scriptis nomina[2]) col-

[1]) Quaedam recentiora hujus rei exempla affert Sixtus Sen. loco supra laud. n. II. Luculentum istiusmodi exemplum praebet s. Cyrilli Alexandr. *Dialogus VIII. ad Hermiam de Incarnatione Unigeniti*, qui non est nisi ipsius liber de recta fide ad Imperatorem Theodosium, in quaestiones et responsiones dissolutus, cui aliud quoddam initium praefixum est.

[2]) Ita ex. gr. Vigilius Tapsensis quinque libros edidit nomine Athanasii, quem ibi colloquentem inducit; quos deinceps imperiti librarii

Causae suppositionis operum.

loquentium indidit, Ciceronis exemplum secutus; vel etiam cum titulorum ambiguitas nominumque similitudo causa aliquando fuit, cur opera quaedam ss. Patribus falso assignarentur[1]); denique cum Homiliae praesertim variorum ss. Patrum libris Ecclesiae sacris insertae inque Lectiones separatae, nonnunquam ita intermiscerentur, ut discerni vix possent.[2])

4) Accedit *eruditorum quorumdam ostentatio vel temeritas.* Viri docti enim haud pauci praesertim Graeculi, non ingenio minus, quam aetate dispares, cum nec fama celebrarentur, nec suapte opera famam sibi parere posse confiderent, mutuato praeclari cujusdam Patris nomine aliquam scriptis suis sperabant dignitatem accessuram. Alii iisdem fere, quibus librarii (n. 3.), causis inducti, nominum similitudine decepti[3]) etc., vel libris, qui auctoris nomine quademumcunque ex causa carebant, illud nomen conjecturis suis nixi adjecerunt, vel appositum antea leviter immutarunt.

5) Alia porro causa suppositionis est *caeca quorumdam hominum pietas,* qui arbitrati sunt, se de Ecclesia bene merituros, si monumenta ecclesiastica in gratiam religionis et veritatis supponerent, ipsique Catholici libros componerent nomine ss. Patrum, quo facilius sui temporis haereticos refellerent; vel se animum suum in rem Christi et

---

s. Athanasii legitimum esse opus censuerunt. Cf. Opp. s. Augustini T. XVI. (edit. Venetae tertiae) Praefat. p. IV—V.

[1]) Ea ratione contigisse videtur, ut *Ambrosii* Autperti, monachi Benedictini saeculo octavo viventis, *Sermo de Purificatione B. V. Mariae,* nec non ejusdem *liber de conflictu vitiorum et virtutum* olim tribuerentur s. Ambrosio Mediolanensi.

[2]) Cf. Ballerini Append. Sermonum s. Leonis M. Praefat. n. 9. 10. (Opp. Leonis T. I. p. 389—92). — Quot modis libri per librarios corrumpi potuerint, exponit J. Clericus Art. Crit. P. III. c. 1—12. Cf. Henr. *Stephani* opusculum *de Origine Mendorum;* item s. Hieronym. ep. 71. n. 5.

[3]) Id ex. gr. constat de Rufino Aquilejensi, qui s. Xysto Papae tribuit ejusmodi errore captus sententias Xysti philosophi Gentilis, illiusque nomine has latine vertit sententias, vid. s. Hieronym. ep. 133. n. 3.

Ecclesiae propensiorem proditurus esse, si multas undecunque comportatas lucubrationes, sine ullo judicio ac delectu usurpatas Patri cuidam vindicarent, existimantes, ex auctione et multitudine librorum majorem nominis celebritatem adamato auctori comparatum iri. Sed ejusmodi pium quidem, at caecum zelum Ecclesia, ad exemplum Apostolorum[1]), semper detestata est.[2])

Causae suppositionis operum.

6) Quidam denique Opera supposuere, nullo alio consilio, quam *ut alios decipiendo se ipsos recrearent, seque exercerent in stylo Patrum imitando.* Hac moti ratione auctores nonnulli tractatus edidere nomine ss. Cypriani, Ambrosii et Augustini. Ast haec Opera supponendi ratio rarissima dici debet, praesertim inter antiquos.[3])

Caeterum generatim major suppositionis suspicio in tales cadit lucubrationes, quas facili opera confingere ex rei natura licuit, cujusmodi sunt: Homiliae, Tractatus morales vel ascetici breviores, Opera pertractantia materiam de qua jam alii Patres fusiori scripserant calamo, praesertim etiam Commentaria in libros s. Scripturae, quibus explicandis jam aliquot Patres vel viri eruditi insudaverant. Minori generatim obnoxii sunt suspicioni Tractatus de fide, de dogmatibus, de rebus difficilioribus, de mysteriis, nec non libri, qui aut ad historiam, aut ad disciplinam ecclesiasticam, aut ad controversiam certi cujusdam aevi pertinent; plerumque demum etiam epistolae, quia

---

[1]) Vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 7.

[2]) Nulla prorsus veritate nititur, nec ulla veritatis specie gaudet, quod refert Cave Prolegom. Sect. VII. de Codicibus, quos Romae data opera depravari ipsi nescio quis persuasit; cf. Wiest Patrolog. §. 10. Macar. a s. Elia Patrolog. P. III. c. 1. §. 12. — Ejusdem Cavei criminationem in Catholicos vibratam de falsatis ss. Patrum libris amolitur L. A. Muratori de Ingen. moderat. lib. II. c. 6. — Caeterum de ejusmodi pia fraude cf. Tillemont Mem. T. XIII. Art. CCCLIV (p. 949), ubi eam Vigilii Tapsensis agendi rationem non acrius, quam verius condemnat.

[3]) Sunt, qui existiment, Erasmum Roterodam., eo ductum consilio, s. Cypriani nomine confinxisse librum *de duplici martyrio ad Fortunatum.* Vid. Prud. Marani Praefat. in Opp. s. Cypriani p. VII.

ejusmodi opera et diligentius describebantur, et sollicitius asservabantur, et longe difficilius confingebantur.

§ 20.

Principia artis Criticae positiva.

Codicum inscriptio.

His praemissis jam stabilire licet, ex quibus criteriis dignosci possit, utrum opus aliquod s. Patris genuinum sit, an spurium. Criteria prioris generis vocamus principia artis criticae positiva, posterioris vero negativa. Inter principia positiva primum locum occupat *Codicum inscriptio.* Auctores enim fere semper libris a se exaratis et in publicam lucem editis sua nomina inscripsere, quae deinceps librarii cum ipso codice describere haud neglexerunt. Regula itaque prima est: *Opus quodcunque illius censebitur auctoris, cujus nomen tanquam auctoris in antiquis codicibus eidem inscribitur.* Sed quia nonnunquam vitiata est inscriptio diversis ex causis, regula haec admittit exceptiones, quae tamen non praesumendae erunt, sed solide probandae. Regula autem isthaec firmabitur, si codex sit vetustissimus, et optimae notae[1]), cui prima manu illud auctoris nomen adjectum sit; si plures diversarum familiarum et ex toto orbe Christiano collati codices certum aliquem auctorem prae se ferant; si omnes uno consensu eumdem exhibeant auctorem; demum si nulla appareat causa, cur huic vel illi potissimum tribuatur auctori, ex. gr. si auctor, cujus nomen codex aliquis in-

[1]) Tria praecipue postulantur in codice manuscripto, primo ut vetus sit, atque autographi saltem codicis aevo proximus (haec autem antiquitas ex forma et notis characterum dignosci potest); ut optimis praeterea litteris sit exaratus, ac demum mendis omnibus expurgatus. Plura de Manuscriptis vid. in Opere De optima methodo legend. Ecclesiae Patrum P. II c. 16 17. — Macar. a s. Elia l. c. c. 2. — Wiest l. c. §. 15—18., ubi plures etiam indicantur auctores, hac de materia fusius agentes, inter quos maxime notandus P. Lambecius Commentar. de August. Biblioth Caesar. Vindobon. (Vindobonae 1766—82), qui multa ad hanc rem cognitu utilissima profert. Cf. Danz Initia doctrinae Patrist. §. 21—25.

scriptum gerit, nulla nominis celebritate emineat, cujusmodi sunt Nicetas, Chromatius, Bachiarius, alii. Iidem etiam codices ita comparati tutissimam sternunt viam, ut Opera Patrum integra nanciscamur.

Testimonia Veterum.

Alterum principium collocandum est in *testimoniis Veterum*. Utrum quippe Opus quoddam ab hoc vel illo auctore descendat, quaestio facti est, adeoque certis testimoniis eorum, qui rem et scire potuere et dicere voluerunt, statuminari debet. Ejusmodi porro testimonium vel ipse Operis auctor alibi tulit, vel alii ejusdem aut proxime sequentis aevi aut posteriorum saeculorum. Ipsa porro testimonia vel solos librorum titulos referunt, vel ex Opere, quod auctori cuidam disertis verbis tribuunt, etiam locos quosdam totidem verbis allegant. Omnium simplicissima et certissima ratio, genuinos Patrum foetus a spuriis segregandi ea est, si ad indices Operum, ab ipsismet auctoribus conscriptos, recurratur; verum paucissimi Patum posteris hujusmodi indices Operum suorum transmiserunt, scil. s. Augustinus in suis Retractationum libris, et ex parte s. Hieronymus in ultimo Catalogi sui de Scriptoribus ecclesiasticis capite.

Praeterea ss. Patres saepius in libris, quos genuinos esse eorum foetus citra dubium constat, aliorum quoque Operum, a se elucubratorum mentionem injecere; unde pariter certum deducitur argumentum. — Eadem fere certitudine gaudet altera via secernendi legitima a spuriis Patrum operibus, scilicet antiqui cujusdam Scriptoris vel alius Patris auctoritas. Ejusmodi auctoritas eo gravior est, si testis ille s. Patri, de cujus operibus fert testimonium, aequalis, si eidem amicitia junctus, si ejusdem discipulus fuit,[1]) porro si, licet aetate posterior, eruditione tamen, sagacitate et acumine critico praestans omnem

---

[1]) Ita ex gr. Hieronymus in suo Catalogo plurium ss Patrum refert Opera, quos intime familiares notosque habuit, cf. cap. 103. 106. 117. 128 Aliud exemplum est s. Possidii Episcopi Calamensis Indiculus Operum S. Augustini; fuit autem ille Possidius discipulus s. Augustini.

Testimonia Veterum.

pacne antiquitatis Christianae notitiam hauserat. Hujus testimonii pondus ingravescit, si ex tali Opere locos etiam allegat sive quoad verba, sive quoad sensum. Firmissimum vero inde prodit argumentum, ubi a prima libri cujusdam origine usque ad aetatem recentiorem continua fere adsit testium series, qui uno ore verum libri auctorem produnt. Regula itaque altera est: *Si Opus quoddam vel ab ipso illius auctore, vel ab alio auctore antiquo, qui rem facile compertam habere potuit, nec ulli solidae fraudis suspicioni obnoxius est, Patri alicui tribuitur, sufficiens et certa haec est ratio, ut Opus istud Patri huic vindicetur. Hujus argumenti pondus crescit, si plures ejusdem cum Patre aevi aut proxime sequentis illud ipsum testantur, si locos ex hoc Opere proferunt, denique si omnium subsequentium saeculorum et virorum praestantissimorum accedit confirmatio.* Praecipuum hac in parte fundamentum praebebunt *Eusebius*, qui in sua Historia ecclesiastica eorum qui ante ipsum floruerant scripta diligenter recenset, *s. Hieronymus* aliique qui Catalogos scriptorum ecclesiasticorum texerunt, uti superius jam enarravimus.[1]) Verum insuper etiam Concilia quaedam ejusmodi testimonia consignarunt, dum variorum ss. Patrum, ad dogmata Ecclesiae confirmanda, Opera protulerunt. Hunc in finem potissimum conferre juvabit Acta Concilii Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani III., Concilii Nicaeni II.[2]) et Florentini, ex conciliis vero particularibus Lateranense Romanum habitum sub Martino I. P. (a. 649); quibus etiam jungi possunt tamquam publica documenta quaedam Summorum Ponti-

---

[1]) V. Prolegom. §. 3.

[2]) Non tamen silentio praetereundum est, Actis Concilii Nicaeni II., utpote in quo codices undecunque comportati absque delectu legebantur, ut inspicienti facile patebit, non tantam haberi posse fidem, ut ex iis aliquid certo concludi possit in disquisitione critica; reliqua vero Concilia et Summorum Pontificum epistolae etiam in quaestionibus criticis insigni auctoritate praecellunt. Cf. L. A. Muratori de Ingen. moderat. lib. I. c. 16. et J. Garnier Praefat. in Opp. S. Basilii T. II. n. 6.

ficum epistolae (eas vide supra §. 12. n. 2.). Ex his omnibus pro re critica haud mediocrem utilitatem captare licebit, dum vel opera veterum Patrum nominant, vel locos ex iisdem haud raro allegant, et sic testimonium pro iisdem ferunt externum.

Totius operis consonantia.

Denique haec argumenta plurimum confirmantur ex similitudine materiae, methodi et styli,[1]) quae intercedit inter librum, quem Patris cujusdam esse aliunde certo constat, et inter librum, de quo adhuc sub judice lis est; item ex convenientia argumenti cujusdam operis cum nota indole, ingenio, patria, institutione, munere et vitae circumstantiis ac fatis auctoris, cui tribuitur, vel cum genio aevi, et historia aetatis, ad quam refertur. Ast haec similitudo et convenientia non tam constituit argumentum principale, sed potius accessorium; per se autem ad summum prohabilitatem quamdam, neutiquam vero ullam certitudinem praebere potest.

§ 21.

Principia artis Criticae negativa.

Quemadmodum *principia artis criticae positiva* duplici proprie et stricte loquendo basi innituntur, *testimoniis externis* varii generis (sive haec petantur ex Codicum inscriptione, sive ex aliis Veterum testimoniis) et *unitati* seu convenientiae operis cujusvis cum suo auctore vel aetate: ita etiam *principia negativa* ex duplici fonte promanant, scilicet, vel ex *contradictione,* quae deprehenditur inter Opus et inter auctorem vel aetatem, qua sive a quo Opus illud exaratum fuisse perhibetur, vel *ex defectu testimoniorum.*[2])

---

[1]) Hoc argumentum adhibuit etiam s. Augustinus ep. 93. n. 39. Cf. s. Hieronymi ep. 84. n. 11. Apolog. contra Rufin. lib. II. n. 19. lib. III. n. 13.

[2]) Ordinem horum principiorum inversum hic sequor, quod tum in positivis (§. praeced.), tum in negativis principium gravius praemittendum esse duxi.

Contradictio varii generis.

Contradictio primum, quae adest inter Opus aliquod et auctorem vel aetatem, cui tribuitur, certum praebet argumentum Opus istud spurium, vel saltem dubium aut interpolatum judicandi; contradictio tamen ista debet esse certa, insignis et talis, quae non alia ratione solide et facile solvi queat. Nemo quippe vir prudens et doctus, in rebus maxime gravioribus, sibi facile contradicit; quodsi nihilominus ejusmodi contradictio, quae commode et solide explicari non potest, in illius Operibus deprehendatur, sufficiens utique adest ratio, unum alterumve opus explodendi et rejiciendi. Multi autem sunt contradictionis modi, quibus tamen singulis non eadem inest vis probandi; horum praecipuos paucis comprehendam regulis:

1) *Opus, in quo mentio habetur personarum vel rerum, quas certo constat ad posteriorem aetatem pertinere, qua Operis illius, qui perhibetur fuisse auctor, diem jam obierat, spurium censendum est, vel saltem interpolatum.*[1]) — Rerum autem nomine intelligimus hic praesertim eventus seu facta historica, ritus et caeremonias, posteriori demum aetate introductas, controversias et haereses postea exortas, vocabula denique nova, vel novatae significationis, quae manifesto sunt sequioris aetatis.[2]) — *Dogmata quoque recentiora,* ita affirmant nonnulli Critici,[3]) praebere criterium, Opera

[1]) Ita ex. gr. in libro *Quaest. et Respons. ad Orthodox.*, qui sub *Justini M* nomine olim circumferebatur, in quaest. 115 s. Irenaeus, in quaest 82. et 86 Origenes, uterque Justino longe recentior, memorantur. Ita liber de *Spiritu et anima* inter Augustini Opera a quibusdam refertur, quem, etsi Opus sit variae multaeque lectionis, Augustini tamen non esse, vel hinc constat, quod cap. 37. citetur Boëthius, Augustini morte paene integro saeculo posterior. Eodem titulo *Quaestiones ad Antiochum* s. Athanasio abjudicantur. Hoc argumento dudum etiam contra *Opera s. Dionysii Areopagitae* usi sunt Critici, ut videre licet ex Photii Biblioth. Cod. I. Cf. Honorat. a S. Maria T. I. Dissert. III. Art. VI.

[2]) Hoc ultimo indicio quavis fere pagina se produnt sic dictae Apostolicae Constitutiones. — Usus quoque Vulgatae latinae, quam adornavit s. Hieronymus, in auctoribus ante s. Hieronymi tempora ejusmodi indicium est.

[3]) Ita Dupin Praefat. in Biblioth. Auctorum eccles p. XIX. Vide e contrario Honorat l. c. Art. VIII.

spuria dignoscendi. Sed cum inde ab initio dogmata omnia in Ecclesiae Catholicae penu deposita fuerint (cf. §. 8.), nec non voces quaedam, quibus postea solemnis Ecclesiae approbatio accessit, ad ista dogmata designanda antiquissimo jam aevo et diu ante Ecclesiae solemnem decisionem in usu fuerint,[1]) hoc criterium ita demum admitti debet, si dogmata illa modo polemico, quo aperte innuitur controversia desuper jam orta, proponuntur, vel si Veterum nullus post exortam litem de hoc dogmate ad tale unquam scriptum provocavit. Contradictio varii generis.

2) *Magna et insignis diversitas characteris vel styli*,[2]) *quem Opus quoddam prae se fert, ab illo charactere vel stylo, qui s. Patri, cui tribuitur illud Opus, convenit, certum est argumentum, Opus illud esse spurium.* — *Characteris* nomine ea omnia intelligimus, quae auctori cuidam vel aetati propria sunt, uti sunt delectus rerum, et rerum delectarum dispositio, ingenium et indoles auctoris ejusque circumstantiae et relationes externae, lingua, qua usus est, latina vel graeca, et patria, educatio, occupationes etc. *Stylum* autem appellamus non solam exteriorem sermonis superficiem et verborum ac eorundem significationum proprietates, sed dictionis contextum, elocutionis formam, figuras loquendi consuetas et alia. Caeterum levia quaevis hujusmodi discrimina non sufficiunt, ut spuria esse judicemus ss. Patrum opera, quandoquidem temporis progressu minor quaedam sive characteris sive styli immutatio ob-

---

[1]) Id ex. gr. scimus de voce ὁμοούσιος ex s. Athanasio de Decret. Nicaen. Synod. n. 25. et De Synodis n. 43. 44., pariter de voce θεότοκος ex Socrat. Histor. Eccles. lib. 7 c. 32. Cf. Variorum Adnotat. ad h. l. in fine ejusdem Histor. (edit. Vales.)

[2]) Hanc characteris et styli in variis ss. Patribus diversitatem breviter et graphice depingit Apollinaris Sidonius, ita de Mamerti Claudiani libro effatus: „Instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius. adstruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, submittitur ut Joannes (scil. Chrysostomus), ut Basilius corripit, ut Gregorius (scil. Nazianz.) consolatur, ut Orosius affluit, ut Rufinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius perseverat.“ Apollin. Sidon. lib. IV. ep. 3.

Contradictio varii generis.

tinere potuit,[1]) aliam quoque tractationis methodum tam materiae substratae, quam lectorum diversitas nonnunquam exigit. Ejusmodi levia discrimina suspicionem quidem movere possunt; verum per se sola, si non aliis fortioribus argumentis fulciantur, opus quoddam nec spurium esse, neque etiam dubium, evincere poterunt. Magna itaque et insignis diversitas characteris vel styli requiritur, vel omnino talis, ut plena adsit contradictio inter auctorem ejusve aetatem ex una, et opus, quod illi tribuitur, ex altera parte. Quodsi talis contradictio plena vel quasi plena aderit, nisi evidentia aut gravia praesto sint argumenta, quibus hujus contradictionis vis elidatur,[2]) sufficiens in ea residet argumentum, opus aliquod spurium vel saltem dubium censendi.[3]) Argumentum hoc ex diversitate cha-

---

[1]) Ita ex. gr. s. Chrysostomum in stylo non semper sibi similem esse, et praesertim in Homiliis Constantinopoli habitis, quum eo tempore negotiorum mole oppressus vix exiguam operam iisdem elucubrandis impendere valuerit, fortassis etiam Homiliarum istarum complures nonnisi exceptorum industria posteris conservatae fuerint, stylum quandoque solito longe inferiorem esse, viri docti animadvertunt. Vid Montfaucon Monit. in Homil. de Eutropio capto (T. III. p. 380) et Monit. in Homil. de Juda Proditore (T. II. p. 720). — Savilius ap. Montfaucon Monit. in Hom. de Chananaea (T. III. p. 431). — Cf. etiam de criterio, quod petitur ex Scriptoris stylo Honorat. l. c. Art. VII. — Mabillon de Stud. monast. P. II. c. 13. (p. 199. seq.).

[2]) Ita ex. gr. s. Augustinus in Operibus de gratia divina tempore Episcopatus sui scriptis, iis, quae antea scripserat, aperte contradicit; sed hujus contradictionis ipse subdit rationem, (cf. de praedest. sanct. n. 7. 8.) Ita porro allegoriarum usus etiam frequens saeculo Apostolico aut viri Apostolici characteri non contradicit, cum et ipse s. Paulus earum usum minime spernat. Cf. I. Cor. 10. Gal. 4. et ep. ad Hebr. — Nec fabulae ad naturam rerum spectantes contradicunt eorum characteri, quandoquidem summi viri olim hac in parte cespitarunt, vulgi opiniones vel Eruditorum errores sectantes. Ita Clemens Rom. fabulam de Phoenice ave indubitanter epistolae suae primae ad Corinthios c. 25. inseruit, quem alii Patres secuti sunt; alium ejusmodi errorem profert, minime dubitans, s. Ambrosius in Hexaëm. lib. 5. c. 20.

[3]) Ita, ut unicum saltem addam exemplum, in operibus suis in dubitatis Origenis dogmata nemo s. Cyrillo Alex. fortius impugnavit, unde certissimum fluit argumentum, *Homilias in Leviticum*, Cyrilli Alex. nomine aliquando in lucem editas, ejus non esse, utpote in qui-

racteris et styli petitum tum praecipue locum habet, ubi de Homiliis ss. Patrum tam Graecorum, quam Latinorum genuinis et spuriis secernendis agitur. Immensa enim ejusmodi Homiliarum farrago variorum ss. Patrum nominibus est decorata, praesertim ss. Chrysostomi et Basilii, ss. Augustini et Ambrosii, et aliorum. Quoad singulas Patrum Homilias externa nos testimonia, si unum alterumve excipias, ex. gr. s. Maximum Taurinensem,[1]) deficiunt; nil ergo restat, nisi ut ex styli vel characteris diversitate judicium feratur; id quod insigni ratione et sagacia praestiterunt viri doctissimi, quibus orbis litterarius debet editionem s. Chrysostomi, s. Basilii et s. Augustini. Hoc argumento etiam veteres jam Patres usi sunt, ex gr. s. Hieronymus.[2])

Contradictio varii generis.

3) *Opus, cujus character et stylus plurimum dissidet a charactere et stylo illius aetatis, ad quam refertur, spurium, vel saltem dubium censeri debet.*

Defectus testimoniorum alterum efficit principium, quo spuria a genuinis dignoscamus Operibus. Sunt autem testimonia duplicis generis: testimonia ipsorum codicum, vel testimonia antiquorum auctorum. De his sequentes statui possunt regulae:

Defectus testimoniorum.

a) Si codices manuscripti, quotquot extant, vel nullum praeferunt Operis auctorem, vel diversum ab eo, quem exhibent editi, spurium est Opus.

b) Si codices manuscripti cujusdam Operis alii alium praeferunt auctorem, Opus illud est dubium; poterit tamen verus auctor inveniri, aliis etiam criteriis in subsidium vocatis, praesertim si sollicite indagetur, quem auctorem codices antiquissimi simul et optimae notae exhibeant.

---

bus tot de animarum praeexistentia, de improborum, quin et daemonum suppliciis tandem aliquando finem habituris, aliisque id genus somniis Origenianis testimonia habentur.

[1]) Hujus s Patris Homilias sat multas singillatim recenset Gennad. de viris illustr. c. 40.

[2]) S. Hieronym. de viris illustr. c. 58. Vid. etiam Concil. Constantinopol. II. a. 553. Collat. V. (Mansi T. IX. col. 265).

Defectus testimoniorum.

c) Si vel idem ipse auctor in Opere quodam indubitato vel alii Veterum, qui sunt probatae fidei, locos sive breviores, sive prolixiores ex Opere quodam allegant, qui in eodem Opere, prout hodie extat, non inveniuntur, nec quoad verba, nec quoad sensum, Opus istud, quod hodie circumfertur, vel depravatum, vel plane spurium habendum est; nisi forte vestigia adsint duplicis editionis ab auctore ipso adornatae, vel alia quadam probabili ratione defectus iste sufficienter explicari possit.

d) Si Opus quoddam, tributum praeclaro antiquae Ecclesiae viro aut s. Patri, qui ex aliis operibus innotuit, per plura inde a libro conscripto saecula, etiam ubi occasio apta fuisset vel materia substrata id postulasset, nemo Veterum, neque generatim, neque speciatim adduxit, Opus illud spurium vel saltem dubium habendum est, eoque magis si, qui primi illud protulerunt, suspectae fidei sunt.[1]) — Vocant id Critici *κατ' ἐξοχήν argumentum negativum*,[2]) ex silentio scilicet Veterum petitum; quod tamen caute admodum adhibendum est. Sic ex. gr. neque Photii, neque s. Joannis Damasceni silentium de Opere aliquo ullum animo potest ingerere scrupulum, quippe cum iis nec animus esset recensendi omnia Opera antiquorum Patrum. Ipse etiam s. Hieronymus in Prologo Catalogi sui de viris illustribus lubens concedit, nonnullos Scriptores Ecclesiae notitiam suam fortassis effugere po-

[1]) Hoc potissimum argumento s. Dionysio Areopagitae ab Eruditis uno fere consensu abjudicantur Opera diu ejus nomine pervulgata, quae prima vice ab haereticis Severianis in Collatione Constantinopoli habita a. 532 in lucem prolata sunt, statimque a Catholicis Episcopis explosa atque rejecta, utpote omni antiquitati Ecclesiasticae ignota. Vid. Mansi T. VIII. col. 820—21. Cf. Phot. Bibl Cod. 1. — Idem argumentum validissimum est, ut Symbolum sic dictum Athanasianum demonstretur non habere s. Athanasium auctorem. Alia exempla vid. in Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. c. 3. 25 et 38.

[2]) Fusius de hoc argumento negativo agunt Mabillon de Studiis monast. lib. II. c. 13. (p. 196—98). P. Honoratus a. S. Maria T. I. Dissert. III. Art. II., ubi et alii plures de hac materia scribentes allegantur, nec non cautelae in hujus argumenti usu necessariae indicantur, sicuti etiam Diss. VII. Art. VII.

tuisse, de aliorum autem Operibus generatim tantummodo mentionem injicit.[1]) Nec ex silentio antiquissimorum auctorum, qui non ex professo catalogum Scriptorum ecclesiasticorum texere instituerunt, et quorum complura aut forte vix non omnia Opera temporum injuria interciderunt, quidquam recte inferri potest contra aliud Opus, ex eodem vel ex priori adhuc tempore hodie superstes, quod aliis solidis criteriis munitum est.

§. 22.

Regulae praecipuae in usu artis Criticae observandae.[2])

Regulae observandae.

Ut horum principiorum rectus et legitimus fiat usus, ordo quidam est observandus et certae cautelae adhibendae sunt.

1) Ut Operis cujusdam verus auctor statuatur, ante omnia codices antiqui manuscripti inspiciendi sunt, ut reperiamus, quem illi auctorem prae se ferant; horum etiam codicum antiquitas, conditio, numerus, consensio vel dissensio sollicite attendatur.[3])

2) Deinceps videndum est, utrum ea, quae in Opere

---

[1]) Ex. gr. de s. Epiphanio vid. Catalog. c. 114., de s. Ephraem c. 115., de s. Basilio M. c. 116 et al.

[2]) Plura hanc in rem utilia ex praecipuis Criticis congessit Honoratus a S. Maria T. I. Diss. II. Partis I. Art. VII. et Diss. III. Art. I. et Art. X. et XI. — Diss. VI. Art. II. §. 1. — Diss. VII. Art. VIII. et IX.

[3]) Solent Editiones ss. Patrum praestantissimae accuratum omnium Codd. Mss. indicem, ex quibus editiones istae adornatae sunt, praemittere, eorumque conditionem describere, adeo ut etiam, qui Codices ipse non inspexerit, lector aliquatenus saltem judicium ferre possit, utrum Opus aliquod genuinum an spurium censeri debeat. — Caeterum praeclare monet Natalis Argonnensis: „Plurimum juvat hac in re exercitatio una cum doctissimorum Criticorum consilio, ac vetustiorum et melioris notae exemplarium perquisitione, quibus fidere multo magis consentaneum est, quam caeteris quibuslibet vel nullo nixis fundamento conjecturis.“ De optima methodo legend. Eccles. Patrum P. II. c. 15.

Regulae observandae.

isto continentur, conveniant auctori et aetati, cujus perhibetur esse illud Opus, an contradicant.

3) Si contradictio adesse videtur, res serio expendenda est; nec nisi certa prorsus ratione compellamur, Opus aliquod spurium esse arguere licebit. Praesertim summa cautione utendum, ne calculum aliquem chronologicum minus certum aut solum verosimilem sequamur, sicque falsa hypothesi decepti Opus aliquod tanquam spurium condemnemus; pariter summopere cavendum, ne ob exiguam quampiam styli diversitatem totum statim Opus repudiemus.[1])

4) Denique antiquorum auctorum testimonia in subsidium vocari debent, ex quibus Operis cujusdam verus auctor certius adhuc erui potest, praesertim si inde a libro edito continua fere adsit series testium, librum illum certo cuidam auctori vindicantium.[2])

Si conditiones istae simul occurrant, ad plenam de auctore Operis cujusdam certitudinem pervenire valemus. Quapropter si quaedam manuscripta existimatione digna, eaque inprimis, quae magis auctori coaeva esse videntur, in fronte, vel etiam in calce operis nomen certi cujusdam auctoris gerant, prima manu adjectum, quin ullum contradicat; si stylus fuerit ubique conformis stylo caeterorum ejusdem auctoris Operum, sicut et principia ac opiniones; si scriptores sive synchroni, sive paene synchroni ejusmodi

---

[1]) Ita Erasmus Roterodamus ob nescio quam styli diversitatem, quam sibi deprehendere visus est, majorem partem Operis s. Basilii de Spiritu Sancto, nec non s. Chrysostomi Homilias in Acta Apostolorum, et in epistolam alteram ad Corinthios rejecit, cum tamen ex Eruditorum omnium consensu satis constet, perperam Opera ista in discrimen fuisse adducta.

[2]) Hac regula jam usus est s. Augustinus contra Faustum Manich. lib. 33. c. 6. Cf. Dan. Huetii Demonstrat. evangel. Axioma I. — Plura, quae circa testimonia Veterum in disquisitionibus criticis bene attendere haud abs re erit, monet Hefele in Tübing. Theol. Quartal-Schrift J. 1842. p. 441—42. Nonnulla etiam notatu digna de testimoniis Veterum affert Honoratus a S. Maria T. I. Diss. II. Pars. I. et Diss. III. Art. IX. Diss. VII. Art. IV. et V.

Opus eidem auctori certo adscribant; si denique nihil gestum in hoc Opere legatur, quin cum historia sui aevi concordet, tunc extra omnem dubitandi rationem absolute dici poterit, opus istud ad auctorem illum pertinere. Regulae observandae.

5) Ut porro munus hoc recte exequamur, etiam naturales quaedam dispositiones desiderantur. Multo inprimis opus est ingenio mentisque acumine, multa item animi maturitate, circumspecto judicio, atque prudentia, quibus rationes utrimque ponderentur, omnibus in utramque partem sive testimoniis, sive conjecturis simul collectis; talis porro servetur methodus, ut singula, suo quaeque ordine, disponantur ac illustrentur, ita ut lumen sibi invicem conferant.

6) Insuper necesse est, ut justus alicujus Operis Censor eas materias optime calleat, ex quibus et de quibus crisin exercere parat. Ergo qui ex codicibus manuscriptis judicium ferre intendit, in codicum antiquitate et conditione aestimanda optime versatus sit oportet; qui ex notis historicis et aetatis cujusdam charactere Opera genuina et spuria dijudicare vult, historiam illius aevi accuratissime debet nosse, et ipsos historiae fontes sedulo consuluisse: qui ex auctoris charactere et stylo formare ejusmodi judicium aggreditur, et linguae, in qua Opus conscriptum est, bene peritus et in omnibus ejusdem Scriptoris Operibus apprime versatus sit, adeo ut eum ejusque characterem et stylum plenissime cognitum et perspectum habeat. [1])

7) Etiam ubi quis necessariis dotibus naturalibus et studio acquisitis instructus est, recta quoque intentio re-

---

[1]) Facile quilibet annuet, editores Operum singulorum Ecclesiae Patrum, praesertim ex Congregatione omni litterarum genere excultissima, qui haud raro plurimos annos, ad decem usque et viginti, omnibus undique codicibus collatis, et scriptis unius ejusdemque Patris iterum iterumque attenta mente perlectis, huic negotio impenderunt, hac ex parte omnibus dotibus gaudere, ex quibus ejusmodi quaestionum felix sperari possit dilucidatio; adeoque eorum auctoritas, si quaestio agitatur, utrum Opus aliquod genuinum sit, an spurium, summa est, a qua ut discedamus, gravissimae urgere debent rationes.

Regulae observandae.

quiritur, quae scilicet *veritate* nihil antiquius habet, nihil carius novit, quae neque aliorum et maxime virorum eruditione et sanctitate praestantium obtrectatione delectatur, neque conjecturis ingeniosis plus justo indulget, neque affectuum, utputa superbiae illusione abripitur, dum quis vel prae disputationis fervore aut nimio propriam sententiam tuendi studio opinionem aliquam, cui semel semet obstrinxit, quibuscunque argumentis sustinere nititur, vel etiam ex alicujus novitate sententiae, ingeniose praeconceptae, philautia assentante hallucinatur,[1]) vel demum immoderato dubitandi pruritu certissima quaeque levibus ex ratiunculis acuti ingenii ostentandi gratia in discrimen vocare nititur.[2])

8) Denique pariter cavendum, ne nimio, et caeco ss. Patrum amore ducti iisdem quam plurima Opera vindicare studeamus, neque etiam nimio, et acriori veritatis studio, quae vere ss. Patrum sunt, Opera impostoribus tribuamus.[3]) Dum enim illud agimus, facile haereticas

---

[1]) Mabillon de Studiis monast. lib. II. c. 13. Cf. Dupin T. I. Praefat. p. XVIII.

[2]) Perbene omnino hanc in rem notat L. A. Muratorius: „Certum non est divina certitudine, hunc illumve librum esse foetus ss. Patrum non confictos, non interpolatos," „nec ipsa Ecclesia unquam constituere poterit tanquam fidei dogma, hos illosve libros Hieronymo, Augustino, Chrysostomo aliisve Patribus esse adscribendos. Id nos tamen novimus et credimus evidentia edocti, quae et Aristoteli, et Ciceroni et Virgilio aliisve libros tribuendos esse edicit. Sublata hac evidentia nefas non est, de germanis hujusmodi librorum auctoribus dubitare. At qui contra evidentiam fidemque antiquitatis libros a Patribus conscriptos suscipere et deosculari nollet, compellendus foret poenis etiam gravibus ad opinionem hanc exuendam. Ii siquidem libri divinae atque ecclesiasticae traditionis promtuaria sunt, eorumque veritas et conservatio mirum in modum conducit Evangelicae doctrinae conservandae atque explicandae." Muratorius de Ingen. moderat. lib. I. c. 18.

[3]) Utriusque rei exempla habemus; et nimiae quidem facilitatis in editione operum s. Ambrosii, quam olim adornavit C. Felix de Montalto Romae 1580—1585, V. Voll. fol. saepius recusa Parisiis, Coloniae; nimiae vero severitatis accusatur a viris eruditis J. Garnier in sua editione operum s. Basilii. Paris. 1721—30, III. Voll. fol.

aut ineptas lucubrationes fidelibus offeremus s. Patris auctoritate ornatas; dum vero in alterum scopulum impingimus, tela veritatis propugnandae e Catholicorum manibus eripiemus; utrumque magno rei Catholicae vel dedecori vel detrimento.

Caput III.

De subsidiis ad recte intelligendos SS. Patres.

§. 23.

Causae obscuritatis et difficultatis in lectione SS. Patrum.

Difficultates in Patrum operibus.

Constat ex hucusque dictis, quinam vere et proprie nomine ss. Patrum intelligendi veniant, et quanta sit eorum, sive singulorum, sive consentientium in diversis disciplinis theologicis auctoritas; insuper etiam fixa sunt principia, ex quibus dijudicare licet, quibus revera Operibus haec competat auctoritas, seu quaenam sint Opera ss. Patrum genuina, quaenam spuria. Sed praeterea scripta illorum eo sensu intelligi debent, quem auctor eadem scribens animo conceperat ac in lectorum animis excitare intendit. Huic tamen rectae intelligentiae plura obstare inveniuntur, quae in scriptis ss. Patrum difficultates lectoribus movere aut obscuritatem inducere haud raro solent. Sunt autem difficultates istae triplicis potissimum generis; aliae quippe sitae sunt in ipsa *materia* substrata, quae nonnunquam tantae est altitudinis atque subtilitatis, ut mente humana vix percipi, humanis verbis vix concipi queat, adeo ut ipsa sublimissima et acutissima ingenia, qualia certe erant sancti Patres, illius tractationem aggredi reformidarent,[1]) et fieri vix posse

[1]) Ita de mysterio SS. Trinitatis contigisse videmus s. Athanasio; vid. Athanas. de morte Arii ad Serap. n. 5. et tota epist. ad Monachos praemissa historiae Arian.

Causae obscuritatum.

autumarent, quin scopulis hinc illinc imminentibus illiderentur.[1]) Aliae porro difficultates oriuntur ex *forma*, illorum Operum *externa;* quo spectat lingua, qua conscripti sunt libri isti, hodie emortua et plerisque incognita; methodus, qua ipsae res proponuntur, et argumentandi ratio, nonnunquam certo cuidam systemati philosophico conformata; singulares denique expressiones, vocabula, phrases, quibuscum ex aevi sui consuetudine aut ex proprio genio scriptores proprias notiones conjungunt;[2]) vel etiam minus accurata loquendi ratio, priusquam fixi essent termini, quia ante exortas haereses sancti Patres innocenter quaedam et minus caute et paulo securius locuti sunt.[3])

Denique obscuritatis etiam fontem constituunt variae *circumstantiae externae,* veluti dum adversarios impugnant, ad historiam alludunt etc.; vix enim scriptum qualecunque satis intelligetur, cujus origo ignoratur, ubi minime compertum est, quo tempore, qua occasione, a quo, ad quem sive contra quem fuerit confectum. Id potissimum obtinet de scriptis polemicis, nec non de epistolis, ex. gr. ss. Cypriani, Basilii, Gregorii Nazianzeni et aliorum; et tamen sanctorum Patrum epistolas reliquis eorum scriptis fere anteponendas esse norunt eruditi omnes, utpote in quibus auctoris ingenium, animi dotes, et mores magis eluceant.

Liquet igitur, ut ss. Patrum Opera cum fructu pervolvantur et rite intelligantur apta subsidia necessaria

---

[1]) Ita s. Augustinus ipse de difficultate disserendi de gratia et libero arbitrio ait: „Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.“ S. August. de gratia Christi contra Pelag. et Coelest. n. 52.

[2]) Luculentum hujus rei exemplum praebet varius apud varios ss. Patres usus vocis ὑποστάσις, φύσις etc. Brevitatis causa lectorem remitto ad Macar. a s. Elia Patrol. P. I. c. 6., ubi multa etiam alia hujus rei exempla proferuntur et explicantur.

[3]) S. Hieron. c. Rufin. lib. II. n. 17; s. Augustin. c. Julian. lib. I. n. 22. et de Praedestinat. Sanctorum n. 27. Cf. Dalham de Canone Dogmatum Christian. Lib. I. Diss. 15. n. 13. 14. 15. seqq.

esse. Possunt autem eadem reduci ad linguarum variarum, litterarum ac disciplinarum peritiam, et usum Editionum praestantissimarum illorum Operum.

§ 24.

De peritia in variis linguis ac disciplinis requisita.

Cognitio linguarum.

Primum igitur scientiis quibusdam profanis imbutus esse debet, qui ad lectionem ss. Patrum accedere et plenam ex ea haurire utilitatem voluerit. Huc spectat cognitio linguarum, philosophiae, historiae profanae et mythologiae. — Maximam utilitatem praestabit linguarum cognitio. Sanctorum Patrum quippe Opera vel graeca, vel latina vel syriaca lingua conscripta sunt. Itaque eum, qui ss. Patrum Opera pleno cum fructu legere desiderat, saltem graecam et latinam linguam ita nosse oportet, ut vocum significationes, dictionum proprietates et enuntiationum sensum mente perspiciat. Quaevis enim lingua multa habet sibi propria, quae in lingua aliena vix aut ne vix quidem accommodate reddi possint, cum vel ob verborum penuriam expressiones adaequatae desint, vel totius contextus vigor in aliena lingua, quae persaepe non tanta formationum et flexionum ubertate, neque tanta dictionis subtilitate et accuratione, neque tanta periodorum concinnitate gaudet, exprimi nequeat, vel denique accurata et elegans rem tractandi methodus in aliena lingua ob diversum minusve excultum linguarum characterem obfuscetur.[1])

Passim quidem versiones bene confectae inservire possunt, ut textus obscuri facilius intelligantur. Et quum ob temporum adjuncta variis in regionibus ea sit rerum conditio, ut ecclesiasticis quoque interdum minus familiares sint lingua latina et graeca, bene sane meruerunt viri

[1]) De his difficultatibus multum etiam conqueritur s. Hieronymus in Praefat. in Chronicon Eusebii a se latine versum. Cf. ejusdem s. Hieronymi ep. 57., quae inscribitur: De optimo genere interpretandi; et Plinii lib. 7. epist. 9.

Cognitio linguarum.

eruditi, qui varia ss. Patrum scripta in idiomata transtulerunt vernacula, ne ejusmodi thesauri multis delitescerent inaccessi.[1]) Universim tamen profundiora in Patrum Operibus studia prosequi non poterit, qui linguam saltem latinam et graecam non calluerit.

Opportune porro haec animadvertenda veniunt. Graeci quidem Patres praesertim saeculi quarti Athenis, ubi humaniores eo adhuc saeculo litterae florebant, exculti puram et elegantem dictionem et stylum sequebantur. Saepe tamen usus loquendi qualis apud Septuaginta interpretes et in novo Testamento graeco obtinet, eorum scriptis immiscetur, quum isti usui loquendi frequenter legendo s. Scripturam ipsi assuefierent. Denique etiam usus loquendi ecclesiasticus, dum novis rebus in christiana religione obviis nova fingere verba, aut prius usitatis novas indere significationes sensim adducta fuit Ecclesia, lectorem Patrum graecorum non fugiat. — Inter latinos autem Patres fuerunt quidem, uti s. Hieronymus et Lactantius, qui purae et eleganti dictioni operam dederunt. Quum tamen hac lingua Patres uti inciperent versus finem saeculi secundi, quando a nativa puritate et elegantia eadem jam deflexerat, ex indole rei etiam hi auctores christiani rationem scribendi sui temporis sunt secuti. Ob usum porro frequentem et quotidianum versionis latinae s. Scripturae, cujus certae sunt proprietates, atque ob eam quam diximus vocum et dictionum indigentiam ut quae religionis sunt christianae exprimerentur, etiam apud Latinos sensim se formavit lingua ecclesiastica cum sua indole speciali. Ex dictis antem intelliges, ad accuratam intellectionem operum ss. Patrum tum graecorum tum latinorum multum inservire *Glossaria* linguarum, tum uni-

[1]) In linguam Gallicam jam non pauca Opera integra ss. Patrum, uti ss. Augustini, Chrysostomi, Bernardi, translata sunt. In Germania vero permagnae utilitatis est illa operum ss. Patrum collectio patria lingua edita, quae inscripta ss. *Patrum Ecclesiae Bibliotheca* (Bibliothek der Kirchenväter) hisce annis Campoduni (Kempten) edita est. Dirigente enim Ex. D. Thalhofer, a variis viris apprime eruditis versiones illae non minus concinne quam accurate confectae sunt.

versalia[1]) tum specialia quae quoad aliquot Patres confecta sunt.[2]) Cognitio linguarum.

Lingua syriaca conscripta sunt Opera s. Ephraem aliorumque aliquot Syriae Patrum. Paucis tamen lingua haec ita cognita est, ut iisdem in horum Operum studio praestet; reliqui utentur versionibus illis quas recentiori praesertim tempore viri peritissimi confecerunt. Sed etiam lingua graeca certo nostra aetate non multis adeo familiaris est, ut integra opera Patrum graecorum in textu originali percurrere libeat. Hinc opportunae plurimis sunt versiones, inter quas latinae praestant, tum quod indoli linguae graecae propiores sunt, tum quod praecipuorum Patrum tales adsunt versiones latinae a Maurinis ingenti sollicitudine confectae, quae omnibus fere numeris abso-

---

[1]) Quoad *Patres graecos* inservient: *Suiceri* Thesaurus ecclesiasticus e Patribus graecis. Amstelod. 1662, emend. et auct. ibidem 1728 et Trajecti ad Rhenum 1746; 2 Vol. in fol. (Supplementum addidit Nothnagel 1821). Caute tamen hinc inde, utpote heterodoxus, adhibendus est. — *Du Fresne* seu *du Cange* (Ch. du Fresne sieur du Cange 1610—1688), Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis Paris 1688, 2 Vol. in fol. — Quoad *Patres latinos:* Du Fresne, Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis, Paris 1678, 3 Vol in fol., cujus editio nova lucupletior opera et studio Monachorum Benedict. ex Congregatione s. Mauri prodiit Parisiis 1736, et Venetiis 1740, 6 Vol. in fol. Supplementum hujus Glossarii est P. Carpenterii Glossarium novum ad Scriptores medii aevi, Paris 1766, 4 Vol. in fol. Utrumque autem in compendium redegit et nonnihil auxit J. C. Adelung, Glossarium manuale ad Scriptores mediae et infimae latinitatis, Halae 1784, 6 Vol. in 8°. Nova demum hujus praeclari operis editio adornata est nostro tempore Parisiis et inscripta: Car. Du Fresne Dom. du Cange Glossarium mediae et infimae latinitatis, auctum a Monachis ordinis s. Benedicti, cum supplementis integris P. Carpenterii et additamentis Adelungi et aliorum digessit Henschel. Paris 1844, 7 Vol in 4°.

[2]) Ita Onomastica quibusdam Patribus graecis in variis editionibus adjecta sunt, uti s. Athanasio et s. Chrysostomo in editione Montfauconii. In editione s. Irenaei quam curavit Massuetus pariter ejusmodi Index difficiliorum vocum graecarum et latinarum additus est. Indicem latinitatis Tertulliani confecerunt Schütz et Windorf, additusque fuit ad calcem editionis Operum Tertulliani ex recensione J. S. Semleri Halae 1776, 6 Vol. in 8°.

lutae dici possunt. Prae caeteris igitur istae Maurinorum versiones sunt seligendae. Dum vero de quaestionibus profundioribus ac de textibus difficilioribus agitur, necessarium plane est, ut ad textum originalem recurratur isque cum versione comparetur.

Cognitio variarum scientiarum.

Verum praeter linguarum cognitionem aliae etiam scientiae profanae requiruntur ad sensum ss. Patrum recte assequendum, nempe philosophiae Veterum, historiae profanae, et mythologiae Graecorum ac Latinorum aliqua saltem cognitio. Nemo enim mortalium ab eo influxu, quem primae aetatis institutio et educatio, cogitandi vivendique ratio diu assueta et relationes hominis externae in ipsum exserunt, semet penitus eximere potest. Patrum complures, et in his aliquot etiam Ecclesiae Doctores, antequam ad sacra christiana transirent, philosophico cuidam systemati addicti erant, sive Platonico, sive eclectico.

Talem cogitandi rationem, quae diuturna juventutis assuetudine in alteram quasi naturam abierat, etiam post conversionem suam non penitus poterant exuere, licet tum ea omnia respuerent, quae religioni christianae adversarentur. Caetera haud abjecere, utpote et vera et utilia, et in specie formam, quam a philosophis istis didicerant, exprimendi cogitata, utpote aptissimam, retinuere. Hinc et in omni vita et in scriptis editis aliqua priorum istorum philosophiae studiorum vestigia semper humana quadam necessitate elucebant. Praeterea vero philosophorum doctrinae fidei adversariis, sive gentilibus sive haereticis, passim arma contra religionem christianam et orthodoxam suppeditabant. Unde et ss. Patres identidem adigebantur variis in scriptis illam philosophiam expendere et argumenta ex ea petita diluere.

Sancti Patres etiam frequenter, quamdiu religio Gentilium non exspiraverat, eamdem variis modis impugnabant ostendentes, quam turpis et absonus sit deorum Gentilium cultus, quam absurdae de iisdem diis fabulae referantur, quam impiae sint idololatrarum de diis suis fictitiis eorumque cultu opiniones. Ejusmodi multa proferunt sancti Patres, qui apologias religionis christianae scrip-

serunt, ex gr. s. Justinus et reliqui saeculi secundi Apologetae, s. Cyprianus de idolorum vanitate, s. Athanasius contra Gentes, s. Augustinus de Civitate Dei, s. Cyrillus Alexandrinus in Opere contra Julianum et alii. Haec porro Opera absque aliqua mythologiae Graecorum et Latinorum notitia vix quisquam intelligere poterit.

In disciplinis sacris etiam, atque imprimis in theologia *dogmatica ac morali*, nec non in *sacra Scriptura* versatum esse debere, qui ss. Patrum Opera volvit, ut inde fructum capere possit, nemo est qui non videat. — Et quidem necessaria est praecipue cognitio theologiae dogmaticae. Saepissime sane in operibus Patrum de profundis fidei doctrinis tractatur. Antequam vero in controversiis cum haereticis et per Conciliorum definitiones accurate dogmata determinarentur et termini certi constituerentur, fieri non potuit, quin passim ss. Patres minus clare et determinate de hisce tractarent locutionesque duriores etiam adhiberent. Unde qui in theologia dogmatica non est versatus facile falso Patrum dicta interp retari possit Neque ipsae controversiae cum haereticis et scripta polemica ss. Patrum sine cognitione theologiae dogmaticae intelligi possunt. Cognitio disciplinarum sacrarum.

Maxime porro necessaria est ei, qui ss. Patres recte pleneque intelligere desiderat, *historia ecclesiastica*. Haec enim fata externa Ecclesiae sive prospera sive adversa enucleatius refert, ad quae Patres Ecclesiae in suis lucubrationibus saepe respiciunt. De haeresibus quoque ac de Conciliis variis, de cujusvis aetatis forma regiminis, de liturgia ac disciplina, de ritibus ac caeremoniis, per historiam ecclesiasticam sacramque archaeologiam ei junctam accuratius instruimur, ac de omnibus hisce capitibus identidem in scriptis ss. Patrum tractatur. — Noscere demum oportet dum Patrum Scriptorumve ecclesiasticorum Opera pervolvuntur, auctorum patriam, indolem, varia scripta, gesta et fata, quum omnia haec non minimi sint momenti ad ea intelligenda et dijudicanda quae in cujusvis auctoris Operibus inveniuntur. Unde etiam merito Operibus ss. Patrum jam vita eorum accuratius confecta

adjici solet, iique auctores qui de Patrum scriptis egerunt, simul et in vitam eorum inquisiverunt eamque brevius vel fusius descripserunt. Horum vero auctorum superius quantum opportunum videbatur fecimus mentionem.

Denique etiam cognitio *historiae profanae* antiquorum temporum requiritur, quia ss. Patres tum ad antiquas historias haud raro respexerunt, tum historiam sui temporis saepe attendunt et ad eventus illius alludunt. Neque *chronologiae* et *geographiae* antiqui temporis plane ignarum esse oportet, qui Scriptorum ecclesiasticorum Opera versat. Dum vero quis accuratius aliqua quae huc spectant perquirere vult, recurrat necesse est ad opera eruditorum qui de hisce ex professo scripserunt. [1])

§. 25.

De litterarum graecarum et latinarum in scripta ss. Patrum influxu.

Exponitur influxus litterarum antiquitatis.

Opera Auctorum ecclesiasticorum graeca vel latina lingua maxima parte conscripta esse, superius advertimus, fierique non potuit, quin litterarum graecarum ac latinarum conditio eo tempore, quo singuli quique Scriptores vivebant, in formam et indolem operum illorum permagnum exerceret influxum. Quaedam eo de argumento hoc loco exponere juvabit, quum in utendis et dijudicandis Patrum scriptis apprime haec usuveniant. — Inde ab initio Scriptores christiani lingua graeca usi sunt. Maxime

[1]) Quoad *chronologiam* consuli possunt: *Jos. Scaligeri* thesaurus temporum, Amstelodami 1658; *Petavius*, de doctrina temporum, Antverpiae 1703, 3 T. in fol.; L'art de vérifier les dates historiques etc. par des religieux Bénédictins de la congrégation de s. Maur, Paris 1750, 1818, 1844; *Ideler*, Handbuch der Chronologie, 2 Bde., Berlin 1825; *Brinckmeier*, Prakt. Handb. d. Chronologie, Berlin 1882. — Quoad *geographiam Schelstraete*, antiquit. Eccles. Romae 1692—1697, 2 T. in fol.; *Carolus a s. Paulo* geographia sacra cura Clerici, Amstelodami 1703, in fol.; *Le Quien*, Oriens christianus, Paris 1740, 3 Vol.; *Sprunner*, Handatlas für die Geschichte des Mittelalters und der neueren Zeit, Ed. 3. Gotha 1880.

enim in iis regionibus christiana religio propagata est, in quibus idioma graecum praevalebat, ac lingua haec, uti varii auctores advertunt, prae hebraica ob indolem suam valde excultam aptissima erat, ut sublimi ac profundae hujus religionis doctrinae exponendae et evolvendae inserviret. Aliquanto post, videlicet versus saeculum tertium, varii Occidentis Scriptores ecclesiastici lingua latina scribere coeperunt. Tum Graecorum vero tum Latinorum litterae, quum christiana opera edi coeperunt, evolutionis fastigium jam attigerant, ac sicuti in scripta Christianorum ea aetate suum influxum proficuum exercuere, ita postea quum Latinorum et Graecorum nationes politicae conciderent, litterarum illarum decor et indoles, uti et monumenta, ab Ecclesia conservata fuere.

Epochae litteraturae graecae.

Ad *litteras graecas* quod attinet, scire juvabit, ab eruditis *sex epochas* distingui. Epocha 1ª complectitur *litterarum graecarum rudimenta* usque ad Homerum, (a. 950 a. Ch.) — Epocha 2ª reputatur inde *ab Homero usque ad bella Persica* (a. 490 a. Ch.); variorum Graecorum documenta litteraria continet. — Epocha 3ª se extendit *a bellis Persicis usque ad Alexandrum M.* (a. 336—323 a. Ch.) quo tempore *litterae Atticae* maxime floruerunt, ita ut aurea litterarum graecarum aetas haec dici possit. — Epocha 4ª computatur *ab Alexandro M. usque ad Justinianum Imperatorem* (a. 527—566 p. Ch.), sub quo litteratura, ut dici solet, Graecorum gentilium penitus concidit. — Epocha 5ª est ea, quae complectitur tempora inde *a Justiniano Imp. usque ad expugnationem CPolis* (a. 1453) aetasque byzantino-christiana dici potest. — Epocha 6ª vero complectitur recentiora saecula usque ad nostram aetatem. — Qui fuerunt inter auctores graecos praestantissimi, uti in philosophia Plato et Aristoteles; in historicis disciplinis Herodotus, Thucydides, Xenophon; in eloquentia Demosthenes et Isocrates; in poësi Pindarus, Æschylus, Sophocles, Euripides; ad tertiam epocham pertinent. Deinde paulatim summus quidem ille splendor et decor litterarum graecarum imminutus est, attamen per plura saecula, imo inte-

gra subsequente periodo, disciplinae illae humaniores et artes magnopere floruere.

Idioma hellenisticum.

Advertendum porro est, praecipue ex quo tempore reges ex stirpe Ptolomaeorum in Ægypto regnarunt, ibidem graecas litteras valde excultas, et Alexandriae sedem praecipuam fuisse studiorum illorum; imo in toto Oriente atque in variis Occidentis regionibus jam graeca cultura invaluit. Atque ea aetate etiam Judaeorum lingua hebraica habuit in idioma graecum influxum, qui praesertim in scriptis variorum auctorum sacrorum et ecclesiasticorum advertitur. Judaei videlicet et Syri tum quod mercaturam amplam exercerent, tum quod Alexandri M. successores, principes graeci, illis regionibus potirentur, graeca lingua multum exinde usi sunt; in Ægypto vero efformatum est paulatim ex loquendi usu *idioma hellenisticum* illud, quod hebraismis valde permixtum a graecitatis puritate deviat. Hoc idiomate versio bibliae *Septuaginta* interpretum confecta est; eodem idiomate scripserunt Philo (n. a. 20 a. Ch.) et Flavius Josephus (n. a. 30 p. Ch.), atque etiam Apostoli eorumque discipuli eodem idiomate tum oretenus tum scriptis eo vel magis usi sunt, quod Judaeis hellenisticis primum praedicare religionem christianam solerent. Inde igitur factum est, ut priorum saeculorum christiani Auctores hoc idiomate hellenistico sua scripta composuerint. — Ea porro aetate qua Patrum et Auctorum ecclesiasticorum opera conscripta sunt, haud multi floruerunt auctores profani graeci idiomatis, qui ingenii sui novos ac praeclaros foetus produxere, sed insistebant scriptores antiquorum auctorum vestigiis. Praeter varios grammaticos, rhetores, sophistas, pauci occurrunt historici celebriores, uti Polybius et Diodorus; quidam eruditi in astronomicis et geographicis disciplinis gloriam aliquam adepti sunt; postremo vero *philosophi neoplatonici* jam sub influxu religionis christianae seriem scriptorum paganorum non sine celebritate clauserunt.

Quoad *litteras latinas* opportunum est haec animadvertere. Quinque epochas distinguere solent eruditi. — Epocha 1ª se extendit inde ab Urbe condita usque ad

Epochae litteraturae latinae.

Livium Andronicum (a. U. c. 515), quo tempore bellum Punicum primum finitum erat. Ad hanc epocham initia pertinent litterarum, conatus quidam poëtici, chronica et legum collectiones exiguo numero et valore. — Epocha 2ª se extendit usque ad M. Tullium Ciceronem (U. c. 648), vel usque ad Sullae mortem (U. c. 676). Ea periodo litterae graecae Romam introductae sunt, et ad earum exemplar et imitationem formatae litterae latinae. Ad hanc epocham pertinent Livius, Naevius, Ennius, Plautus, Terentius, Lucilius, Lucretius aliique, quorum opera tantum pauca, caeteris deperditis, ad nos pervenerunt. — Epocha 3ª, quae *aurea* dicitur, computatur a Cicerone usque ad mortem Augusti Imp. (U. c. 767 vel a. 14 p. Ch.); in ea floruerunt auctores illi classici, per quos litterae latinae ad perfectionis fastigium pervenere. Evolutae autem sunt, uti notum est, litterae latinae ad graecarum exemplar, ita ut minus apud Latinos quam apud Graecos specialis gentis character exprimatur. Universim vero litterae latinae indolem rhetoricam prae se ferunt, ac sicuti Romanorum mores et natura actionem magis quam speculationem persequebantur, illae disciplinae et artes prae caeteris excultae sunt, quae vitam practicam respiciebant. — Epocha 4ª, cui *argenteae* nomen dedere, se extendit a morte Augusti Imp. usque ad Antonini Pii Imperium (a. 138 p. Ch.). Magno numero ea quoque aetate scriptores latini iique insignes floruerunt, uti Valerius Maximus, Tacitus, Suetonius, Seneca, Plinius uterque, et alii; variique Imperatores etiam scholis publicis institutis litteras promovere nisi sunt; attamen auctores hujus epochae anterioris aetatis scriptoribus haud pares fuere. — Epocha 5ª litterarum latinarum computatur ab Antonino Pio usque ad expugnationem Urbis per Alaricum Gothorum regem a. 410 p. Ch., atque ea aetate jam magis magisque litterarum istarum splendor diminutus est. [1])

Jam T. Cicero: *Graeca leguntur*, inquit, *in omnibus*

[1]) Cfr. Bernhardy, Grundriss der römischen Literatur, ed. 4. Braunschweig 1865; Alzog, Patrologie, Einleitung §. 8.

fere gentibus, Latina suis finibus exiguis sane continentur.[1]) Atque ea ratione initio Christianismi praesertim lingua graeca inserviit, ut haec religio praedicaretur, ac Scriptorum quoque opera hac lingua confecta sunt. Latina lingua in usu erat in Italia septentrionali ac media, in parte occidentali Africae septentrionalis, in Galliis, in Hispania, et in regionibus ad Danubium sitis. In reliquis vero Imperii partibus idioma graecum adhibebatur; in quibusdam regionibus, uti in Gallia meridionali, simul cum lingua latina graeca in usu erat. Variae nationes inter se lingua graeca communicabant, ita ut esset idioma universale orbis; et vel in ipsa Urbe Roma usque ad initium saeculi quinti hujus linguae usus frequentior erat tum in litteris tum in hominum cultorum conversatione, quam ipsa lingua latina. Inde factum est, ut ii quoque Patres, qui Romae scripserunt, uti Clemens, Hermas, Caius, graeco idiomate usi sint; primum Minucius Felix, s. Victor Pontifex, ac Tertullianus versus finem saeculi secundi latine scripserunt.

Scriptorum christianorum opera.

Manifestum per se est, scripta Auctorum christianorum comparanda haud esse cum litterarum profanarum evolutione apud varias nationes. Harum litterarum rudimenta enim passim tempora spectant, quibus populi isti e barbarie vix emergebant, et eorum gesta obscuritate involuta sunt. Sed Christianismi initia nullo modo ejusmodi tenebris tecta sunt, at summa veritate ac certitudine eminent; propagata fuit haec religio apud nationes quae fastigium culturae intellectualis attigerant, et in quibus disciplinae et artes mire florebant. Illius igitur culturae litterariae etiam christiani Scriptores participes erant, et eorum scripta cum eadem cultura varium nexum habuere. — Auctorum christianorum alia scripta eventibus, qui ipsam religionem christianam attingebant, provocata fuere, alia in apologiam hujus religionis prodiere, alia etiam, uti Clementis Alexandrini et Origenis opera, id intendebant, ut doctrinae christianae eo modo exponerentur et defenderentur, qui culturae philosophicae illius aetatis conveniebat, ita ut etiam

[1]) Pro Archia poeta. c. 10.

objectiones et difficultates quae a philosophis gentilibus proferebantur, diluerentur. Quumque a philosophis antiquis, praesertim a Platone ejusque discipulis, plura quoad veritates naturales et morales bene dicta et exposita essent, varii Patres etiam eo se verterunt, ut harmoniam religionis christianae cum sana philosophia et cum philosophorum veris doctrinis ostenderent, simulque ejus eminentiam super philosophorum theorias vindicarent. Scriptorum christianorum opera.

Ex scopo ejusmodi practico eoque vario, quem in operibus suis Auctores christiani prosecuti sunt, etiam evenit quod opera poëtica primis saeculis vix prodierint; tunc tantummodo varia ejusmodi opera confecta sunt, quando saeculo quarto tranquilla pace Ecclesia fruebatur, ita ut etiam illas disciplinas ac litteras, quae imprimis delectant, aliqui Auctores excolere possent. Haud mirum quoque est, quod primis saeculis non inveniamus Auctores christianos, qui scripta composuerint ad profanas disciplinas spectantia. Gravissimum enim religionis negotium omnibus maxime et unice cordi erat, et qui ingenii dotibus praevalebant, eo se vertebant, ut religionem tuerentur atque ea tractarent quae religionem spectabant; profanas disciplinas eruditis gentilibus tractandas relinquebant.

Ad formam, stylum et sermonis concinnitatem litterarum christianarum quod attinet, jam diximus, idioma hellenisticum in scriptores graecos magnum influxum habuisse, et puritati linguae classicae aliquatenus obfuisse. Quum vero etiam Scripturae sacrae utriusque Foederis illo idiomate conscriptae in fidelium manibus versarentur, in versionem latinam bibliorum quoque lingua hellenistica exeruit influxum suum, ut latinus sermo Scripturae ei passim assimilaretur; indeque factum est, ut vestigia similia etiam in litteris latinis christianis inveniantur. Quum porro primi iique insignes Auctores christiani, qui lingua latina scripserunt, Afri essent, uti Tertullianus et Cyprianus, ea ratio dicendi et scribendi, quae Afris propria erat, in eorum scriptis invenitur, nec non universim in lingua latina Ecclesiae et scriptorum ecclesiasticorum passim vestigia ejusmodi reperiuntur. Caeterum varii auctores, Scriptorum stylus.

Scriptorum stylus.

uti e. g. Lactantius, stylum suum latinitati classicae, ad exemplar insignium auctorum epochae aureae, conformaverunt.[1])

Aliqui Patres interdum, ut melius intelligerentur, se vulgari rationi loquendi in quibusdam sermonibus vel scriptis accommodarunt. *Plerumque*, ait s. Augustinus, *loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas litterata*[2]), et, *saepe enim et verba non latina dico, ut vos intelligatis.*[3]) Passim etiam profitentur Patres, se, quum agatur de rebus summis coelestibus et spiritualibus, haud ita curare rhetorum praescripta. Ita s. Gregorius M. in epistola ad Leandrum, quae praevia est ad ejus Commentarium in Librum Job, scribit: *Quaeso autem, ut hujus operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras; quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosae loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio scimus, quia quoties in foliis male laetae segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Unde et ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolae tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque praepositionum casusque servare contemno: quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati.* — Sed ejusmodi ss. Patrum effata cum restrictione accipienda sunt; viri enim illi ingenio praestantes et arte dicendi insignes, saepissime, quamvis talia asserant, bene castigatae et virilis eloquentiae specimen exhibent, uti in ipsa hac epistola Gregorius Magnus.[4])

Illud demum notare opportunum est, pro varia gentium indole in litteris christianis Scriptorum graecorum

[1]) Cfr. Alzog. l. c. §. 9.; Möhler Patrol. (I. Introd. au premier âge etc. Vers. gall. édit. de Louvain p. 25 sqq.)

[2]) De doctrina christ. L. III. c. 3. n. 7.

[3]) In Ps. 123. n. 8.

[4]) De quorumdam ss. Patrum stylo et arte dicendi concinne scribit Fénélon, Dialogues sur l'éloquence, dial. III.

praevalere theoreticam et speculativam veritatum indagationem et contemplationem, in litteris vero latinorum Auctorum practicum vitae usum et mores amplius spectari. Illi ratione philosophica res perquirunt et tractant, hi rhetorica expositione potius eas evolvunt. Nihilominus inter Latinos floruit s. Augustinus, summus ille Doctor qui praecellit in inquisitione et contemplatione profunda et philosophica veritatum; inter Graecos eminuit s. Joannes Chrysostomus, qui prae caeteris morum doctrinas egregie exposuit, et aurea eloquentia earum inculcavit praecepta.

§. 26.

De praestantissimis editionibus Operum ss. Patrum.

Subsidium permagni momenti in usu ac studio ss. Patrum demum constituunt *editiones Operum ss. Patrum praestantissimae.* Relative haec vox intelligenda est, quatenus editio quae appellatur praestantissima cum aliis ejusdem Patris editionibus conferatur. Sunt autem editiones praestantissimae tales, quibus Opera genuina a spuriis et dubiis sedulo solideque discernuntur, textus originarius, quam fieri potest accuratissime, repraesentatur, difficultates in illo obviae elucidantur, aliaque adjiciuntur, quae viam faciliorem sternere possint ad sensum auctoris recte assequendum. Inter omnes, quaecumque habentur, editiones ss. Patrum locum facile primum occupant editiones, quas inde a medio saeculo decimo septimo usque ud finem saeculi elapsi in publicam lucem emiserunt Monachi Benedictini e Congregatione s. Mauri in Gallia; quamquam negari non possit, nec omnes ss. Patres ab eruditis istis monachis fuisse editos, nec Maurinos, (quemadmodum brevitatis causa saepe vocari solent,) omnes aequali ingenio parique successu, operam suam edendis Patribus impendisse. Unde et factum est, ut in uno alterove Patre ex. gr. s. Hieronymo alii post eos, novas istis editionibus curas adjicientes, majorem orbis

Editiones praestantissimae.

Editiones praestantissimae.

eruditi plausum retulerint, proprius ad perfectam normam praestantissimae editionis accedentes.

De ejusmodi igitur Maurinorum aliorumve editionibus praestantioribus operae pretium est haec advertere. In aestimandis veterum Patrum editionibus *textus* primum et potissimum spectandus est; in eo autem quaeritur, num sit emendatus, rite ordinatus, a spuriis purgatus, ac ineditis Operibus auctus. Alterum, quod in editionibus quaeritur, sunt Editoris lucubrationes, textui vel rebus illustrandis adjectae, ut dissertationes, admonitiones, observationes, notae etc. Sunt itaque hi praecipui characteres, quibus editio praestantissima insignita esse debet: Textus, quam fieri potest proxime et accuratissime repraesentet ipsius Patris autographum; haec autem prima dos editioni conciliatur, si Codices Mss. omnes, quotquot in orbe inveniri potuere, collati sunt, si eorumdem accuratus praemittitur conspectus, singuli describuntur, eorumque aetas et praestantia indicatur, demum si istorum codicum collationem instituerunt viri eruditi,[1]) critico acumine praestantes, in ejusmodi rebus tractandis versatissimi[2]) veritatisque amantissimi, quibus religio fuisset vel unum apicem immutare aut ulli conjecturae, quamvis splendidissimae, contra codicum fidem indulgere. Quare non solum textum purum et integrum exhibent, sed et lectiones va-

---

[1]) Lectiones variantes a textu edito discrepantes, ex novis collatis codicibus Mss. erutae, aliquando etiam a viris eruditis seorsim editae sunt; quo ex. gr. pertinent *Isidorianae Collationes*, quas ed. P. Possinus. Romae 1670 in 8°. In his enim solae lectiones variantes ex variis Codd. Mss. depromptae referuntur, quibus textus alibi editus emendari aut suppleri potest. Quapropter apertus est error, in quem Eruditi complures (Wiest, Permaneder, Locherer) prolapsi sunt, dum Collationes istas ceu optimam Operum s. Isidori Pelus. editionem allegarunt.

[2]) Ex variis lectionibus eas seligere et in textum restituere, quae sunt accommodatiores, res est, quae usum veterum librorum paene assiduum, gustum usu acquisitum, maturiusque judicium exigit, quam litteratorum vulgus opinatur, qui aranearum telas nos captare existimant, dum has, quas putant, minutias consectamur, ait vir doctissimus et celeberrimus Mabillon Praefat. in Opp. S. Bernardi n. 9. cf. n. 2.

riantes majoris momenti in aliorum Criticorum usum nec non conjecturas probabiles vel in margine vel in notis ad paginarum calcem adjectis lectori sistunt. Textus quoque non solum puritati et integritati suae restitutus est in editionibus praestantissimis, sed et mendis typographicis expurgatus; qua ex parte editiones Maurinae Parisiis impressae longe praestare solent iisdem editionibus Maurinis, quae Venetiis postea recusae sunt. Ordo autem, quem in optimis editionibus sequuntur plerumque Editores, vel materiae, vel tempori accommodatur, ita, ut juxta argumenti similitudinem ii libri jungantur in unam classem, quae similes materias sive dogmaticas sive morales etc. pertractant, in singulis autem classibus Opera singula ordine chronologico, quo exarata fuere, se excipiant; ordo iste praesertim necessarius est in Sermonibus et epistolis ss. Patrum.[1]) In istis porro editionibus praestantissimis Opera genuina sedulo a dubiis et spuriis secernuntur; ita, ut dubia et spuria (haec plerumque litteris minusculis) vel in fine omnium Operum genuinorum adjungantur, quod plerumque fieri solet, vel etiam singulis Tomis subjiciantur, ex. gr. in editione Maur. s. Chrysostomi. Opera denique ad illud usque tempus, quo editiones praestantissimae lucem publicam adspexerunt, recens inventa, quae in variis collectionibus veterum monumentorum ex. gr. Laur. Zacagnii, Cotelerii, Montfauconii, Mabillonii aliorumque[2]) dispersa habebantur, istis editionibus suo loco inserta fuere.[3]) Accedit in hisce editionibus

Editiones praestantissimae.

---

[1]) Quanti intersit epistolas Patrum suo ordine legere, facile experietur, qui ex. gr. epistolas s. Basilii M. (in edit. Maur.), epistolas s. Hieronymi (in edit. Vallars.), epistolas s. Augustini (in edit. Maurina) optime ordinatas perlegerit et hinc ad epistolas s. Gregorii Nazianzeni (in edit. Billii, quae vulgo circumfertur), vel ad epistolas s. Cyrilli Alexandr. (in edit. J. Auberti) se verterit, ubi absque ullo ordine sibi invicem intermiscentur.

[2]) De his Collectionibus fusius agit singulasque producit J. G. Walch Biblioth. Patrist. c. 3. §. 30.

[3]) Hoc titulo etiam nonnullae editiones post Maurinorum editiones factae multum commendari merentur, ipsisque editionibus Maur. praeferuntur, ex. gr. editio s. Athanasii per Nic. Ant. Giustiniani. Patavii

Editiones praestantissimae.

distinctio in capita et paragraphos breviores, quas numeris designare placuit,[1]) eaque valde commoda est tum lectori ss. Patrum, quia oculus animusque in istis, quibus plerumque cogitatuum series circumscribitur, quodammodo conquiescit, tum recentiori scriptori, qui locos varios ex ss. Patribus citat et indicat, atque etiam hujusmodi scriptorum legenti, qui, ut oportet, locos citatos in ipsis fontibus inspicere desiderat. In margine porro adscribi solet synopsis paragraphorum, quae lectionem librorum multo expeditiorem reddit; denique etiam in margine annotantur, sicubi documenta egregia dogmatica sive moralia, sive quae ad disciplinam historiamve Ecclesiae spectant, in textu occurrunt; Patribus dein graecis addita est e regione versio latina, fida plerumque, elegans atque perspicua. In iis vero Patribus graecis edendis, quorum nonnisi quaedam versio antiqua, fere latina, ad nos pervenit, quaecumque reperiri potuere graeci textus partes seu fragmenta etiam minutissima, versioni isti addita sunt. Patrum etiam graecorum antiquissimam, vel omnino coaevam latinam versionem, similique ratione Patrum latinorum versionem graecam, si qua forte hujusmodi extat,[2]) praeter interpretationem Patrum graecorum recentiorem optimam adjecerunt. Insuper in editionibus praestantissimis praeter notas, quae arti criticae inservire possunt, alia etiam continentur in Notis seu Observationibus paulo fusioribus, quae ad textum elucidandum difficultatesque solvendas ex historia sacra aut profana, ex chronologia

---

1777. in IV Voll. fol. facta, quae plura exhibet Opera post editionem Maur. demum detecta.

[1]) Deest tamen ejusmodi distinctio in capita et paragraphos, quorum posterioribus designandis in decursu hujus Operis semper hoc signum: n. (i. e. numerus) adhibebitur, in editione alias praestantissima s. Cypriani a Maurinis adornata; quare in ejus usu paginae semper notari debent.

[2]) Sic in Montfauconii editione operum s. Athanasii Vita s. Antonii in versione antiquissima latina Evagrii textui graeco subjicitur in Vallarsii editione Operum s. Hieronymi liber de viris illustribus etiam in versione graeca Sophronii juxta textum ejusdem libri latinum apponitur.

aut geographia facere possunt, quaeque ejusmodi sunt, ut vel paucis verbis et non admodum prolixa expositione absolvantur, vel ut indicatis solum aliis ejusdem auctoris locis vel aliorum sive Veterum sive recentiorum libris, quos lector consulat, obscura multa plana et perspicua reddantur. Aliquando etiam in notis sive scholiis errores Patris notantur, lector sanam doctrinam edocetur, interpretationes locorum obscurorum vel dubiorum apponuntur, aut melior sententia rationibus confirmatur. — Quae vero longiori expositione aut historica deductione indigent, ea sive in Prolegomenis, et Dissertationibus, sive in Admonitionibus pertractantur. In istis Praefationibus, Prolegomenis, Dissertationibus, Vita Patris, ex ipsius potissimum Operibus aliisque probatis vetustis Auctoribus collecta describitur, ita, ut fontes continuo indicentur, dubia et difficilia expendantur et accurate definiantur, chronologia figatur et praecipue Operum ab isto Patre elucubratorum ratio habeatur; plerumque etiam subjunguntur Testimonia Veterum de isto Patre, propriis eorum verbis relata. Editiones praestantissimae.

Insuper de Operibus s. Patris generatim agitur, deperditorum etiam, quantum fieri potest, vestigia exquiruntur, Codices Mss., quorum ab editore fieri potuit usus, singillatim recensentur et accurate describuntur quoad aetatem et pretium intrinsecum, editiones priores enumerantur, earumque virtutes et defectus indicantur. Porro series historica, qua Opera ista in lucem emissa sunt atque in editione ista sese excipiunt, argumentis prolatis vindicatur, praesertim epistolarum ordo accurate figitur. Denique etiam praecipua doctrinae discutiuntur capita, quae vel illustratione et expositione indigent, ne perperam intelligantur (ex. gr. in s. Hilario), vel ad controversias fidei hodiernas decidendas multum conferre possunt (ex. gr. in s. Cyrillo Hierosolym.). Singulis porro Operibus praemitti solent Monita seu Admonitiones, quibus, ubi propter mota dubia opus visum fuerit, eorum vindiciae aguntur, elucubrationis tempus statuitur, occasio et scopus indicatur, haud raro etiam argumenti analysis exhibetur et, quae sunt huic Operi propria, notantur. Idem

in dubiis quoque et spuriis Operibus, brevius tamen, fieri solet. Praeterea duo Indices ad calcem tam singulorum Voluminum, quam totius editionis adjungi solent, quorum prior locos s. Scripturae ibidem expositos et illustratos continet, alter rerum in Operibus ss. Patrum obviarum conspectum alphabeticum exhibet.[1]) Denique etiam Editorum nonnulli, ut Bern. de Montfaucon, editionibus suis Onomastica adjecerunt, quibus magno legentium commodo uno conspectu referuntur simul et explicantur occurrentes in libris cujusdam s. Patris vel novae voces, vel singularis eique auctori peculiaris significationis.[2])

§. 27.

De Collectionibus Operum ss. Patrum.

Collectiones variae.

His, quae de Editionibus Patrum generatim dicta sunt, aliqua etiam addere juvat de Collectionibus Operum multorum aut saltem aliquot ss. Patrum, quae variis titulis inscribi solent.[3]) Variis modis istae dividi solent, scilicet ratione materiae et temporis, in *universales*, quae continent monumenta Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum omnis aevi, quae ad omnes sese extendunt disciplinas theologicas, et *particulares*, quibus comprehenduntur monumenta ad aliquas tantum disciplinas theologicas pertinentia, ex. gr. dogmaticae ac polemicae, asceticae, con-

[1]) Tamquam norma perfecta talis Indicis ab Eruditis laudatur Index rerum generalis in omnia Opera s. Augustini, in fine edit. Maurinae, quam confecit D. Claud. Guesnié ex Congregat. S. Mauri.

[2]) De iis omnibus, quibus editiones Patrum praestantissimae insignitae esse debent, conferri potest Natalis Argonn. de optima methodo legend. Ecclesiae Patrum P. IV. c. 7. 8. 9. et praecipue Caillau in Opp. s. Gregorii Nazianz. (ed. Maur.) T. II. Praefat. Art. III.

[3]) Ex. gr. *Bibliotheca Patrum*, Monumenta Patrum, Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum, Spicilegium Patrum, Analecta vetera, Miscellanea, Collectanea veterum monumentorum, Anecdota etc. — Maximam in his omnibus percensendis industriam probavit, *Th. Ittig* in libro, cui titulus: *De Bibliothecis et Catenis Patrum variisque veterum Scriptorum ecclesiast. Collectionibus.* Lipsiae 1707. in 8vo.

cionatoriae, historicae; seu quae continent Opera Patrum certi cujusdam aevi, ex. gr. Opera Patrum Apostolicorum. Porro ratione linguae, in qua Opera ibidem exhibentur, sunt *graeco-latinae*, vel *latinae tantum*, quarum priores longe majori in pretio habentur. Quamquam vero ejusmodi Collectiones, sive majores, sive minores id praestant utilitatis, ut haud raro Opera in Bibliothecarum pulvere dudum latentia in iisdem cum orbe litterario communicentur, multorum etiam et variorum auctorum Opera, quae alias ingenti studio et labore undecunque conquirere necesse foret, unica ejusmodi Collectione conjungantur, scriptoresque ejusdem aevi aut similis generis, qui sibi invicem multum luminis affundere solent, uno quasi intuitu sistantur: ex altera tamen parte negari non potest, incommoda etiam quaedam iisdem fere semper inhaerere. Scilicet malo quodam magnarum praesertim hujusmodi Collectionum fato fieri solet, ut scateant passim nec paucis, nec levibus mendis sanaeque Criticae defectu laborent, paucis, ut iis omnibus plerumque careant commodis, quibus editiones Patrum bonae insignitae esse debent. Praeterea ad ingentes illas Patrum Collectiones tractandas pauci admodum accedunt, magna Operis mole deterriti, adeo, ut haud immerito dicas, Opera singulorum ss. Patrum, maxime minorum, quasi in immensum amplissimae ejusmodi Bibliothecae pelagus immersa latere. Collectiones variae.

Quasdam praecipuas hujusmodi Collectiones hic nominasse sufficiat. Primo loco commemoranda hic venit Maxima Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum Scriptorum ecclesiasticorum, quae prodiit Lugduni 1677. XXVII Voll. in fol.[1]) cura Phil. Despont. Praeclara vero con-

[1]) Ad hanc Bibliothecam pertinet Nic. le Nourry Apparatus. Paris. 1703—15. II Voll. fol. (vid supra §. 3.), et Simonis a S. Cruce Index Bibliothecae maximae Lugdunensis. Genuae 1707. fol. — Haec vero Bibliotheca maxima orta est ex *Margarini de la Bigne Bibliotheca veterum Patrum* etc. Paris. 1575. VIII Voll. fol, quae saepius recusa est, atque nonnulla Auctaria recepit, ex quibus praecipue memoratu digna sunt Front. Ducaei Auctarium gr. lat. Paris. 1624, II fol.; item Fr. Combefisii Auctarium novum gr. lat. Paris. 1648. II fol. et

Collectiones variae.

ditione, qua optimis Patrum editionibus nullatenus cedit, se plurimum commendat Andr. Gallandii Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum Scriptorum ecclesiasticorum, quae saeculo elapso Venetiis lucem aspexit XIV Tomis.[1]) In hac Collectione ea omnia litterarum monumenta ecclesiasticae antiquitatis et ss. Patrum studiosis exhibentur, quae post praecedentes *Patrum*, quos vocant, *majorum* editiones in lucem prodiere, eo consilio, ut quae antehac editis deessent, collecta simul atque digesta ordine chronologico ad saeculum usque XII. lectoribus magno compendio praesto essent. Est itaque Bibliotheca haec Gallandii collectio omnium *Patrum minorum* (uno alterove tantum excepto), quorum praestantissimae editiones, quae inveniri possunt, aliquando etiam emendatae et auctae cum Notis et Dissertationibus ac versione latina, originario Graecorum Patrum textui adjecta, singulari cura exhibentur, ita, ut omnia, quae in editionibus praestantissimis desiderantur, abunde hic quoque praestentur. Insuper Opera ss. Patrum majorum, quae absolutis jam praestantissimis eorum editionibus postliminio in lucem protracta fuere, Gallandius collectioni huic inseruit. Denique praeter nonnulla alia minus huc spectantia, ex. gr. quaedam Acta Martyrum et pseudepigrapha celeberrima, etiam antiquorum Patrum Fragmenta, disjecta plerumque et lacera, quotquot in variis aliorum auctorum scriptis inveniri potuerunt, in unum veluti corpus coagmentata illuc retulit, quo nimirum Operum jam diu deperditorum jacturam, ex eaque natum detrimentum vel hac saltem ratione pro virili sarciret.

---

ejusdem Auctarium novissimum gr. lat. Paris. 1672. II fol. Eadem vero Bibliotheca multum aucta postea prodiit sub titulo: *Magna Bibliotheca veterum Patrum etc.* Coloniae Agrippinae 1618. XIV Voll. fol., ad quam Tomus XV. Colon. 1622. ceu Supplementum sive Appendix (per Andr. Schottum) accessit. Haec iterum prodiit eodem titulo Paris. 1654, XVII Voll. in fol. Postrema haec editio prioribus eo praestat, quod complura Graecorum Patrum Opera non tantum latine, verum etiam graece exhibet.

[1]) Bibliotheca Veterum Patrum etc. cura A. Gallandii. Venetiis 1765—81. XIV Tomi in fol.

Collectiones variae.

His accensenda porro est *Collectio selecta s. Ecclesiae Patrum*, quae edita est accurantibus cl. viris Caillau et Guillon. Complectitur haec collectio 133 voluminibus in 8° praecipuorum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum opera.[1]) Sed quoad Patres graecos tantummodo versio latina exhibetur, ac desunt dissertationes, ac reliquus apparatus scientificus qui ad studia profundiora Operum ss. Patrum necessarius est. Unde opportuna quidem venit haec collectio, ut in bibliothecis privatis prae manibus habeantur Patrum scripta quae perlustrentur, quum vero agitur de doctrinis Patrum accuratius indagandis, aliis editionibus utendum est.

Nostro demum tempore prodiit *Cursus Patrologiae completus* curante cl. viro J. P. Migne, quae collectio reliquas omnes amplitudine superat. Complectitur enim Series latina hujus collectionis Patres et Scriptores qui usque ad obitum Innocentii III (1216) floruerunt, Series autem graeca Patres et Scriptores graecos (addita versione latina) usque ad Concilium Florentinum (1439). Excusa vero sunt Opera singula secundum praestantissimas editiones, atque adjecta variorum auctorum dissertationes aliaque adminicula opportuna. Maxime commendandus igitur est iste Patrologiae Cursus, cujus editor de disciplinis sacris ac de re catholica optime meritus a. 1875 ad meliorem vitam transiit.[2]) Defectus tamen varii notantur quoad correctionem typographicam et criticam selectionem textuum de quibus controvertitur. — Editio vero Scriptorum eccle-

---

[1]) Collectio selecta ss. Ecclesiae Patrum, complectens exquisitissima opera tum dogmatica et moralia tum apologetica et oratoria, accurantibus D. A. B. Caillau, nonnullisque cleri Gallicani presbyteris una cum D. M. Guillon. Parisiis 1829 sqq.

[2]) Cursus Patrologiae completus, seu Bibliotheca universalis, integra, uniformis, commoda, oeconomica omnium ss. Patrum, Doctorum, Scriptorumque ecclesiasticorum sive latinorum sive graecorum qui ab aevo Apostolico ad aetatem Innocentii III. (a. 1216) pro Latinis et usque ad Concilium Florentinum (a. 1439) pro Graecis floruerunt. — Complectitur Series latina voll. 217, (cum Indicibus 221), Series graeca prior usque ad Photium voll. 104, altera usque ad Concil. Florent. voll. 58.

Collectiones variae.

siasticorum latinorum usque ad Saeculum septimum, in qua summa perfectio quoad textuum emendationem criticam attenditur, inde ab aliquot annis Vindobonae Austriae, dirigente Academia Imperiali publicatur. Collectioni huic titulus est *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*. Collatis magna cum sollicitudine multis optimisque codicibus, varii eruditi hucusque quatuordecim volumina ediderunt, inter quae s. Cypriani Opera praecipuum sibi vindicant locum.[1]) Consulenda maxime haec editio est, ut de vera alicujus textus lectione secundum regulas critices judicium ferri possit. Non junguntur tamen auctoribus editis illa subsidia litteraria quae praecipue theologo opportuna sunt.

Scriptores varii Syri, Arabes et Armeni editi sunt a Jos. Sim. Assemani in sua *Bibliotheca orientali*[2]*)*; quaedam alia scripta Orientalium nostro tempore publicata sunt a variis auctoribus, uti Cureton, Lagarde, Lamy, Bickell, quos suo citabimus loco. — Non pauca vero Armenorum auctorum scripta, versione addita, in publicam lucem ediderunt Mechitaristae Monachi Venetiis ac Vindobonae degentes.

Inter Collectiones minores, quibus varia antiquorum Patrum monumenta e tenebris eruta et notis ac dissertationibus illustrata sunt, dotibus praestantissimarum editionum gaudent illae, quas adornarunt viri omni eruditionis genere conspicui, Henr. Canisius, L. Dacherius, J. B. Cotelerius, St. Baluzius, Ern. Grabius, J. Mabillon, J. Sirmondus, L. A. Muratorius, L. Zacagnius, B. Montfaucon,[3]) et nostra aetate Emm. Cardd. Ang. Majus, J. B. Pitra aliique complures. — E Collectionibus, quae ratione

[1]) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum. Vol. I—XIV in 8°. (90 M.) Vindobonae apud C. Geroldi filium.

[2]) Jos. Sim. Assemani, Bibliotheca orientalis Clementino-Vaticana; Romae 1719 sqq. 4 Tom. fol.

[3]) Has omnes et nonnullas alias Collectiones accurate recenset J. G. Walch Biblioth. Patrist., c. III. §. 30. De A. Maji Scriptorum veterum nova Collectione, edita Romae 1825—33. X Tomis in 8°. vide Supplementum ad J. G. Walch l. c. p. 17—20.

temporis dici possunt particulares, summa laude dignae sunt Collectio Patrum Apostolicorum [1]) et Collectio eorum auctorum, qui statim post illos altero Ecclesiae saeculo idiomate graeco Apologias religionis christianae conscripsere. [2]) — Demum etiam annotari merentur Collectiones quaedam acquisitu faciliores, quae, licet reliquae praestantissimarum editionum dotes fere in iis desiderentur, optimum tamen mendisque expurgatum textum exhibent, ac tironibus in studio Patrologiae multum commendandae sunt. Collectiones minores.

Sunt autem ejusmodi Collectiones: *Opera SS. Patrum polemica*, quae recudi curavit Fr. Oberthür; [3]) in hac amplissima Collectione continetur tota Collectio eorum auctorum, qui apologias saec. II. scripserunt, praeterea ibi exhibentur Opera Clementis Alexandrini et Origenis, et haec quidem graece et latine; ex Patribus latinis Tertullianus, s. Cyprianus, Arnobius, Firm. Maternus, s. Optatus Milevitanus, et s. Hilarius Pictaviensis (postremus cum Notis et Dissertatt.). Alia similis generis Collectio est Bibliotheca Patrum ecclesiasticorum latinorum et graecorum selecta, curantibus Gersdorf et Richter. [4]) Prae

---

[1]) SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, Opera vera et suppositicia, ed. J. B. Cotelerius. Paris. 1672. fol. Hanc editionem auct. recudendam curavit J. Clericus. Antwerpiae 1698. II Tomis fol. iterumque Amstelodami 1724. II Voll. fol. — Patrum Apostolicorum Opera ed. G. Jacobson. Oxonii 1840. Tomi II in 8vo. Editio vere praeclara, in qua tamen solae habentur Clementis, Ignatii et Polycarpi epistolae cum Ignatii et Polycarpi Martyrio. — Nostro vere tempore egregiam Patrum Apostolicorum editionem curavit F. X. Funk, Tubingae 1878—1886, Vol. II in 8°. Qua de re inferius agetur.

[2]) S. Justini, Tatiani, Athenagorae, s. Theophili Antioch. et Hermiae philosophi Opera, ed. unus ex Congregat. S. Mauri (Prud. Maranus). Paris. 1742. fol. recus. Venetiis 1747. fol. gr. et lat. cum Notis et Dissert.

[3]) SS. Patrum Graecorum et Latinorum Opera. Wircepurgi 1777—94. XXXIV Voll. in 8°.

[4]) Bibliotheca Patrum latinorum a Gersdorf, Lipsiae 1826 sqq. — Bibliotheca Patrum graecorum a Richter, ibidem 1826 sqq.

caeteris vero commendanda est ea collectio *opusculorum ss. Patrum*, quam additis dissertationibus et notis inde ab a. 1868 cl. H. Hurter S. J. edidit.[1])

Caput IV.

De usu Sanctorum Patrum.

§ 28.

De usu ss. Patrum generatim.

Restat, ut de studio et usu operum sanctorum Patrum agamus; quum tamen in aliis Theologiae disciplinis de hisce tractetur, paucis rem absolvere licebit.

Usus publicus et privatus.

Si respiciamus personas, a quibus Sancti Patres adhibentur, usus distingui potest in *publicum* et *privatum*. Prior ille instituitur vel ab universa Ecclesia docente in unum congregata, i. e. in Conciliis oecumenicis, vel a Romano Pontifice omnium Christianorum Patre atque Doctore, quando ex cathedra loquitur; alter autem fit ab hominibus quibuscumque privatis, praesertim a viris eruditis et clericis. Usus autem publicus, ubi Ecclesia docens ejusve Caput Traditionem consulit, in scriptis ss. Patrum depositam, maxime pertinet ad dogmata fidei et morum sive etiam ad Ecclesiae disciplinam. Finis illius praecipuus est, ex scriptis ss. Patrum dogmata, de quibus in Ecclesia lites exortae sunt, et in utramque partem disputatur, plena certitudine firmare atque fidelibus credenda proponere. Cum vero nonnisi consensus ss. Patrum saltem moralis, certum praebere possit argumentum veritatis divinitus revelatae, consequitur, in usu publico omnium aut fere omnium ss. Patrum sententiam de dogmate controverso exquirendam et sedulo expendendam esse, antequam feratur judicium. In illo porro usu publico singu-

[1]) H. Hurter, ss. Patrum Opuscula selecta in 8°, Oeniponte 1868 sqq.

lare Spiritus Sancti auxilium praesto est Ecclesiae ejusque Capiti, vi cujus, maxima adest probabilitas, singula ss. Patrum effata ad dogma probandum allegata eo sensu, quo sancti Patres illa protulere, fuisse ab Ecclesia ejusque Capite intellecta; plena autem et absoluta habetur certitudo, in eo dogmate vere consentire Patres, quod ab Ecclesia ejusque Capite ceu tale declaratur. [1])

Usus dogmaticus.

Usus privatus ss. Patrum imprimis ad theologos spectat virosque ecclesiasticos omnes, ut serio labore solidam scientiam acquirant dogmatum, ut de morum quaestionibus judicare valeant, ut Scripturae sacrae sensum scrutentur, ut effodiant thesauros amplissimos, qui pro cura animarum, pro verbi Dei praedicatione, pro ascesi ac pietate exercenda in iisdem operibus continentur. Sed etiam pro adolescentium institutione rite perficienda nostris diebus permagni interest, ut scripta Patrum quis noverit. Ac generatim ut quis eam ingenii et cordis habeat culturam quae statui ecclesiastico convenit et propria est, prae caeteris haud rudem eum oportet esse in operibus Patrum Ecclesiae.

§ 29.

De usu ss. Patrum quoad Dogmaticam et Moralem.

Ad *usum dogmaticum* sanctorum Patrum quod attinet, nemo ignorat, de eorum scriptis maxime Ecclesiae dogmata atque doctrinas erui, confirmari, explicari, solidamque etiam ex lectione Patrum acquiri methodum probandi dogmata et haereticos refellendi. Atque illud hac in re praecipue commendandum venit, ut quum a plerisque haud omnia Patrum scripta perlegi possint, seligatur tamen unum vel alterum opus pro variis Theologiae dogmaticae partibus, quod integrum legatur, ut qua ratione materiam

---

[1]) Plura de hoc usu publico heic subjungere supervacaneum videtur, cum illa ad scopum hujus libri non pertineant. Cf. de hoc usu publico L. A. Muratori de Ingen. moderat. in relig. negotio. lib. I. c. 19.

istam Patres tractent perspectum habeatur. Ita e. g. ut quae ad principia Traditionis et ad doctrinam de Ecclesia spectant, accuratius ex Patribus noscantur, aureum libellum *Commonitorii* Vincentii Lirinensis, ac Cypriani *librum de Unitate Ecclesiae* pervolvere admodum utile est; ut qua ratione s. Augustinus de gratia ac de praedestinatione tractet noscatur, ejus opuscula *de bono perseverantiae* ac *de praedestinatione sanctorum* legere multum juvabit eos, qui solida theologiae studia perfecerunt.

Usus in re morali.

Assiduus convenit, ut sit usus sanctorum Patrum pro *doctrina morali, ascesi* et *cura pastorali*. Sancti Patres Christi et Apostolorum exempla secuti, ac plerumque verbis et sententiis s. Scripturae innixi fere omnibus suis operibus ceu totidem flores innumera fere morum praecepta insperserunt, eadem iterum iterumque inculcarunt, atque omnem impenderunt sollicitudinem, ut brevibus, nervosis atque elegantia plenis sententiis expressa hujusmodi morum praecepta memoriae firmiter haererent, animumque efficaciter moverent. Motiva etiam, quibus animus hominis ad virtutem colendam exercendamque accendi potest, verbis disertissimis et efficacissimis exposuere. Insuper plerique ss. Patrum de quibusdam virtutibus singulares reliquerunt Tractatus, quibus homines de istis virtutibus recte instituere, eosque ad illas sectandas permovere intendebant, e. g. de virginitate, de oratione, de patientia, de misericordia in pauperes; praecipue Homiliae et Sermones ss. Patrum frequenter hanc vel illam virtutem christianam commendant, aut a vitiis deterrent. Aliquando etiam conciones ad populum habitas postmodum in librum redegerunt, quod praesertim agere solebat s. Ambrosius; necnon historiam quamdam Veteris Testamenti, e. g. Abrahae, Josephi Ægyptiaci, Moysis, cum perpetua ad formandos mores applicatione narrantes exposuerunt, auditorum lectorumve delectationi simul et instructioni ea ratione consulentes. Postremo in exponenda s. Scriptura nonnulli sensum seu applicationem moralem continuo secuti, dum librum quemdam s. Scripturae explanarent, plenam simul institutionem morum tradiderunt,

cujus rei luculentum praebent exemplum s. Gregorii M. Moralia in Job.

Insignis pariter usus ss. Patrum fieri potest pro ascesi, cum viri isti sanctitate conspicui, qui praeclaris magistris et propria experientia diu multumque in scientia Sanctorum profecerant, persaepe in scriptis suis varia media optimamque methodum vitia debellandi, peccata vitandi, defectus sensim eliminandi, in virtute proficiendi, ad perfectam demum sanctitatem perveniendi, describunt et commendant. Patet hinc, ex iis etiam pro arte pastorali egregium derivari posse usum. Atque animadvertendum est, hisce in rebus epistolas quoque ss. Patrum insignis pretii esse. Immensus enim in iis invenitur thesaurus praeceptorum, principiorum, regularum; quaestiones et casus discutiuntur, qui pro impetrando prudenti consilio Patribus sanctitatis et eruditionis laude florentibus solvendi propositi fuerunt, ipsorumque ss. Patrum indoles, animus, virtutes in istis epistolis ad vivum expressa relucent.

Opiniones falsae.

Hoc vero loco opportunum videtur monere, cavendum esse a tendentia in quam inciderunt saeculis decimo septimo et decimo octavo non solum homines Jansenismo addicti, sed etiam alii quidam auctores catholici. Dum enim Patrum doctrinam moralem et disciplinam addiscendam atque sequendam esse vehementius proclamarent, recentiores auctores morales ut casuistas contemptui habuere, passim a doctrinis ss. Patrum eos alienos esse pronuntiaverunt, atque etiam pro instaurandis antiquae Ecclesiae disciplinae praescriptis, ritibus, poenis, ea scripserunt atque egerunt quae nullatenus christiano populo proficua fuere. Ne de Jansenistis agamus, ejusmodi tendentiae vestigia e. g. etiam in iis inveniuntur quae habet Argonnensis, dum L. III. c. XIV agit *De lectione Patrum christianam morum doctrinam exponentium.* Refellens videlicet adversarios, quos revera adfuisse aegre crediderim: *Hinc perspicue liquet,* scribit, *quantopere fallantur qui dicere audent, tenebras ab iis offundi, qui de Morum Doctrina consulunt Ecclesiae Patres. Quid enim amabo, ante natos re-*

Opiniones falsae.

centiores Casuistas fieri solebat in Ecclesia? Numquid universus terrarum orbis in ignoratione versabatur, atque caligine? minime gentium. Fortunatissimis illis temporibus, quibus serpentis prudentia nondum vicerat simplicitatem columbae, quum primum nasceretur in re morum controversia, illius solutio non a subtilitatibus dialectices, non ab illecebris cupiditatis, non ab humanarum traditionum circuitionibus petebatur, sed singulae oves ad suum confugiebant pastorem, pastoresque singuli non aliam, quam canonum suaeque ecclesiae Ritualium regulam sequebantur . . . Verum minus leviter absurdeque opponi posset, Patrum opera tanto numero esse tantaque amplitudine, ut vix ac ne vix quidem ab iis colligi possint omnia morum praecepta atque principia. Revera quidem in hac monumentorum multitudine doctrina morum nec initium ullum nec finem habere videtur, atque res omnes omnium expeditissima foret ad recentiores casuum expositores recurrere, qui suas ex ordine alphabetico decisiones exhibent. Haec sane via omnium brevissima est atque facillima; nec ingenii facultatem postulat neque judicium; eaque posita non est, cur res funditus investigentur, vel difficultatum solutio ac enodatio a primis principiis repetatur. Dein eam disciplinam in Ecclesiam inducendam commendat, ut presbyteri in sacro tribunali non sedeant, *nisi post multos atque seniles etiam labores in Scripturarum ac sanctorum Patrum lectione impensos, post diuturnas firmissimasque meditationes, quibus inter lepram et lepram sententiam ferre didicissent.* Advertit porro, universas Patrum sententias ad aliquas praecipuas, quae tandem in unum desinunt amorem Dei, revocari posse; eoque amore suscepto etiam consilia nostra regi, et cor ac mentem illustrari. — Qua quidem in re veri aliquid continetur; sed mox auctor stylum vertit in auctores et doctrinas laxismo, ex ipso, infectos. *Qui ita comparatus est animo*, scribit, *nullo negotio vitabit insidias, cavillationesque ex nimio sui amore profectas, nec non mentales restrictiones a Tertulliano contra Marcionem primitivis jam saeculis condemnatas; tantum enim abest, inquit, ut fraudulentis hisce responsis fidem suam liberare quis possit, quin potius arc-*

tiori eam vinculo obfirmet, atque hujusmodi subterfugiis utens omnium in se odium concitet indignationemque. — Simili ratione in alia quaedam capita doctrinae morum recentioris imprudenter invehit.

Rejiciuntur.

Ejusmodi comparatio, ac si ab antiquorum Patrum doctrina morali et ascetica recentiores recesserint, ita ut in laxismum vel formularum subtilitates inciderint, etiam nostro tempore interdum insinuatur, quamvis haec jam ita urgeri non soleant, uti id ultimis saeculis duobus a quibusdam fiebat. Sed sententia haec falsa est. Solidi enim auctores morales nullatenus a Patrum principiis deflexerunt, sed eadem omnino sequuntur. Maxime utile autem, imo necessarium fuit, ut practica ratione doctrina moralis disponeretur casuumque variorum expositione et solutione clericis ea facilius et brevius traderentur, quae ad sacramenti poenitentiae administrationem spectant. Quoad aliquam vero disciplinae ecclesiasticae variationem ac diversitatem ab antiquis temporibus, advertendum est, Ecclesiam continuo Spiritu Dei regi ac pro temporum hominumque diversitate merito quaedam immutata esse, ut fidelium saluti efficacius provideatur vel eorum infirmitati aliquid indulgeatur. — Sed dum haec opportune prae oculis habentur, maximi sane momenti est, quod tamen passim negligitur, ut ab ecclesiasticis opera moralia ss. Patrum evolvantur. Ea ratione profundius christianorum morum ac pietatis principia animis figuntur, atque non solum intellectus acie morum regulas perspectae habebuntur, sed etiam cor ad christianae perfectionis amorem accendetur ejusque vigore roborabitur.

Quaenam sint eximia opera Patrum quoad disciplinam moralem atque asceticam, quum de singulis ss. Patribus agemus, exponetur; juvabit tamen hoc loco quaedam indicare. Hac in re igitur imprimis commendanda est lectio Patrum Apostolicorum, s. Clementis Romani, inquam, s. Ignatii et s. Polycarpi, inter quos aptissimus qui primo loco legatur est s. Clemens, quia plano et facili dicendi genere utitur. Hisce proximo loco jungenda sunt varia opuscula s. Cypriani, uti ejus Testimoniorum liber

tertius, libri de patientia et de oratione, s. Basilii Moralia, et s. Augustini Speculum. Qui dein omnem Theologiam morum in uno Patre invenire et haurire desiderat, s. Joannem Chrysostomum assidue revolvat, et ex Latinis s. Gregorium Magnum, praesertim ejus Moralia in librum Job. Epistolae s. Hieronymi pleraeque tam praeclara morum praecepta, quam eximia virtutum exempla egregio plane stylo et eleganti dictione subministrant.

§ 30.

De usu ss. Patrum quoad studium ss. Scripturae et quoad eloquentiam sacram.

Usus exegeticus.

Ad *usum exegeticum* ss. Patrum quod spectat, imprimis monendum censemus, bene perspecta in eo et prae oculis habenda esse ecclesiasticis, quae de sensu *litterali* et *spirituali* sacrae Scripturae accuratius nostri temporis auctores exposuerunt. Secus enim facile accidet, ut quum varios sensus et interpretationes textuum s. Scripturae apud varios Patres, imo et apud eumdem lector invenerit, vel mira confusione ipse turbetur, vel parvi pendat quae apud illos antiquos Scriptores invenerit. Opportunum erit paucis rem explicare. „Sensum litteralem Scripturarum, ait Patritius, vocamus id, quod Spiritus sanctus directe intendit ac proxime, et verba directe praeferunt, atque etiam proxime si propria ea sint, remote autem si sint translata, idque in quantum translata sunt. Sensum vero spiritualem id nominamus, quod sub sensu litterali delitescens, exprimere quidem Spiritus sanctus directe intendit etsi remote, verba tamen oblique praeferunt, si, inquam, conferantur cum aliis quibusdam Scripturarum partibus, nec nisi remote, rebus, quas ipsa significant, interpositis.“ [1])

Spiritualem sensum videlicet jam auctores gravissimi inde dimanare censent, quia per ea quae in Scripturis narrata sunt aut commemorata, alia praeterea Deo auctore

[1]) De Interpret. Script. Sacrar. L. I. n. 2.

significabantur, ita ut, si nil tale unquam habuisset divina οἰκονομία, per quod alia significarentur, aut quamvis aliquid hujusmodi habuisset, nihil tamen de hoc scriptores bibliorum litteris mandassent, nullum spiritualem sensum haberent Scripturae.[1]) Ad rem s. Thomas: *Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis; illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit.*[2]) — Sensus igitur ille spiritualis Scripturae inde imprimis provenit, quod res vel facta, quae narrantur, sint *typi* aliarum rerum et factorum, et ita quae de illis dicuntur, oblique et indirecte etiam ad haec referenda sint; seu ex ipsis typis in verba Scripturae sensus spiritualis derivatur. Rem totam exemplo cum Patritio declaremus. Verba illa: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* (II Reg. 7, 14) sensum habent spiritualem. Sane Spiritus sanctus per ea *proxime* intendebat Salomonem designare, quum eorum sensus litteralis Salomonem exhibeat; per id vero, quod de Salomone his verbis est locutus, *remote* videlicet, voluit aliquid de Christo edicere. Id tamen oblique verba praeferunt, quandoquidem qui ea legit non perspicit alium quoque praeter Salomonem illis iisdem verbis commemorari, nisi legerit prius Pauli epistolam ad Hebraeos[3]); in tantum autem Christum quoque verba haec praeferre possunt, in quantum Salomon, de quo sunt prolata, Christi typus fuit; unde etiam

Sensus spiritualis s. Scripturae.

---

[1]) Ibid. n. 285.

[2]) S. theol. 1, q. 1. a. 10 cit. ap. Patritium l. c. n. 284. — Cfr. s. Thom. Quodlibet VII. q. 6. a. 14, 15, 16.

[3]) „Cui enim dixit aliquando Angelorum . . . Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?“ Heb. 1, 5

Sensus spiritualis s. Scripturae.

spiritualis eorum significatus, qui Christum exhibet, *delitescere* dicendus est sub sensu litterali, qui exhibet Salomonem.[1])

Prioris foederis oeconomiam typis ornatam fuisse, ex ipsa Scriptura et Patribus abunde constat, atque hanc typologiam latissime patere multi existimant. Sunt vero varii typi *prophetici*, uti e. g. Isaac, Ismaël, Moyses, petra ex qua potum Israëlitae hauserunt; varii typi *anagogici*, quatenus res natura sua terrenis ac corporeis superiores exhibent, ut e. g. manna et templum Salomonis; sunt dein multi typi *tropologici* (τρόπος, mos), quibus figurantur ea quae ad mores spectant. Huc pertinent ea quae a s. Paulo commemorata Israëlitis in deserto acciderunt.[2]) — Ex his igitur quae ad sensum litteralem et spiritualem seu mysticum s. Scripturae spectant, intelligentur.[3])

Advertendum tamen est, sensus spiritualis in scriptis ss. Patrum adhuc aliam significationem occurrere. Passim enim illa expressio adhibetur ad eas sententias designandas, quae quidem immediate Scripturae textibus non subsunt; eorum tamen quae in ipsis dicuntur aut narrantur consectaria quaedam sunt et consequentia. Haud desunt vero optimae causae, cur credamus Spiritum sanctum haec quoque non quidem verbis Scripturarum exprimere, sed ex Scripturarum narrationibus sententiisque inferenda nobis suggerere voluisse. Inter caetera videlicet in bibliis edendis id etiam Spiritus sanctus sibi proposuit, ut ea quoque nos doceret, quae ex bibliis colligimus atque eruimus, quaeque consequuntur ex materie atque argumento, ac pertinent sive ad mentem veritate doctrinarum imbuendam, sive ad mores honestate informandos, non secus atque illa ipsa, quorum consectaria sunt et quae aperte atque expresse in bibliis habentur. Atque adverti potest,

---

[1]) Patritius l. c. n. 342.

[2]) I Cor. 10, 5—11.

[3]) Sensum spiritualem per typos universim s. Paulus *allegoriae* voce significat, scribens de historia Isaac et Ismaëlis: „Quae sunt per allegoriam dicta; haec enim sunt duo testamenta.“ Gal. 4, 24.

quem ss. Patres sensum spiritualem aut mysticum vocant, saepe non sententiam verbis Scripturarum subjectam, sed esse ea de quibus nunc diximus, *consectaria et consequentia ex sententia ipsa*, imo quidquid veri occasione capta ex iis quae in Scripturis legimus mente occurrit. Attamen quae ita cum Scripturarum sententia sunt connexa, ut manifesta ac necessaria consecutione ex hac conficiantur, secernanda ea sunt ab illis, quae alia via, e. g. ex nominum etymis, ex numerorum rationibus exque aliis similibus menti biblia legentium occurrunt, quum priora illa certo ex Scripturarum sententia consectentur, non item posteriora, sed haec solum probabiliter plus minusve.[1])

SS. Patres quoad sensum spiritualem.

Haec igitur opportune prae oculis habenda sunt, ut cum fructu opera Patrum, quibus ss. Scripturas exponunt, evolvantur. Varii Patres egregie in sensu litterali Scripturarum eruendo et exponendo laboraverunt, uti s. Hieronymus et s. Joannes Chrysostomus; alii Patres multum in eo versati sunt, ut spiritualem seu mysticum Scripturae sensum exponerent. Generatim tamen Patres advertunt, sensum litteralem considerandum esse tamquam basim necessariam cui superstruatur expositio spiritualis. Ita s. Gregorius M., qui sensum spiritualem, praesertim moralem, sedulo prosequitur, scribit: *Hoc magnopere petimus, ut qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat, a veneratione historiae non recedat.*[2]) Spiritualis sensus vero Patribus imprimis est ille sensus *delitescens,* qui ex rebus et factis utpote typis et figuris exoritur. Quumque varii Patres ejusmodi typicam rerum significationem in Veteri Testamento valde amplam esse censerent, secundum illud Apostoli: *Omnia in figura contingebant illis,*[3]) etiam multum in illo sensu inquirendo versati sunt. Ex his vero unus alterve, praesertim Origenes, qui caeteroquin Patris honore non gaudet, in sensu allegorico adstruendo nimium progressus est, ita ut litteralem negligeret. Dein vero, uti

[1]) V. Patritium, l. c. c. XVII.
[2]) Moralia in Job, L. I. n. 57.
[3]) I Cor. 10, 11.

SS. Patres quoad sensum spiritualem.

jam diximus, spiritualem vel mysticum sacrae Scripturae sensum Patres passim dicunt sensum illum, quem *consequentem* quis dicere posset, videlicet consectaria ea quae ab ipsis quoad mores et pietatem praesertim ex Scripturae textibus eruuntur. Magna cum reverentia sane haec ob ss. Patrum dignitatem accipienda sunt. Facile autem vides, etiam quando minus certa videtur aliqua explicatio hujus generis, dum v. g. computatione numerorum subtilius pro actie e indole ingenii sui aliqua quae ad mores pertinent deducunt, optime ea, etiamsi res non satis sibi constet, si hoc modo considreantur, ad pietatem verti posse, nec inde contra ss. Patrum expositionem ac si naeniis indulgerent, conclamandum esse.

S. Augustin. quoad sensum litteralem.

Videtur s. Augustinus existimasse, multiplicem etiam sensum litteralem textibus sacrae Scripturae passim subesse, quod prae oculis habendum est, dum ejus scripta leguntur. Etenim in libris Confessionum, postquam fusius disputavit de diversis significationibus primarum vocum Geneseos: *In principio creavit Deus coelum et terram,* ita concludit: *Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut, quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem caeteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum* (Moysem) *de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest*[1].) Quam sententiam etiam in *Libris de doctrina christiana* (L. III. c. 27) plenius explicat, advertens, etiamsi ipse scriptor sacer varios illos sensus non perspexerit, tamen Spiritum sanctum eos verbis subdere potuisse. — Utrum S. Thomas in eam sententiam etiam abierit, controvertitur;[2]) posteriores multi

[1]) Conf. L. XII. c. 31.

[2]) „Non est inconveniens, ait, ut dicit Augustinus XII Confes-

interpretes ita senserunt, sed plerique recentiores existimant, hac in re cum reverentia debita a sententia s. Augustini esse discedendum.[1]) Non est hujus loci de hac quaestione plura dicere; quae vero attendenda sint, ut cum fructu expositio s. Scripturae apud ss. Patres legatur, ex iis quae proposuimus satis colligi potest.

Eloquentia ss. Patrum.

Permagnae utilitatis studium et usus ss. Patrum etiam est pro *verbi Dei praedicatione*, ut eloquenter simul ac pie et solide sermones de fide ac moribus habeantur, atque summi oratores, uti Fénélon ac Bossuet, hac in re maxime commendant, ut opera Patrum sedulo pervolvantur. Qua in re sufficiat illa citare quae Fénélon scribit: „Ce sont nos maîtres. C'étaient des esprits très élevés, de grandes âmes pleines de sentiments héroïques, des gens qui avaient une expérience merveilleuse des esprits et des moeurs des hommes, qui avaient une grande autorité et une grande facilité de parler. On voit même qu'ils étaient très-polis, c'est-à-dire parfaitement instruits de toutes les bienséances, soit pour écrire, soit pour parler en public, soit pour converser familièrement, soit pour remplir toutes les fonctions de la vie civile. Sans doute tout cela devait les rendre fort éloquents et fort propres à gagner les hommes. Aussi trouve-t-on dans leurs écrits une politesse, non seulement de paroles, mais de sentiments et de moeurs, qu'on ne trouve point dans les écrivains des siècles suivants.“[2]) „C'étaient de grands hommes, non seulement fort saints, mais très-éclairés sur le fond de la religion et sur la manière de persuader les hommes, qui s'étaient appliqués à régler toutes ces circonstances: il y a une sagesse merveilleuse cachée sous cet air de simplicité.“[3])

---

sionum, si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus.“ S. Th. 1. 1. a. 10. — Studet tamen Patritius evincere, Doctorem Angelicum illam sententiam haud amplexum fuisse. L. c. nn. 47 sqq.

[1]) Cfr. Beelen, Dissertat. de multiplici sensu litterali etc. Lovanii 1845; et Patritium l. c.

[2]) Fénélon, Dialogues sur l'éloquence, Dialogue III. Oeuvres de Fénélon, tome II. p. 182; édit. de Paris 1829. [3]) Ibid p. 185.

Usus Auctorum christianorum.

Merito postremo nostro tempore enixius commendatum fuit, ut praeter opera classica auctorum profanorum antiquitatis, etiam scripta ss. Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum in studiis humanioribus peragendis adhiberentur. Non est hujus loci, ut accuratius motiva gravissima evolvamus, propter quae ejusmodi usus Auctorum christianorum maxime conveniens et proficuus est. Sufficiat vero pauca advertere quae in hac re observanda videntur. Oportet igitur, qui hujusmodi studia dirigit, satis versatum esse in lectione operum et in gestis atque adjunctis temporum illius auctoris cujus scripta exponit, ut sagaci rerum explicatione audientibus prosit fastidiumque pellat. — Attendendum vero est, passim ss. Patres dum vitia paganorum in suis scriptis commemorant ut fideles ab iis deterreant, magna cum libertate facinora eorum describere. Quod illa aetate, quum vitia etiam turpissima paganorum uti frequentissima ita et notissima erant, fidelium aures non offendebat, imo necessarium erat; sed nostro tempore caute, quum de adolescentibus agatur, in ea re procedendum est, ac bene examinandum, an conveniat integrum aliquod Scriptorum ecclesiasticorum opusculum discipulis tradere. — Quum postremo Patrum aetas in illud incidat tempus, quo aurea aetas scriptorum latinorum jam desierat, attendendum est ad quosdam Scriptorum christianorum in arte dicendi et scribendi defectus eorum tempori insitos. Nec praepostera pietate ac zeli fervore illi defectus negandi vel palliandi sunt, uti passim id accidere videmus; sed ea opuscula vel talia fragmenta seligenda, in quibus defectus tales minus occurrunt, imo opportunitate data naevi illi exponendi sunt et corrigendi.[1])

[1]) De modo scribendi ss. Patrum cfr. Möhler, Patrologia, Introductio, §. III.

PATROLOGIAE PARS SPECIALIS.

§. 31.

In hac parte Patrologiae speciali eaque praecipua jam de variis Patribus Auctoribusque christianis eorumque scriptis nobis agendum est. Ita autem visum est in varia Capita Sectionesve opus hoc distribuere, ut ratio simul habeatur temporis quo Patres singuli floruerunt, indolis operum eorum, vel haeresum quas scriptis suis ipsi confutaverunt. Distributio Operis.

Caput I.

De Patribus Apostolicis.

§. 32.

De Patribus Apostolicis ac de charactere Operum ab illis exaratorum generatim.

Patres Apostolici vocantur illi sancti Patres, qui cum Apostolis adhuc conversati eorumve discipuli facti illorum doctrinam puram integramque in scriptis suis orbi christiano tradiderunt. Horum alii primo, alii secundo Ecclesiae saeculo floruerunt. Ad opera ipsis tributa quod spectat, alia quidem a gravissimis auctoribus ut *certa* Patrum Apostolicorum scripta habentur, uti s. Clementis epistola prima ad Corinthios et plures epistolae s. Ignatii. Alia sunt opera de quorum genuinitate acrius controvertitur, e. g. Quinam Patres Apostolici.

epistola quae dicitur s. Barnabae, unde *dubia* dici solent. De iis quid statuendum videatur, dum singula scripta expendimus, indicabimus. Quaedam vero sunt opera viris Apostolicis tributa, quae illorum non esse plerique eruditi jam conveniunt, uti scripta Dionysii Areopagitae.

Operum indoles.

Isti porro Patres tam praedicando, quam scribendo vestigiis Apostolorum, quorum doctrina in fide christiana imbuti, quorum exemplis ad fidem Christi propagandam et confirmandam informati erant, quorum jussu et ordinatione docendi munus susceperant, quorum denique spiritu pleni erant, inhaeserunt; idque eo magis, quod in iisdem fere externis temporum circumstantiis versabantur. Apostoli vero relationes historicas composuerant, praecepta fidei ac praesertim morum litteris ex occasione ad fideles datis inculcaverant, denique unus saltem visiones de statu Ecclesiae praesenti et futuro consignaverat. Eadem porro scriptionis genera apud Patres Apostolicos reperire licet. Quantum ad genus primum, antiquissimo jam tempore martyrum generosa certamina, quibus aedificari fideles, atque ad Dei laudes et ad similem fortitudinem accendi poterant, describi consuevere;[1]) plerumque vero ad instar Apostolorum a fidelibus ipsis excitati epistolas misere, quibus praecepta morum sedulo inculcarunt, praeclaris haud raro fidei luminibus inspersis; unus demum etiam visiones de statu Ecclesiae descripsit, additis tamen sermone tam simplici, quam figurato morum praeceptis.[2])

---

[1]) Ista *Martyrum Acta*, quantumvis praeclara antiquitatis Ecclesiasticae monumenta, ex quibus plurimum subsidii ad fidem moresque formandos peti possit, non tamen ad Patrologiam proprie spectant. adeoque in hoc Opere generatim non attinguntur. Caeterum Acta genuina ac sincera Martyrum, qui inde ab initio fidei christianae in imperio Romano potissimum pro Christi nomine passi sunt, collecta et illustrata sunt a P. Theodorico Ruinart ex Congregat. s. Mauri. Paris. 1689. in 4°, recus. Amstelodami 1713. fol., Veronae 1731. fol. Iterum edita sunt a Bernardo Galura (quondam Episcopo et Principe Brixinensi) Augustae Vindelic. 1802, III Tomi in 8°, ac demum Ratisbonae 1859. gr. 8°.

[2]) Satis ingeniose observat Möhler, in documentis hujus aevi quantumvis paucis diversos illos modos, quibus postea scientia christiana

Ac quemadmodum easdem tractabant materias Patres Apostolici, ita eadem quoque lingua utebantur, graeca scilicet, quae tum per universum fere orbem obtinebat, eundemque stylum usurpabant planum et simplicem, nec admodum elegantem aut sublimem, simillimum stylo s. Scripturae. Ita porro aptissimi erant, qui tam quoad modum cogitata sua alia ex aliis deducendi, quam ea exprimendi transitum facerent ab Hagiographis ad Patres posteriores. Caeterum nonnisi pauca apud illos extant indicia, ex quibus apparet, ipsos jamjam de Gentilibus, Judaeis atque haereticis oppugnandis cogitasse. Auctoritate potius agunt, quam ratiocinatione; docent magis praeclaros religionis christianae effectus, quam demonstrant inanem Gentilium et Judaeorum cultum.

Editiones variae.

Nota. Editiones Operum ss. Patrum Apostolicorum praecipuae sunt: SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, Barnabae, Clementis, Hermae, Ignatii, Polycarpi Opera vera et suppositita, ed. J. B. Cotelerius Paris. 1672. II Voll. fol. Editionem hanc auctiorem recudi curavit J. Clericus Antverpiae 1698. II Voll. fol. et iterum Amstelodami 1724. II Voll. fol. — Thom. Ittig Bibliotheca Patrum Apostolicorum gr. lat. Lips. 1699. — Migne, Patr. Gr. T. I. II. — Patrum Apostolicorum (Clementis, Ignatii et Polycarpi) Opera ed. G. Jacobson, Oxon. 1838 et saepius. II Tomi in 8°. Hic in editionis suae prolegomenis p. LX—LXXVII omnes Editiones Operum Patrum Apostol. sive separatim, sive junctim eousque editorum quam accuratissime recenset. — Patrum Apostolicorum (Barnabae, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Hermae cum epistola ad Diognetum) Opera ed. C. J. Hefele, Tubingae 1839 et saepius. Post Hefelii editionem quartam, adornavit quintam eamque Prolegomenis notisque praeclaris instruxit, F. X. Funk Tubingae V. I. 1878. Addidit a. 1881 V. II, quo varia Opera supposita et Fragmenta quaedam aevi Apostolici continentur. Demum a. 1887 ab ipso etiam edita est recenter reperta Doctrina duodecim Apostolorum cum quibusdam opusculis affinibus. Quae singula scripta aevi Apostolici variasque editiones spectant, in Prolegomenis accurate et locuplete edisserentur. — Inter heterodoxorum nostri temporis editiones praecipuum locum tenet ea Patrum Apostolicorum editio, quam post Dresselianam alteram, prolegomenis et notis auctam, curaverunt Gebhardt, Harnack et Zahn; ed. 3. Lipsiae 1877.

---

se manifestavit, jam veluti in germine praeformari; vide totum praeclarum locum in Möhler's Patrologie. I. Bd. S. 51. (Vers. gall. T. I. p. 48).

§. 33.

S. Clemens Romanus.

Fontes et Subsidia.

Fontes. S. Irenaeus adv. haereses L. III. 3. — Clemens Alexandrinus Strom. L. I. 7. IV. 17. V. 12. — Eusebius Histor. Eccles. L. III. 15. 16 et 38. IV. 22 et 23. V. 22. — S. Hieronymus de Scriptoribus Eccles. c. 15. — Photii Bibliotheca Cod. 113, et 126. — Alios idem fontes recensent Gallandi T. I p. 3—8; Funk Patres Apost. I p. XXII sqq.

Subsidia. A Gallandii Bibliotheca Patrum T. I Prolegomena. — G. Lumper, Historica theologico-critica de vita et scriptis ss. Patrum P. I. Sect. I. — Sprenger Thesaurus rei patrist Tom. I. Saec. I. Diss. II. — Liber Pontificalis ed. Duchesne, T. I. p. LXXI. XCI. 123. — G. Jacobson, Patrum Apost. Opera T. I. p. IX—XVII. — Funk, Patr. Apost. T. I. Prolegom. p. XVII—XLIII. — Ceillier, T. I. Ch. X. p. 598. — Freppel, Les Pères Apostol. Leçon VI—VII. Alios auctores v. ap. Funk l. c. et ap. Chevalier Bio-Bibliogr. s. v. Clément.

Pontificatus s. Clementis.

S. Clemens circiter a. 91 Romanam s. Petri cathedram ascendit, et per decennium Ecclesiae praefuit. De ipso ait s. Irenaeus: *Tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos et contulit cum eis, et quum adhuc insonantem praedicationem Apostolorum et traditionem ante oculos haberet; non solus, adhuc enim multi tunc supererant ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent facta, scripsit quae est Romae ecclesia potentissimas (ἱκανωτάτην) litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem.*[1]) Dicitur autem Clemens in Catalogis Liber. et Felic. *natione Romanus de regione Coelio monte ex patre Faustino.* Secundum traditionem quamdam Romanam, Clemens erat ex nobili familia Vespasiano cognata, et propinquus viri consularis Flavii Clementis, qui sub Domitiano una cum uxore Flavia Domitilla ob christianam religionem in judicium vocatus est. Sunt tamen haec satis dubia, ac forte spurio Recognitio-

[1]) Adv. Haer. L. III. c. 3.

num operi originem debent. Esse s. Clementem Apostolorum discipulum et eumdem, quem s. Paulus in epistola ad Philippenses (4, 3) adjutorem suum fuisse dicit, jam antiqui auctores, Origenes, Eusebius, Hieronymus, existimarunt,[1]) nec est cur hoc negetur. Pontificatu s. Clementis

Vetus quidem controversia est, quando s. Clemens Pontificatum susceperit; varii enim jam antiquitus eum immediate s. Petro successisse existimarunt. Merito tamen praevaluit sententia solidis argumentis fulcita, temporibus Domitiani versus finem saeculi primi eum Ecclesiae praefuisse. Quoad mortem ejus scribit Eusebius: *Ex Romanis autem Pontificibus Clemens anno supradicti* (Trajani) *Imperatoris tertio abiit e vita, Evaresto sacerdotium relinquens, cum novem totos annos praedicationem verbi divini procurasset.*[2]) In *Catalogo Feliciano* et in *Libro Pontificali* dicitur Clemens martyrio coronatus et sepultus in Graecia, atque etiam Zosimus P. (418), Episcopi Africani, Rufinus, Gregorius M. martyrem eum appellant. Acta martyrii ejus originem habent ex saeculo quarto, ac dein Metaphrastes eadem concinnavit. Quamvis autem actis illis per se non conveniat auctoritas sufficiens, tamen martyrem eum esse, et haud Romae, sed alibi mortuum, merito juxta antiquam traditionem tenetur.[3])

§. 34.

S. Clementis Romani Epistola ad Corinthios.

Ex Irenaei textu supra allato vidimus, Clemente Romae pontificatum tenente, ab hac ecclesia ad Corinthi ecclesiam datam esse gravissimi momenti epistolam; auc-

---

[1]) Cf. Origen. De principiis L. II. c. 3. et Comment. in Joan. tom. VI. n. 36; Euseb., H. E. III. 4. 15; s. Hieron. Catal. c. 15.

[2]) H. E. III. 34.

[3]) Cfr. B. Jungmann Dissert. in Hist. eccles. Tom. I. Diss. I. n. 22 sqq.; Funk, l. c. Prolegomena p. XVII sqq. et Kirch. Lex. (ed. 2.) sub *Clemente;* Schrödl, Gesch. der Päpste u. d. röm. Kirche in der Urzeit d. Christenthums; Mainz 1873, p. 66 sqq.

Epistola ad Corinthios.

torem vero epistolae esse Clementem antiqui scriptores universim, Dionysius Corinthius,[1]) Clemens Alexandrinus,[2]) Origenes,[3]) diserte dicunt. Eusebius[4]) et Hieronymus[5]) tradunt, Clementem eam ex persona Romanae ecclesiae ad ecclesiam Corinthiorum scripsisse. Cum his porro optime convenit Irenaei textus supra citatus, ac similia quaedam quae habet Hegesippus apud Euseb. H. E. IV. c. 22. — Fuit sane illa s. Clementis epistola haud privatum aliquod scriptum ab ipso ad Corinthios datum, sed epistola pro munere suo pastorali et ex officio ad eos missa, ut res illius ecclesiae ordinaret. Cur vero ex persona ecclesiae Romanae ipse scripserit, scite indicat Coustantius hisce verbis: „Maluit autem Clemens ecclesiae suae quam proprio nomine eam inscribere; vel quia tum praesules nihil sine ecclesiae suae consilio agere solerent, ut Cyprianus de se nominatim epist. 5[a] ad Clerum suum memoravit his verbis: *Solus rescribere non potui; quando a primordio episcopatus mei statuterim, nihil sine consilio vestro et consensu plebis mea privatim sententia gerere;* vel etiam, ne proprias partes tueri videretur, si ubi restauranda erat apud Corinthios ecclesiasticis viris competens dignitas atque reverentia, aut ipse solus, aut cum ipso clerus sine plebe ecclesiam illam alloqueretur. Postulabat praeterea recta ratio, ut siquidem prius Corinthii non ad Clementem sed ad Romanus scripserunt, Romanorum nomine Clemens, non proprio rescriberet“.[6]) Protestantes quidem in eo insistunt, ab ecclesia ceu fidelium coetu epistolam datam esse; sed ea in re suis praejudiciis erroneis ducuntur. Jam enim praevalentem ecclesiae Romanae auctoritatem hac epistola manifestari, praesertim nostris diebus post detecta fragmenta quae deerant, negare non possunt;[7])

---

[1]) Ap. Euseb. H. E. IV. 23.
[2]) Hom. I. 7. 38 et alias frequenter.
[3]) De Principiis, II. 3. 6. et alibi.
[4]) H. E. III. 38. [5]) Catal. c. 15.
[6]) Coustant, Epistolae RR. Pontificum. Ep. I. Clementis, n. 1. nota *a*.
[7]) Vid. e. g. Harnack, Patres Apost., Proleg. in op. Clem. p. XLVIII. nota 4.

sed ne Romani Pontificis primatum inde firmari admittant, recurrunt ad praeponderantiam quam Romana ecclesia ob rationes politicas suamque praestantiam habuerit. At nullum dubium est, auctoritatem Ecclesiae inde ab initio in Episcopo resedisse, et Clementis ut Episcopi Romani auctoritatem iis ostendi, quae in hac epistola continentur.

Tempus epistolae datae.

Ad *tempus* quod attinet, quo epistola scripta est, merito Cotelerius, Tillemontius, Funk et alii censent, eam desinente Domitiani persecutione circa annum 97 p. C. scriptam esse; atque haec sententia nunc videtur esse fere communis. Incipit enim epistola his verbis: *Propter subitas ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos qui nobis acciderunt, tardius, fratres, nosmetipsos convertisse existimamus ad res quae apud vos desiderantur.* Colligitur inde, Romanae ecclesiae eo tempore calamitates accidisse earumque finem adfuisse, idque apprime fini persecutionis Domitiani convenit. Obiit Domitianus die 18° Septembris a. 96; ipso autem exstincto persecutio cessavit. Unde congrue anno 97 haec epistola adscribitur. — Non defuerunt quidem qui contenderent de Neronis persecutione ista intelligenda esse, adeoque brevi post epistolam datam esse. Sed obsunt argumenta interna et externa. Quod ad interna spectat, sic scribit e. g. Clemens c. 44 laudata Apostolorum providentia: *Qui igitur ab illis, aut deinceps ab aliis viris eximiis constituti sunt, ac longo tempore praeclarum ab omnibus testimonium reportarunt, hos censemus officio injuste dejici.* Haec ostendunt, jam tempus longius inde ab Apostolis defluxisse. Praeterea vero Pontificatus Clementis cum Irenaeo, Eusebio et Hieronymo ad tempora Domitiani referendus est, et sub ipsius Pontificatu Corinthi illam scissionem fuisse, ejusque occasione epistolam a s. Clemente scriptam esse, Irenaeus et Eusebius dicunt.[1])

[1]) Plura vide nostra Dissert. citata nn. 26 et 27, et Funk l. c. Prolegomena p. XXI sqq. — Ibidem refelluntur argumenta allata pro altera sententia, quam tenuit inter alios Ill. Hefele.

Occasio et scopus.

Occasionum et scopum epistolae jam innuimus. „Ecclesia Corinthiorum, quae tempore praeterlapso virtutibus egregiis excelluerat ac pace profunda erat fruita, cum juvenes aliquot tumore inflati et honoris cupidi (cf. 1, 1; 3, 3; 21, 5; 47, 6) in presbyteros insurrexissent eosque dejecissent, in discrimen haud exiguum vocata est. Forsan etiam controversia de resurrectione mortuorum (1 Cor. 15, 12 sqq.) denuo exorta est. Omnia perturbari coepta sunt, et Gentiles quoque nomini christiano opprobria intulerunt.“ [1]) Tum Clemens Romanaque ecclesia ordinem restaurare nisus est, data hac epistola (*ἱκανωτατῃ*, Iren. — *μεγάλῃ τε καὶ θαυμασίᾳ*, Euseb. III. 16). Vel presbyteri Corinthii litteris legatisve missis interpellarant interventum Pontificis et Romanae ecclesiae, uti cum plerisque auctoribus ex epistola colligi censemus, vel sponte, quum de rebus Corinthiorum certior factus esset, pro munere suo Clemens ea in re intervenit.

Epistolae usus in Ecclesia.

Clementis epistola a veteribus maxime aestimabatur. Scriptoribus jam citatis, qui eum adeo laudarunt, addendus est etiam s. Polycarpus, qui non pauca ex Clementis epistola fere verbotenus in suam ad Philippenses epistolam transtulit.[2]) Digna habita est in pluribus ecclesiis ut publice legeretur, quidam auctores fere ut de Scriptura canonica de ea agunt, atque in quibusdam codicibus etiam Libris s. Scripturae eadem adnexa est. In Orientis scriptoribus etiam per saecula subsequentia, saltem usque ad Photium (saec. IX), saepius mentio hujus epistolae invenitur; exinde ejus memoria magis offuscata est, quamvis non plane interierit. In Occidente inde a saeculo V usque ad XVII epistola incognita fuisse videtur. Auctores occidentales, qui epistolarum Clementis mentionem faciunt, censentur loqui de suppositis ejus ad Jacobum epistolis. — Typis epistola primum vulgata est Oxonii a. 1633 a Patricio Junio regis Anglorum bibliothecario. Legebatur enim ad calcem codicis illius Veteris et Novi Testamenti

[1]) Funk, l. c., p. XXIV.
[2]) Funk, ibid. p. XXVII.

celeberrimi, qui a Cyrillo Lucari patriarcha primum Alexandrino tum CPtano anno 1628 Carolo I Anglorum regi dono datus est, et inde ab anno 1753 in Musaeo Britannico asservatur. Juxta hunc *Codicem Alexandrinum* igitur Junius editionem curavit, pariterque variae editiones posteriores paulatim magna cum cura emendatae, juxta eum factae sunt.[1]) Sed codex ipse valde corruptus est; folium decimum, quod finem capitis 57 et sex sequentia capita continebat, excidit, ita ut lacuna magna expleri non posset; praeterea plures loci ob foliorum corruptionem legi non poterant. In iis explendis alii alia conjecerunt. — Sed nostris diebus Philotheus Bryennius, (nunc metropolita Nicomediensis), Constantinopoli in bibliotheca monasterii patriarchalis Hierosolymitani Codicem invenit a. 1056 a Leone notario conscriptum, in quo quae adhuc defecerant leguntur, et an. 1875 ex hoc Codice Clementis epistolas integras typis vulgavit. Anno 1876 dein Gebhardt et Harnack Lipsiae novam editionem epistolarum, utriusque Codicis Alex. et CPtani lectionibus variantibus consideratis, edidere. Eodem fere tempore in bibliotheca quam Julius Mohl, qui obiit a. 1876, reliquit, *Codex Syriacus* inventus est, qui totum Novum Testamentum, Apocalypsi excepta, et inter epistolas Judae et Pauli ad Romanos Clementis epistolas duas continet. Nunc in bibliotheca Universitatis Cantabrigiensis asservatur, sed lectiones variantes J. B. Ligtfoot jam a. 1877 publici juris fecit.[2]) In sua Patrum Apostolicorum editione a. 1878 F. X. Funk integras epistolas Clementis, attentis trium Codicum (A. C. S.) variantibus iisque indicatis, adjectisque notis perutilibus, imprimi curavit, adeoque haec editio admodum egregia est.

Editiones epistolae.

Hisce expositis, jam *de indole ipsius Epistolae* agamus. *Inscriptio* epistolae haec est: *Ecclesia Dei, quae Romae peregrinatur, ecclesiae Dei, quae Corinthi peregrinatur, vo-*

Epistolae indoles.

[1]) Varias editiones vide ap. Funk, l. c., p. XXXIII.

[2]) St. Clemens of Rome. An Appendix containing the newly recovered portions. With introductions, notes and translations. Londini 1877.

Epistolae indoles.

catis sanctificatis voluntate divina per Dominum nostrum Jesum Christum. Gratia vobis et pax ab omnipotente Deo per Jesum Christum multiplicetur. — Epistola porro constat e *prooemio* et *epilogo* ac *duabus partibus.* In *prooemio* (c. 1—3) auctor describit statum ecclesiae Corinthiacae antea florentissimum, nunc vero sat tristem ob seditionem exortam. — Transiens s. Clemens ad primam partem causam hujus mali proximam *aemulationem et invidiam* tangit; atque mala inde redundantia multis allatis exemplis ipsis ob oculis ponit (c. 4—6). Subjungit dein exhortationem, ut convertantur et in fide et obedientia poenitentiam agant, quam multis iterum exemplis commendat (c. 7—12). Porro ad aemulationis et invidiae causam descendit, ad fastum scilicet et *superbiam* malesanam, et ut totius mali radicem exstirpet, omni conatu fideles hortatur ad *humilitatem* et *subjectionem*, utque sincere et ex animo *pacem* colant. Multis dein exemplis et rationibus humilitatem commendat et pacem atque concordiam, ostendens reliquas virtutes cum his conjunctas esse (c. 13—21). Haec vero omnia exigit fides christiana, cum Christus per Spiritum sanctum nos exhortetur, ut faciamus bonum ac quaeramus pacem. Iterum Christus veniet et unicuique debitam mercedem rependet, atque tum primum *resurrectio* omnium hominum erit, quam nonnihil fusius Clemens probat. Huic vero adjungetur *retributio* operum nostrorum praeclara et admirabilis; quam ut assequamur necesse est, ut Christo per fidem jungamur, ac bona opera virtutesque sedulo exerceamus. Quamvis enim non per opera nostra sed per fidem justificemur, bona opera tamen nobis peragenda esse. Deum enim et ipsum opera perfecisse et per prophetam declarasse, se opera nostra remuneraturum esse. Magna revera et mirabilia eum promisisse exspectantibus ipsum, et daturum esse per Jesum Christum Filium suum, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem (c. 24—36).[1])

In altera epistolae parte (c. 37—61) Clemens propius

[1]) V. Funk l. c. p. XXV.

ad rem accedit atque apprime de seditione Corinthi orta agit. Postquam ostendit, in exercitu alios imperare, alios obedire et imperata exequi, in corpore quoque alia membra aliis ministrare et omnia capiti (c. 37), Corinthios admonet, ut suum quisque locum obtineat, et omnes ordinem in Ecclesia institutum servent (38—40). Singulis non omnia licere. Sacrificia Hierosolymis tantum offerri, et Apostolos constituisse praepositos in ecclesiis. Deum miraculo ostendisse qui ipsi essent sacerdotes, et Apostolos providisse, ne ordo Ecclesiae tolleretur. Qui legitime Ecclesiae praefecti sint et gregi Christi inculpate deservierint, eos e munere non dejiciendos, et qui eos persecuti sint removerintque, eos non justos esse, sed improbos (41—45). Illis igitur, non his adhaerendum esse et seditionem terminandam, quae pejor sit priori, quae Pauli tempore fuerit. Corinthii ad caritatem redeant quae omnia possit. Dissidentes peccatum suum confiteantur, et sicut Moses et alii potius damnum patiantur, quam pacem ecclesiae perturbent; caeteri pro eis orent, ut divinae voluntati cedant et seditionis auctores presbyteris se subjiciant (46—57). Quod consilium si accipiant, fore ut salvi fiant; sin autem non pareant, ipsos quidem in discrimen magnum incursuros, consiliantes vero a peccato innocentes futuros esse assidue supplicantes, ut Deus numerum electorum conservet, fideles salvet, omnes gentes ad veritatis cognitionem adducat, principibus terrae pacem largiatur et concordiam.[1]) — Vota illa Clemens, ab oratione obliqua ad orationem rectam transiens (c. 59), ad Deum dirigit solemni precatione, quae forte ex Liturgia desumpta est (59—61).

Epistolae indoles.

In *epilogo* Corinthii iterum instanter admonentur, ut dictis obediant redeantque ad pacem et unitatem. Certiores redduntur missos esse viros insignes, ut paci restituendae operam dent. *Missos autem a nobis,* scribit demum Clemens, *Claudium, Ephebum et Valerium Bitonem nec non et Fortunatum, in pace cum gaudio ad nos brevi remittite, ut citius optabilem nobisque desideratissimam pacem et con-*

[1]) V. Funk, l. c. p. XXV. XXVI.

cordiam annuntient, ut et nos de statu vestro recte ordinato citius gaudeamus. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum et cum omnibus ubique vocatis a Deo et per ipsum; per quem illi gloria, honor, potentia, majestas et dominatio sempiterna, a saeculis et in saecula saeculorum. Amen. (62—65).

Auctoritas Sedis Romanae.

Quod attinet ad *doctrinae catholicae capita*, quae eximia hac Clementis epistola confirmantur, insigne eadem 1° est documentum, quo probatur *auctoritas singularis Sedis Romanae* inde ab initiis Christianismi. Interpellatam fuisse ecclesiam Romanam a presbyteris aliisve fidelibus Corinthiis, auctores plerique ex illa epistola colligunt. Profecto ipsum epistolae initium, quo Clemens explicat, cur tardius ad res Corinthiorum sese ecclesia Romana verterit, expositio tristis illius schismatis, admonitiones et missio legatorum ad concordiam restituendam, insinuant, praecessisse interpellationem a Corinthiis profectam. Quod igitur Corinthii se ad Sedem Romanam verterunt, dum adhuc viveret s. Joannes Apostolus, ostendit, quantae auctoritatis illa ecclesia habita fuerit. — Presbyteros aliosve fideles ecclesiae Corinthiorum consuluisse ecclesiam Romanam de suis rebus adeo turbatis, universim auctores, uti Cotelerius, Coustantius et alii, apprime significari censebant illis verbis, quae initio epistolae habentur, *βράδιον νομίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιῆσθαι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παρ' ὑμῖν πραγμάτων;* verba videlicet ita latine reddebant: Tardius videbimur convertisse animum ad eas res *quae a vobis quaesitae sunt.* Sed advertunt editores recentiores, haud dici *παρ' ὑμῶν* sed *παρ' ὑμῖν*, adeoque vertendum esse, *ad ea quae fuerunt desiderata apud vos,*[1]) vel *ad res quae desiderantur apud vos,*[2]) censentque hi editores, litteras vel legatos a Corinthiis neutiquam missos esse. —

---

[1]) Ita Harnack, et germanice recte verti existimat: Auf die bei euch bestrittenen Dinge (res quae controvertuntur).

[2]) Ita Funk. In hac suppositione sensus videtur esse: ad res quae deficiunt adeoque desiderantur apud vos, (les choses qui laissent à désirer).

Existimaverim quidem, ex legibus philologiae quaestionem non peremptorie dirimi. Etsi enim *παρὰ* cum dativo plerumque *apud* significet, interdum tamen etiam praepositione *ab* illud reddi potest, uti apud Aristotelem *παρὰ θεῷ* aliquando *a Deo* significat. Sed non est cur hac de re multum litigemus. Ex indole et contextu epistolae supponendum videtur, praeviam fuisse aliquam Corinthiorum interpellationem. Si vero existimas, ultro Clementem se vertisse ad res Corinthiorum, ut eas ordinaret et motus schismaticos sedaret, magis etiam Sedis Apostolicae auctoritas inde colligitur. Sui muneris et officii igitur esse censuit Clemens, ut interveniret in illa rerum perturbatione; quum scribat magno cum vigore, moneat, ut obediant dictis, legatos mittat ad pacem restituendam, eum cum auctoritate ac jure primatus intervenire facile inde inferes.[1]) Opportunum erit hoc loco citare quaedam ex capitibus ultimis quae nuperrime inventa sunt, quum ex iisdem praesertim appareat, quanta auctoritate Clemens Corinthios ad pacem componendam moneat. *Gaudium*, scribit, *et laetitiam nobis praestabitis, si obedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistola. Misimus autem etiam viros fideles et castos a juventute usque ad senectutem inculpate nobiscum versatos, qui et testes erunt inter nos et vos. Hoc vero facimus, ut sciatis omnem curam nostram id et spectasse et spectare, ut vos brevi ad pacem perveniatis*

Auctoritas Sedis Romanae.

[1]) Etiam Harnack (Proleg. p. XLVIII) agnoscit, praesertim ex fragmentis recenter detectis elucere characterem epistolae ut scripti publici ex munere dati (eines officiellen Gemeindeschreibens), ac modum loquendi vehementem et auctoritate plenum esse (die gewaltige Sprache, welche die römische Gemeinde führt). De facto Romanam ecclesiam agere ut ecclesiam primam, idque inde etiam magis elucere, quod ipsa ultro, quin id petitum sit, interveniat et Corinthum mittat legatos, *οἵτινες μάρτυρες ἔσονται μεταξὺ ὑμῶν καὶ ἡμῶν*. — Viri doctissimi praejudicatae opinioni adscribendum est, quod non intellexerit, verum juris titulum, quo primatus Romanae ecclesiae nititur, quodque democraticam potius constitutionem in primitiva Ecclesia obtinuisse velit.

(63). *Missos autem a nobis Claudium, Ephebum et Valerium Bitonem nec non et Fortunatum in pace cum gaudio ad nos brevi remittite* etc. (c. 65, v. supra).

Martyrium s. Petri.

Testimonium insigne 2° habetur in hac epistola *de s. Petri morte ac martyrio in Urbe perfecto*, unde factum illud dogmaticum Episcopatus Romani s. Petri usque ad mortem egregie confirmatur. Locus iste occurrit hujus epistolae cc. 5 et 6. Postquam mala quae ex zelo et invidia sequuntur Clemens jam variis exemplis antiqui Foederis ostendit, transit ad eventus recentiores. *Sed ut vetera exempla relinquamus*, scribit, *ad proximos athletas veniamus; saeculi nostri generosa exempla proponamus. Propter zelum et invidiam, qui maximae et justissimae columnae erant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt (ἤθλησαν). Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos: Petrum, qui propter zelum iniquum non unum et alterum, sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit. Propter zelum et contentionem Paulus patientiae praemium exhibuit, . . . qui postquam mundum universum justitiam docuit, et ad Occidentis terminos venit, et coram praefectis martyrium subiit, sic e mundo migravit et in locum sanctum abiit, summum patientiae exemplar existens. Viris istis sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis propter zelum passi exemplar optimum inter nos exstiterunt.*[1])

Plurima 3° haud levis momenti tradit vetustus hic Pater s. Clemens in sua epistola *circa ecclesiasticum ordinem et hierarchiam.* Obedientiam, ad quam hortatur Corinthios, omnino debitam esse inde demonstrat, quod *Dei et Christi institutione hierarchia in Ecclesia constituta sit.* Ex antiquo Foedere paradigma hujus institutionis repetit. Inter alia: *Summo quippe sacerdoti*, scribit, *sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et*

---

[1]) Quae ad illustrationem hujus textus pertinent vide B. Jungmann Dissert. in hist. eccl. Dissert. I. De Episcopatu Romano s. Petri, nn. 38 sqq., et Dissert. II n. 27.

levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur (c. 40). *Unusquisque nostrum, fratres, in suo ordine cum bona conscientia praescriptam ministerii sui regulam non transgrediens, honeste Deo gratias agat* (c. 41.) *Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant. Neque hoc equidem novum institutum fuit; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alicubi dicit Scriptura: „Constituam episcopos eorum in justitia et diaconos eorum in fide."*[1]) Eruitur dein ex Clementis expositione, hanc hierarchiae institutionem perpetuam esse debere, ac sicuti olim Moyses providit, ne ex aemulatione discordia oriretur, ita etiam sua ordinatione providisse Apostolos. *Apostoli quoque nostri*, scribit, *per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram: ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent* (c. 44). Indicatur porro etiam modus ille creationis praepositorum, ut ratio haberetur consensus fidelium, et inculcatur, tales praepositos ab officio non posse ejici. *Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos judicamus munere suo non juste dejici. Non*

Hierarchia in Ecclesia.

[1]) Is. 60. 17. Locus non accurate citatus est, textus enim est hujusmodi: *Δώσω τοὺς ἄρχοντας σοῦ ἐν εἰρήνῃ καὶ τοὺς ἐπισκόπους σοῦ ἐν δικαιοσύνῃ.*

Hierarchia in Ecclesia.

enim leve erit peccatum nostrum si eos, qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt episcopatu ejicimus. Beati presbyteri viam prius emensi qui fructuosam perfectamque dissolutionem consecuti sunt; non enim verentur, ne quis eos transferat de loco ipsis constituto. Videmus enim, vos nonnullos honeste viventes ab officio, quod inculpate et cum honore exsequebantur, removisse (c. 44).

Ex hisce igitur peremptorie colligitur, hierarchiae institutionem et a laicis distinctionem a Clemente Christi ordinationi adscribi. Convenit tamen advertere, ex Clementis verbis heterodoxos argumentari, initio Ecclesiae non nisi duplicem fuisse hierarchiae ordinem, videlicet presbyteros qui et episcopi dicantur et diaconos; postea eam factam esse mutationem, ut adderentur Episcopi presbyteris superiores. Sed argumentatio illa inanis est. Tres inde ab initio in Ecclesia adfuisse hierarchiae ordines, Episcopos, presbyteros, diaconos, ex libris N. Testamenti, praesertim ex Actibus Apostolorum et ex epistolis s. Pauli Apostoli luculenter probatur. Idemque peremptorie confirmatur ex antiquissimis traditionis documentis, e. g. ex epistolis s. Ignatii, uti inferius videbimus.

Etiam in epistola Clementis illa distinctio triplex indicatur iis quae dicit c. 41 de summo sacerdote, de sacerdotibus et de levitis. Caeterum vero presbyterorum appellationem quoque Clemens in epistola adhibet[1]); episcoporum voce et diaconorum c. 42. utitur. Quaeri sane potest, cur eo loco Clemens episcopos et diaconos nominet, haud vero presbyteros, sed explanatio eaque varia nullatenus deest. Multi igitur auctores advertunt, primo christianismi tempore nomen episcoporum et presbyterorum passim synonymice adhibitum fuisse, iisque vocibus tum primi ordinis sacerdotes (episcopos), tum secundi ordinis sacerdotes (presbyteros) designari, uti et nunc *sacerdotis* nomen commune est. Id etiam a Clemente in hac epistola fieri, adeoque nullatenus inde posse inferri tripartitam hierar-

[1]) Ipso c. 44 ait: Beati presbyteri viam prius emensi etc.; ubi haec vox sane de praepositis adhibetur.

chiae distinctionem ab eo non agnosci.[1]) Alii tamen auctores tenent, presbyterorum quidem nomen commune fuisse primo christianismi tempore sacerdotibus primi et secundi ordinis, sed episcoporum appellationem inde ab initio tantum sacerdotibus primi ordinis tribui. Quod vero interdum, uti apud Clementem c. 42 illis verbis: *Constituerunt* (Apostoli) *episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant*, tantum episcopi et diaconi nominentur, omissis presbyteris, non deesse convenientes explicationes. Initio videlicet praedicationis evangelicae, quando in aliquo loco ecclesia fidelium nondum ampla formata erat, constituebatur episcopus cum diaconis qui ei inservirent; haud vero statim plures presbyteri adjungebantur. In prima ista fundatione ecclesiarum citra necessitatem et opportunitatem ordinati et constituti essent presbyteri. Quamvis inde ab initiis religionis christianae presbyterorum Ordo adesset, tamen in variis ecclesiis episcopis ut coadjutores non jungebantur, nisi quum jam amplior credentium numerus factus esset. Ulterius difficiliorem hanc quaestionem discutere non est hujus loci.[2]) Hierarchia in Ecclesia.

Praeter haec quae indicavimus doctrinae catholicae capita, 4° varia quoque alia ex Clementis epistola comprobantur. Colligitur ex ea necessitas caritatis (praeter fidem) ad justificationem (c. 50. cf. 31 et 32); bonorum operum necessitas et meritum (c. 33. 34), inspiratio ss. Scripturarum (c. 45), veritas naturae humanae a Verbo assumptae et redemptio per Christum mediatorem (c. 49), poenitentia de peccatis et eorum confessio (cc. 7, 8, 51—57), resurrectio corporum (c. 24, 25) et S. Trinitatis mysterium (cc. 42—46).

---

[1]) In hujus sententiae suffragium afferri posset, quod scribit Clemens c. 44. nn. 4. 5: „Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt *episcopatu* (τῆς ἐπισκοπῆς) ejicimus. Beati *presbyteri* viam prius emensi, . . . non enim verentur, ne quis eos transferat de loco ipsis constituto.“

[2]) Vides autem, utraque ratione exposita aptissime Clementis verba explicari, atque immerito ad locum citatum Harnack eam adjecisse notam: „Luce clarius est, duo in clero ordines et apostolorum tem-

Typus vet. Foed. et de Phoenice fabula.

Utile quoque est advertere, etiam s. Clementem videri tenuisse, rationem typicam Veteris Foederis amplissimam esse. Agens enim de Rahab ac de susceptis ab ea speculatoribus Israëlitis, scribit: *Praeter ea mandaverunt ei ut signum daret, ut nempe funiculum coccineum e domo sua demitteret, manifestum facientes, per sanguinem Domini redemptionem fore omnibus, qui credunt et sperant in Deum. Videte, dilecti: non solum fides sed etiam prophetia in muliere fuit.*[1]) — Ad resurrectionis doctrinam illustrandam s. Clemens c. 25 proponit ea, quae de avi Phoenice apud antiquos ferebantur. *Contemplemur,* scribit, *signum mirabile, quod in partibus Orientis, scilicet in Arabia et viciniis fit. Avis est, quae phoenix vocatur. Haec unigena existens annos quingentos vivit, cumque jam in eo est, ut morte dissolvatur, e thure, myrrha et reliquis aromatibus loculum sibi struit, quem completo annorum spatio ingreditur et vitam deponit. Ex carne vero ejus putrefacta vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit. Auctis postea viribus, loculum tollit, in quo ossa parentis recondita sunt, eaque portans iter ex Arabica regione in Ægyptum et urbem quae Heliopolis dicitur, perficit. Ac spectantibus omnibus diurno tempore advolans super altare solis illa collocat atque ita unde venerat regreditur. Sacerdotes commentarios temporum diligenter inspiciunt, et impleto anno quingentesimo rediisse illam comperiunt.* — Non est mirandum, s. Clementem ejusmodi fabulam proponere. Similia enim de phoenice eruditi profani, et etiam scriptores alii ecclesiastici habent; erat haec opinio quaedam vulgata.[2])

---

pore et tunc temporis fuisse, episcopos (= presbyteros) et diaconos.“ L. c. p. 69.

[1]) C. 12. 7. 8. — Ita etiam Origenes: „Sed et ista meretrix quae eos suscepit, ex meretrice efficitur jam propheta.“ In Jes. Nav. hom. III. c. 4.

[2]) Similia narrant Herodot. II. c. 73; Plinius, Hist. natur. X. 2; Tertull. De resurrect. c. 13; Ambros. Hexaëmeron. V. c. 23. 79; Origen. C. Celsum IV. c. 98, etc. Vide auctores citt. apud Funk l. c. p. 93 in nota.

§. 35.

S. Clementis Romani Opera dubia.

Epistola altera ad Corinth.

S. Clementis *epistola secunda ad Corinthios* quae dicitur, usque ad dies nostros nonnisi ex parte exstabat, videlicet undecim capita priora cum parte capitis duodecimi. Primum vero a. 1875 Bryennius ex invento Codice CPtano integrum scriptum XX capitibus constans edidit. Exinde etiam quaestio soluta est, quae inter eruditos agitabatur, utrum videlicet epistola, an homilia esset illud Clementis scriptum. Atque homiliam, non vero epistolam esse jam clare apparet, eaque de re omnes conveniunt; plerique autem existimant, eam non esse Clementis, sed alterius auctoris saeculi forte secundi. Desunt videlicet argumenta externa sufficientia, ut certo ea Clementi adscribatur, et quum homilia sit in ecclesia habita,[1]) etiam argumenta interna non suffragantur, ut attribuatur Clementi Romano. — Meminit primum Eusebius alterius Clementis epistolae scribens: *Sciendum autem, quod etiam altera quaedam dicitur esse Clementis epistola. Verum hanc non perinde notam* (*γνώριμον*) *esse uti priorem pro certo habemus* (*ἐπισθάμεθα*), *quandoquidem neque vetustos ejusdem testimonio usus esse scimus.*[2]) Dein loquitur de aliis quibusdam operibus Clementi suppositis. Satis autem apparet, Eusebium rem habuisse dubiam, nec illud scriptum vidisse; animadvertisset enim esse homiliam. — S. Hieronymus, Catal. Scriptorum c. 15 dicit: *Fertur et secunda esse ex ejus* (Clementis) *nomine epistola, quae a veteribus reprobatur.* — Ex Eusebio id recepisse videtur, sed non accurate ipsius sententiam refert. Inde a saeculo quinto inveniuntur scriptores, qui jam diserte Clementis epistolam secundam ad Corinthios laudant;[3]) sed hisce non constituitur argumentum externum solidum pro ejus genuinitate.

---

[1]) Cf. 15. 2; 17. 3; 19. 1.
[2]) H. E. III. 38.
[3]) V. Harnack, PP. Apost. Prolegom. §. 8.

Locus et tempus.

Caeterum homiliam illam *Corinthi* habitam esse ex eadem magna cum probabilitate colligitur. „Ubi homilia habita sit, ait Funk, e. c. VII. 1. 3 elucet.[1]) Ibi enim orator ad ludos Isthmicos alludit, et cum voci καταπλεῖν non addat εἰς τον Ἰσθμῶν vel εἰς Κόρινθον, concludamus oportet, eum Corinthi sermonem fecisse. Accedit, quod, si oratio in hac urbe habita fuit, facile intelligemus, quomodo opus auctoris incerti Clementi Romano vindicatum sit. Historia homiliae ostendit, eam dignam existimatam fuisse, quae saepius in ecclesia praelegeretur. Statuere autem licet, eam ob causam in uno volumine Clementis epistolae subjunctam et denique eidem auctori attributam fuisse. Initio forsan inscripta fuit πρὸς Κορινθίους; deinde librarius ex inscriptione praecedente addidit Κλήμεντος β'.“[2])

Quae in epistola habentur praeclara sunt, et per se viro apostolico digna. Supposito autem Clementem Rom. non esse ejus auctorem, probabilia occurrunt argumenta, auctorem saeculo secundo vixisse. „Impugnantur enim (c. 9) qui non solum hanc carnem nostram ressurrecturam esse negaverunt, sed etiam contendisse videntur, opera carnis non magni momenti esse, cum caro ipsa periret, neque erraverimus statuentes, illos Gnosticos fuisse. Praeterea auctorem potius ante quam post medium saeculum vixisse conjecerim, quoniam quae c. 14 de ecclesia spirituali leguntur, postquam Gnostici errores suos per totum orbem disperserunt, haud facile dici potuerunt.“[3]) — Authentiam homiliae, quam ex parte solummodo noscebant, vindicare conati sunt Cotelerius, Coustantius, Gallandus, Lumper, sed jam antiquiores aliqui, uti Morinus et Grabius,

---

[1]) „Quocirca, fratres mei, certemus, scientes, prae manibus esse certamen et ad corruptibilia certamina multos *adpellere* (καταπλέουσιν, transnavigant), sed non omnes coronari, nisi qui plurimum laboraverint et praeclare certarint . . . Itaque curramus viam rectam, certamen in corruptibile, et multi ad ipsum *navigemus* (καταπλεύσωμεν) atque certemus, ut et coronemur, et si non possumus omnes coronari, saltem prope coronam simus “

[2]) L. c. p. XXXIX.

[3]) Funk, L. c. XXXVIII.

eam infestavere. Cum Hefele et Funk, recentiores fere universim eam negant esse genuinam; Bryennius tamen authentiam ejus tuetur. Argumenta opposita non quidem peremptoria esse, sed tamen praevalere censemus, ita ut parum probabile existimemus, Clementem esse auctorem.

Ordo sententiarum.

Ordo sententiarum ejusmodi est. In introductione magnificentiam Christi praedicat orator, et monet ut memores simus beneficiorum ejus qui de tenebris nos ad lucem vocavit (c. 1, 2). Dein ad opera bona monet auditores simulque rectam fidem de resurrectione et spem in Christum venturum inculcat. „Confiteamur igitur Dominum mandatis ipsius obsequentes (3), bona opera facientes (4), hunc mundum contemnentes (5), qui est inimicus futuro. Sin autem, non intrabimus in regnum Dei (6). Contendamus igitur, ut coronam aeternam consequamur (7). Poenitentiam agamus dum tempus est, et carnem castam servemus (8). Ne dicamus, carnem non resurrecturam esse. Non dubium est, fore ut in hac carne judicemur. Diligamus ergo nos invicem et Domino demus laudem (9). Praeponamus gaudia aeterna voluptatibus saeculi (10). Ne dubitemus, sed fidem habeamus promissis Dei, et mercedem reportabimus (11). Regnum Dei quotidie exspectemus, quoniam adventum Domini ignoramus (12). Jam igitur poenitentiam agamus, ut voluntatem Dei facientes simus ex ecclesia spirituali et accipiamus bona vitae aeternae (14). Quod si facimus, non poenitebit nos. Magnus fructus nobis erit (15). Convertamur ad Deum, qui vocavit nos, ut in die judicii Jesu misericordiam consequamur (16). Neque solum nunc, sed etiam domum dimissi attendamus mandatis Domini, ut ad vitam perveniamus. Dominus enim secundum sua opera unicuique retribuet (17). Simus ergo ex justis, non ex improbis (18). Ne aegre feramus, neque si a presbyteris commonefimus, neque si injustos divites et justos angustiatos videmus. Praeceptis Domini obedientes et miserias hujus temporis patienter tolerantes, beati erimus. Deus autem non cito dat mercedem, ne lucrum sed pietatem sectemur (19, 20).[1])

[1]) V. Funk, PP. App. p. XXXIX.

Concluditur homilia his verbis: „Soli Deo invisibili, patri veritatis qui nobis misit salvatorem et auctorem incorruptibilitatis, per quem etiam manifestavit nobis veritatem et vitam coelestem, ei sit gloria in saecula saeculorum. Amen."

Epistolae ad Virgines.

Extant etiam sub nomine s. Clementis *duae epistolae ad Virgines;* continentur in codice Syriaco, qui a. 1470 conscriptus est a monacho et presbytero Kuphar, quique nunc asservatur in bibliotheca seminarii Remonstrantium Amstelodami. Si sunt s. Clementis, haud dubium est eas lingua Graeca conscriptas fuisse. Primus eas edidit syriace et latine J. J. Wetsteen a. 1752; alii dein hunc textum syriacum et versionem latinam ex ipso repetierunt, uti Gallandi et Migne. Quum vero editiones illae syriacae vitiis laborarent haud exiguis, cl. J. Th. Beelen a. 1856, codice iterum inspecto, novam et emendatiorem editionem curavit, idemque novam ac fidelem versionem latinam instituit, ac praeclaras etiam adjecit notas.[1]) Secundum hanc editionem, quibusdam opportune mutatis, illa etiam facta est, quam cl. Funk in sua editione Patrum Apostolicorum adornavit.[2]) — Cl. Beelen gravi argumentatione authentiam illarum epistolarum vindicare conatus est. Genuinas esse epistolas pariter tenent praesertim Möhler, Permaneder, Champagny, Brück, in eamque sententiam propendit Nirschl. Rem in dubio reliquerunt alii, uti Mansi, Lumper, Hefele, Fessler (ed. 1.), Alzog; alii, inter quos imprimis Larner, Venema, Herbst, Funk, censent eas non esse genuinas.[3])

Argumentum grave ac praecipuum pro earum genuinitate constituitur testimoniis ss. Hieronymi et Epiphanii, qui eas certe cognoverunt. Scribit Epiphanius Haer. 30. n. 15 agens de Ebionitis: *Utuntur autem et alio quodam*

---

[1]) S. Clementis Rom. epistolae binae de virginitate syriace etc. Lovanii a. 1856

[2]) Cf. Vol II. Prolegom. I—VII; epistolam p. 1 sqq.

[3]) V. Funk, l. c. p. XLI.

An sint genuinae.

libro, eo scilicet qui vocatur Periodi Petri a Clemente conscripto; quem librum corruperunt pauca vera ibi relinquentes; cujus corruptionis Clemens ipse illos omni ex parte convincit circularibus illis ab eo conscriptis epistolis, quae in sacrosanctis ecclesiis publice leguntur; habent enim (in circularibus illis epistolis) *fides ejus et sermones alium characterem, quam ea quae isti sub ejus nomine in Periodis Petri supposuere. Ille enim Virginitatem docet, at isti repudiant. Ille Eliam, Davidem, Samsonem omnesque prophetas laudat; isti vero illos detestantur.* — S. Hieronymus vero in libro *Contra Jovinianum* negantem conjugio praestare coelibatum haec habet: *Ad hos* (scil. ad eunuchos, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum) *et Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit* (Philipp. 4, 3), *scribit epistolas, omnemque paene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit.* Hisce textibus respici epistolas ad Virgines, negari certo non potest, quidquid aliqui auctores opposuerint. Accedit conformitas quaedam styli harum epistolarum cum Epistola prima (Clementis) ad Corinthios; observant passim easdem sententias eamdemque scribendi exemplaque in medium producendi et ratiocinandi methodum; ad haec mores vere apostolici, simplicitas, modestia, frugalitas, benignitas eadem in illis deprehenduntur; nec quidquam in iis occurrit, quod oppositum esset moribus primi saeculi, quo s. Clemens floruit.[1])

Quae contra genuinitatem opponi possunt, omissis iis argumentis quae facile dilui posse censemus, haec fere sunt: 1° Testimonia illa pauca ss. Epiphanii et Hieronymi non sufficiunt, ut de authentia epistolarum certo constet. Sunt enim illi Patres saeculi quarti ad finem vergentis, et uti alia, ita et haec scripta Clementi supponi potuerunt. S. Hieronymus illas epistolas ad Virgines nondum cognoscebat, quando scripsit Catalogum Scriptorum; earum enim non facit mentionem. Unde inferes, eas parum notas fuisse, et quod Epiphanius dicit de earum in ecclesiis lectione, ad paucas quasdam forte ecclesias debere

[1]) Hinc Ill. Fessler (ed. 1.) genuinas illas epistolas esse existimat.

Videntur spuriae.

restringi. — 2° Dubium de genuinitate epistolarum inde aliquod oritur, quod auctor s. Joannem Apostolum defunctis manifeste jungit. Mors autem S. Joannis, qui *permansit usque ad Trajani tempora*[1]), communiter adscribitur primis annis saeculi secundi (100 vel 101); s. Clemens vero pariter a. 100 censetur obiisse. Unde non intelligitur, quomodo ista scribere potuerit, nisi velis dicere, mortem S. Joannis aliquot annis prius accidisse.[2]) Advertit 3° Funk haec contra genuinitatem epistolarum: „Auctor earum . . . longe plures N. T. libros allegat quam Clemens et multos s. Scripturae locos tacite operi suo inserit, cum hic, si orationem illam praestantissimam c. 59—61 omittis, fere semper indicat, ubi aliquid e s. Scriptura desumpsit.“ Hanc tamen rationem non magni ponderis censerem. — Sed gravior est objectio quae sequitur: „Accedit, quod rationem vitae qua viri coelibes cum virginibus cohabitant, non solum cognitam habuit, sed etiam impugnavit (cf. ep. I. c. 10; II passim). Patet ergo, eam jam degenerasse et fructus illos malos produxisse, de quibus alii scriptores ecclesiastici tertio demum saeculo narrant.“[3]) Atque revera quamvis jam tempore s. Clementis motiva potuerint adesse, ut familiaritatem cum mulieribus inculcaret esse cavendam, modus tamen quo loquitur referendus videtur ad abusus qui aliquanto tardius se propagarunt. — Ob rationes allatas igitur gravissima dubia de genuinitate epistolarum ad Virgines restant, ac probabilius, uti Funk existimat, hae epistolae saeculo

---

[1]) Iren. Contra Haer. III. 3.

[2]) En verba epistolae de Virginitate, I. 6: „Deinde Joannes, qui super pectus Domini nostri recubuit, quem (Dominus) valde diligebat, is quoque virgo fuit; neque enim sine causa Dominus noster illum (sic) diligebat. Paulus quoque et Barnabas et Timotheus cum reliquis aliis, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, hi, inquam, omnes castimoniam dilexerunt atque amarunt, et in isthoc certamine cucurrerunt, cursumque suum immaculate confecerunt, ut Christi imitatores et tamquam filii Dei vivi.“

[3]) L. c. p. XLII.

secundo exeunte vel saeculo tertio conscriptae, et per errorem quemdam dein Clementi Romano attributae sunt. Epistolarum indoles.

Quae in Epistolis ad Virgines continentur, ad haec paucis possunt reduci. Auctor in epistola prima veram virginitatem omnibus virtutibus debere esse conjunctam et ornatam ostendit (c. 1—4.); molestiam et hostes virginitatis describit, docens, quomodo superari possint (c. 5.). Virginitatis deinde laudes fusius exhibet, eas potissimum extollens, quae vere virgines sunt, id est sanctae corpore et spiritu (c. 6—9.). Transit jam ad varios abusus, quos recenset et acriter increpat; praesertim vero eos redarguit, qui otiosi et loquaces per domos virginum fratrum et sororum circumvagantur, sub praetextu visitandi eos aut legendi Scripturas, aut exorcizandi eos vel etiam docendi; instruit eos de periculis vitae otiosae ac edocet. quomodo omnia officia christiana rite et absque peccato aut periculo exerceri possint et debeant (c. 10—12.); concludit denique generali ad vitam bonam exhortatione (c. 13.). — In altera epistola suo ipsius exemplo fratribus, qui praedicandi Evangelii munus susceperunt, ostendit, quam cauta et prudens debeat esse praeconis Evangelii conversatio in hospitio eligendo et in commoratione alicubi instituenda; ista autem cauta et prudens conversatio erga feminas atque erga Gentiles accuratius describitur (c. 1—6.). Porro ad dicta sua confirmanda producit multa exempla Veteris et Novi Testamenti, ex. gr. Josephi Aegyptiaci, Samsonis, Davidis, Salomonis, Elisaei, demum Jesu Christi ipsius, ut ostendat, tum quot homines perierint per feminas incauta conversatione, tum quot et quanti viri nonnisi cum viris habitaverint omni vitae suae tempore et in castitate illaesa perseveraverint (c. 7—15.). Brevi denique adhortatione claudit (c. 16.) — In epistola priore statum virginitatis seu coelibatus anteponendum esse statui conjugali his verbis asserit auctor: „Dabit Deus iis, qui coelibes permanserunt, excellentiorem in coelis locum, quam illis, qui in matrimonio pudici vixerunt.“ Epist. I. ad Virg. c. 4. cf. Concil. Trid. Sess. 24. can. 10.

Opera spuria.

Nota 1. Praeter laudatas hactenus epistolas sive genuinas, sive dubias multa alia sub Clementis Romani nomine circumferuntur Opera spuria nempe:

1. Libri octo Constitutionum Apostolicarum et canones Apostolorum (edit. gr. et lat. in Cotelerii Patribus Apostol. Vol. I. cum aliquot Dissertationibus G. Beveregii, Th. Brunonis et J. Clerici in Vol. II. Append. Alia edit. gr. et lat. in Mansi Collect. Concil. T. I. col. 257. seqq. — Cf. v. Drey: Neue Untersuchungen über die Constitutionen und Canones der Apostel. Tübingen 1832. — Kirchenlex. ed. II tit. Constit. Apostolorum.

2. Recognitionum libri decem, in quibus s. Petri res gestae ejusque cum Simone Mago colloquia describuntur, et qua ratione s. Clemens ipse parentem atque fratres suos recognoverit, unde etiam nomen huic Operi inditum est. Edit. latin. ex interpret. Rufini Aquilej., cum graecus textus intercidit, in Cotelerii Patr. Apostol. Vol. I. et in Biblioth. Patrum Eccles. latin. selecta cur. Gersdorf. Lips. 1838. Vol. I.; Migne Ser. gr. T. II.

3. Praeterea extant ejus nomine 19 Homiliae, quae plerumque Clementinae appellari solent, Recognitionibus valde similes, cum easdem fabulas eosdemque errores utrimque deprehendere liceat. Edit. gr. lat. in Coteler. Patr. Ap. Vol. I.; Migne S. g T. II.

4. Epitome de Gestis S. Petri similis plane furfuris et tenoris est. Ed. gr. lat. ap. Coteler. l. c.; Dressel, Lipsiae 1856.

5. Epistolae aliae quinque, (quarum duae ad s. Jacobum fratrem Domini et Episcopum Hierosolym. datae sunt) eidem quoque falso tribuuntur (edit. in Mansi Collect. Concil. Tom. I. col. 84—144.). Scripta haec, si excipias Constitutiones Apostol. et Canones Apostolorum, quae licet non sint genuina, insignia tamen sunt antiquitatis Ecclesiasticae monumenta atque Epistolas decretales, plurimas fabulas gravesque errores vel ipsi fidei adversantes continent. Cf. Lumper P. I. p. 44—52. De Clementinis, Recognitionibus et Epitome vid. Schliemann: Die Clementinen nebst den verwandten Schriften. Hamburg 1844. Uhlhorn, Die Homilien u. Recognitionen des Clemens Rom. Göttingen 1854. Funk, Kirch. Lex. II. Aufl. tit. Clementinen.

Nota 2. Septem quoque epistolarum S. Clementis Rom. Fragmenta extant apud Galland. T. I. p. 44—45. Decem ejusmodi Fragmenta exhibet G. Jacobson. T. I. p. 251—60. Novum ejusmodi fragmentum protulit Card. A. Majus in Collect. Nova Veterum Scriptor. T. VII. p. 84—85.

§. 36.

S. Ignatius Martyr.

Fontes: Eusebius H. E. L. III. c. 22. 36. — S. Hieronymus de viris illustribus c. 16. — Martyrium s. Ignatii in Edit. Opp. Patrum Apostolicorum Cotelerii Gallandii, Jacobson, Funk. — S. Joannis Chrysostomi Homilia in s. Ignatium Martyrem (ed. Montfaucont T. II. p. 592—601). Fontes et Subsidia.

Subsidia: Galland. Biblioth. Patrum T. I. Prolegom. c. 7. 8. — Lumper Histor. ss. Patrum P. I. Sect. VII. — Sprenger Saec. II. Diss. II et III. — Patrum Apost. Opera ed. Jacobson Prolegom. T. I. p. XVIII—LIII. — J. Pearsonii Vindiciae Ignatianae (Opp. Patrum Apostol. ed. Coteler. Cleric. Amstelodami 1724, Vol. II. Append. p. 251—440.). — Funk, Opera Pat. Apostolic. T. I. Prolegomena p. XLIII—LXXXIII; Die Echtheit der Ignatianischen Briefe, Tübingen 1883. — Denzinger, Ueber die Echtheit des bisherigen Textes der Ignatianischen Briefe; Würzburg 1849. — Nirschl, Die Theologie des h. Ignatius, Mainz 1880. — Freppel, Les Pères Apostoliques T. I. Leç. XV—XIX — Ceillier T. I. — Cfr. Chevalier, Bio-Bibliographie s. v. Ignace.

S. Ignatii vita.

S. Ignatius, cognomento Theophorus,[1]) Apostolorum discipulus, vir in omnibus apostolicus,[2]) Antiochenae ecclesiae tertius post Petrum Apostolum Episcopus,[3]) summa cura hanc gubernavit Ecclesiam, durante Domitiani persecutione multa perpessus vixque eluctatus ac divinae instar lucernae singulorum mentes sacrarum Scripturarum

---

[1]) De hoc cognomento vid. J. Pearson Vindic. Ignat. P. II. c. 12. ed. cit. p. 411 seqq. Funk, Opp. Pat. Ap. T. I. p. LXVIII; Die Echtheit etc. p. 113.

[2]) Euseb. in Chron. ad a. Chr. 101. Cf. S. Gregorii M. lib. 5. ep. 39.

[3]) Ita Euseb. lib. 3. c. 22. et Hieron. de viris illustr. c. 16. Sic porro s. Petrus primus, alter s. Evodius, tertius noster s. Ignatius foret Episcopus Antiochenus. Verum alii, innixi auctoritate s. Joannis Chrysost. (Homil. cit. n. 4.), Theodoreti in Dialog. I. (ed. J. Sirmondi T. IV. p. 33.), P. Felicis III. in Epist. 5. ad Zenonem Imp. (Mansi Concil. T. VII. col. 1052.), s. Ignatium in regenda ecclesia Antiochena immediate s. Petro Apostolo successisse statuunt; ad hanc dirimendam controversiam cf. Constitut. Apostol. lib. 7. c. 46. cum Not. Cotelerii. Vid. etiam Natal. Alex. Saec. I. Diss. 14. Propos. I. et Lumper P. I. p. 246—47.

S. Ignatii vita.

expositione illuminans [1]) Postea vero persecutionem commovente Trajano, ab ipso Imperatore damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur.[2]) Qui cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrediebatur, ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans monebat imprimis, ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent, simulque ut Apostolorum traditioni tenaciter inhaererent, quam etiam cautelae gratia jamjam martyrium subiturus scriptis mandare necessarium duxit. Itaque quum Smyrnam venisset, ubi Polycarpus, s. Joannis Apostoli olim auditor et Ignatii forte condiscipulus, Episcopatum gerebat, ecclesiis, quae ipsi occurrerant in via eumque salutaverant per suos praepositos Episcopos, presbyteros et diaconos, mercedem rependit, missis ad illas litteris gratias agens, quae spiritualem cum oratione et exhortatione gratiam stillabant. Sic porro scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesios, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, in qua, ardore consequendi martyrii et spe veniendi ad Deum dudum accensus, supplex orat atque hortatur Romanos, ne martyrium a se depellentes ac deprecantes spe ac voto ipsum fraudare velint. „Obsecro vos, scribit, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molor, ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulchrum fiant nihilque mei corporis relinquant, ne, postquam abdormiero, gravis alicui fiam (c. IV.). Utinam fruar bestiis mihi praeparatis, quas et opto mihi veloces inveniri; quibus et blandiar, ut cito me devorent, non ut quosdam veritae non tetigerunt. Sin autem illae repugnantes noluerint, ego eas vi appellam. Veniam mihi date; quid mihi prosit, ego novi.“ (c. V.) — Postea vero Smyrna digressus cum Troadem venisset, inde ad Philadelphenses litteras dedit et ad Smyrnaeorum

---

[1]) Acta Martyr. c. 1.
[2]) Hieron. l. c.

ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum Episcopum. Quem cum Apostolicum virum esse plane cognosceret, ipsi tamquam bonus ac fidelis pastor gregem Antiochenae ecclesiae commendavit, rogans, ut omni cura ac diligentia illam fovere vellet.[1]) Romam dein pervenit, atque in amphitheatro feris objectus gloriosum consummavit martyrium. Qua de re in Ignatii *Martyrio*: „Postquam cuncti fratres genua flexissent ipseque Filium Dei pro ecclesiis et pro cessatione persecutionis et pro mutuo fratrum inter se amore precatus esset, abductus est confestim in amphiteatrum. Dein illico in id immissus ex mandato Caesaris pridem dato, fine spectaculorum imminente, . . . sic crudelibus feris ab impiis est objectus, ut illico sancti martyris Ignatii impleretur desiderium, prout scriptum est: *Desiderium justi est acceptum*, ut nempe nulli fratrum gravis fieret ob suarum reliquiarum collectionem, quemadmodum prius in epistola optaverat suam consummationem fieri. Solae enim duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictae et Antiochiam ablatae sunt atque in linteo depositae, ut thesaurus inaestimabilis, ob martyris gratiam sanctae ecclesiae relictae.“[2]) — Plerique existimant gloriosum hoc s. Ignatii martyrium accidisse a. 107; alii a. 116 vel a. 104 illud adscribunt.[3])

S. Ignatii martyrium.

§ 37.

S. Ignatii Scripta.

Epistolarum S. Ignatii jam meminit s. Polycarpus brevi post Ignatii martyrium ad Philippenses scribens: *Epistolas Ignatii quas ad me scripsit*[4]) *et quascumque de-*

[1]) Euseb. H. E. III. 35.

[2]) Martyrium c. VI. — De hoc *Martyrio* inferius pauca dicemus.

[3]) Cfr. Nirschl, Das Todesjahr des Ignatius und die drei orientalischen Feldzüge des Kaiser Trajan. Passau 1869; Patrologie I. 118 sqq.

[4]) Ita in textu graeco servato ab Eusebio: *τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἄλλας.* In antiqua versione

Quaestio de epistolis s. Ignatii.

mum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis ad vos misimus; quas quidem huic epistolae subjecimus. Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit; continent enim fidem, patientiam et caetera quae ad augendum Domini nostri cultum pertinent (c. XIII). Etiam Lucianum philosophum gentilem Ignatii epistolas novisse sunt, qui ex quibusdam ejus verbis in dialogo *de morte Peregrini* colligunt.[1]) Irenaeus[2]) et Origenes[3]) aliquot textus ex Ignatii epp. ad. Romanos et ad Ephesios citant; inde a saeculo quarto autem praeter Eusebium quamplurimi Patres, uti Athanasius, Ephraem Syrus, Joannes Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus et alii earum epistolarum mentionem faciunt verbaque ex iis afferunt. Quum praeterea indoles epistolarum omnino aetati apostolicae respondeat, earum genuinitas firmissimis constat argumentis.

Sed animadvertendum est, jam saeculo sexto, uti videtur, interpolatas fuisse Ignatii epistolas; atque exinde magis nota atque vulgata fuit *recensio longior* illarum epistolarum, minus nota vero *recensio brevior* eaque vere genuina. Atque illa recensione longiore quoque epistolae Ignatianae ultimis annis saeculi XV typis editae sunt, adjectis etiam variis spuriis de quibus inferius agemus. Controversia porro saeculo XVI orta est acrior inter eruditos de numero, integritate et genuinitate epistolarum s. Ignatii. Sed saeculo XVII Jac. Usher primum in Anglia duos codices nactus est, qui recensionem breviorem epistolarum Ignatii latina versione continebant; hanc recensionem genuinam esse agnovit ex comparatione cum textibus citatis a Patribus. Edidit eam recensionem Oxonii a. 1644. Eodem vero fere tempore Isaac Vossius in Codice Florentino graecum textum recensionis brevioris invenit, excepta epistola ad Romanos, atque *epistolas genui-*

---

latina legitur: „Epistolae sane Ignatii, quae transmissae sunt vobis ab eo."

[1]) V. Funk l. c. p. 4.

[2]) C. Haer. V. 28; ap. Eus. H. E. III. 26.

[3]) Prolog. in Cant. cantic. et Homil. VI in Luc. — ap. Migne P. G. Tom. V. p. 10.

nas Ignatii martyris ex illo codice Florentino a. 1646 typis vulgavit. Epistolam ad Romanos talem ediderat, qualis in collectione priore legebatur; sed a. 1689 recensionem praestantiorem Th. Ruinart e codice Colbertiano vulgavit. Fuerunt quidem auctores, qui nihilominus recensionem longiorem breviori praeferendam contenderunt; fuerunt quoque qui universim authentiam epistolarum s. Ignatii uti exstant impugnaverunt; sed gravissimi plurimique auctores, catholici omnes, protestantes plerique genuinitatem epistolarum vindicaverunt, atque generatim brevioris recensionis authentiam agnoverunt. Quaestio de epistolis s. Ignatii.

Nova autem quaestio nostro tempore orta est. „Anno 1839 H. Tattam in monasterio Nitriae syriaco codicem antiquissimum (saec. VI) detexit, qui versionem epistolae ad Polycarpum syriacam et nonnullos aliarum epistolarum locos a pluribus scriptoribus laudatos continet. Anno 1842 multos alios monasterii illius codices pro Musaeo Britannico emit, inter quos versio syriaca trium epistolarum ad Ephesios, ad Romanos et ad Polycarpum (saec. VII et VIII) una cum pluribus Ignatianarum epistolarum fragmentis reperta est. Versio non modo a longiori, sed etiam a breviori recensione discrepat; multi versus et etiam plura capita desunt, . . . et Guil. Cureton, qui eam anno 1845 una cum versione Anglica in vulgus edidit, eam textui Ignatiano genuino quam accuratissime respondere et omnia quae in nostro textu graeco plura inveniuntur, saeculo quarto addita esse contendit et introducta, ut doctrina catholica de Trinitate et hierarchia ecclesiastica per testem antiquissimum comprobaretur et confirmaretur.“[1]) Hanc sententiam amplexi sunt et defenderunt inter alios Bunsen, Lipsius, Böhringer; sed tum in Anglia tum in Germania varii auctores catholici ac protestantes eam funditus everterunt. Ill. Hefele jam anno 1847 ostendit, versionem syriacam nonnisi epitomen Ignatianarum epistolarum esse, a monacho syriaco in proprios usus pios confectam, idque ex eo conclusit, quod iidem codices, quos Tattam detexit,

[1]) Funk l. c. p. LX.

et alia plura excerpta ex epistolis Ignatianis nec non alios libros asceticos continent, quodque nexus sententiarum in versione minus arctus docet, monachum illum non tam interpretis quam epitomatoris partes egisse.[1])

Quaestio de epistolis s. Ignatii.

Eamdem vel similem sententiam alii auctores, uti Denzinger, Uhlhorn, Petermann, propugnaverunt. Confirmatur ea sententia plurimum ex collatione versionis armeniacae genuinarum s. Ignatii epistolarum (brevioris nempe recensionis), quae fluxisse videtur ex versione syriaca epistolarum s. Ignatii non decurtata vel ex textu originali si s. Ignatius syriace scripsit. Contulit istam versionem armeniacam Petermann in sua editione epistolarum s. Ignatii.[2]) — Vehementius quoque nostris diebus genuinitatem epistolarum s. Ignatii universim plures scriptores protestantes impugnaverunt. Eosdem solidis argumentis refutavit F. X. Funk, authentiamque epistolarum vindicavit.[3])

Epistolarum indoles.

Ut jam de *indole* epistolarum S. Ignatii agamus, advertendum est, similitudinem quamdam styli eas habere cum epistolis s. Joannis Apostoli. Utrum hujus discipulus fuerit Ignatius, dubium est; verisimile sane, eum in adolescentia vel pueritia sua ss. Petrum et Paulum vidisse, qui Antiochiae commorati sunt — Quum argumentum quinque epistolarum, ad Ephesios, Magnesios, Trallianos, Philadelphenses et Smyrnaeos, valde simile sit, summa capita quae iis continentur simul exhibemus.

Ubi ecclesiae audierunt, Ignatium Syriae Episcopum vinctum Romam duci ad mortem ob professionem et spem omnibus communem, legatos miserunt Episcopos, presbyteros et diaconos, qui eum in itinere salutarent et caritatis officia exhiberent. Ipse vero iisdem ecclesiis per illos legatos rescripsit, easque, licet admiranda humilitate se indignum profiteatur, caritate tamen impulsus aggressus

---

[1]) Funk, ibid.

[2]) S. Ignatii Patris Apostol. Epistolae etc. Lipsiae 1849.

[3]) Die Echtheit der Ignatianischen Briefe auf's neue vertheidigt von Dr. F. X. Funk. Tübingen 1883.

est consolari et exhortari ac praemunire contra pericula et errores, quae Spiritu sancto revelante illis imminere agnoverat.[1]) Indoles epistolarum s. Ignatii.

Ostendit igitur s. Ignatius, qua ratione se gerant adversus *Ethnicos* (Ephes. c. 10. Trall. c. 8.), ut eos Christo lucrifaciant. Monet, ne in *Judaismum* relabantur, qua occasione Judaismum et Christianismum inter se comparat, eorumque relationem mutuam exponit. Uberrime autem agit de cavenda quacumque *haeresi*, cum nulla non separationem ab unitate inducat, eamque summopere detestari jubet. Omnes etiam *haereticos*, maxime *Doketas*, sollicite fugiendos monet, atque contra hos veram Christi humanam naturam pluribus adstruit, prout etiam frequenter Jesu Christi divinitatem claris verbis proponit. Insuper contra eosdem principalia fidei christianae mysteria sedulo inculcat, quae ipsi sunt: B. Mariae virginitas ejusque partus, adventus Christi in terris, passio, crux et mors, ac denique resurrectio Domini. Praecipue vero s. Ignatius unionem cum Episcopo et Clero, reverentiam et obedientiam debitam commendat, ac de hierarchia sacra ejusque gradibus ac muneribus ea habet, quae Ecclesia doctrinam et constitutionem egregie illustrant, et haereticorum impias innovationes turpesque errores apertissime condemnant. Ita ad Magnesios s. Martyr scribit: *Cum itaque dignus sim habitus, ut videam vos per Damam episcopum vestrum Deo dignum et per dignos presbyteros Bassum et Apollonium et per conservum meum Zotionem diaconum, quo utinam fruar, quia subditus est episcopo ut benignitati Dei et presbyterio ut legi Jesu Christi.* (c. 2.). *Sed et vos decet*

---

[1]) Singulis vero ecclesiis speciatim scribit ea, quae ipsis magis convenire per legatos cognoverat. Unde facile vides, ineptam plane esse difficultatem contra genuinitatem epistolarum a Centuriatoribus et a Baur allatam, non intelligi quare potissimum ad illam vel istam ecclesiam Ignatius litteras voluerit mittere, praesertim quum cum earum legatis colloquia jam habuerit. Nihil erat sane caritati christianae et Praesulis dignitati magis consonum, quam ecclesiis istis, quae honore et caritate ipsum prosecutae fuerant, epistolas mittere opportunisque exhortationibus eas consolari et confirmare

Indoles epistolarum s. Ignatii.

non familiarius uti aetate (τῇ ἡλικίᾳ) Episcopi, sed respectu potentiae Dei Patris omnem illi impertiri reverentiam, quemadmodum cognovi et sanctos presbyteros non abuti juvenili ejus conditione conspicua (τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν), sed ut prudentes in Deo cedere ei, non ei autem, sed Patri Jesu Christi, omnium Episcopo. In honorem igitur illius qui amat nos decet obedire sine ulla hypocrisi; quia non Episcopum hunc visibilem quis fallit, sed invisibilem decipere conatur (c. 3) . . . *Decet itaque non modo vocari Christianos, sed etiam esse; quemadmodum nonnulli Episcopum quidem nominant, sed omnia sine eo faciunt. Tales vero non bona conscientia mihi praediti esse videntur, quia non firmiter secundum praeceptum congregantur* (c. 4) . . . *Cum itaque in personis supradictis omnem similitudinem in fide conspexissem ac dilexissem, hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, Episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit* (c. 6) . . . *Quemadmodum igitur Dominus sine Patre, ipsi unitus, nihil fecit, neque per seipsum neque per Apostolos, ita neque vos sine Episcopo et presbyteris quidquam peragatis, neque aggrediamini, ut quidquam a vobis separatim factum decens appareat, sed in unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes in caritate, in gaudio sancto, quod est Jesus Christus, quo nihil sanctius est. Omnes velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodiit et apud unum fuit ad eumque reversus est* (c. 7).

Hanc *unitatem* ex unione cum Episcopo maxime dimanantem identidem in epistolis commendat et amplificat. Singuli Christiani dummodo bona opera peragunt membra sunt Christi (Ephes. c. 4); vocati per passionem ejus (Trall. c. 11); singulae autem ecclesiae constituunt corpora quaedam minora (Smyrn. c. 11); quae episcopus visibiliter (Ephes. c. 1), Christus vero invisibiliter regit (Rom. c. 9); tota autem ecclesia catholica, Jesu Christo intime juncta et unita (Ephes. c. 5), unum magnum corpus constituit

(Smyrn. c. 1 et 8), cujus caput Christus est (Trall. c. 11), cuique praesidet ecclesia Romana (Inscript. epist. ad Rom.); haec autem ecclesia catholica (Smyrn. c. 8) ab ipso Domino accepit donum incorruptionis, i. e. infallibilitatis (Ephes. c. 17); hinc qui ab ea segregatur aeternam subibit damnationem (Magn. c. 10; Philad. c. 3) Hanc vero unitatem, quae exterius manifestatur in fideli obedientia, Episcopo, presbyteris atque diaconis praestita, atque in participatione unius cultus divini communis, quem solus Episcopus peragere potest, ostendit esse ex natura sua *unitatem fidei*, quae necessario et arctissime jungitur cum caritate, quarum illa initium est, haec finis vitae christianae, ambae secum junctae ex Deo descendunt hominemque christianum perfectum constituunt, ita ut nihil iis praestantius inveniri possit. In hac unitate subjectionis erga Episcopum et communis cultus divini, fidei quoque et caritatis, ut immobiliter maneant, iterum iterumque eos admonet et obtestatur; demum seipsum et ecclesiam suam eorum precibus commendat.

Indoles epistolarum s. Ignatii.

Ut aliqua effata s. Martyris, quae ad haec capita spectant, subnectamus: *In his quae circumfero vinculis*, scribit, *laudo ecclesias, quibus opto unionem secundum carnem et spiritum Jesu Christi sempiternae nostra vitae, fidei, et, cui nihil praefertur, caritatis* (Magn. 1.). *Ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia* (Smyrn. c. 8). *Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiae spiret incorruptionem* (Ephes. c. 17). *Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo* (Philad. c. 3). *Filii itaque lucis et veritatis fugite divisiones, . . . ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini* (Ibid. c. 2). *Cum Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere; . . . necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis; sed et presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi, . . et diaconos oportet omnibus placere* (Trall. c. 2).

S. Ignatius quantum a schismate et haeresi abhorreret, apertius explicare non poterat, quam ab illo istis verbis praestitum est: *Si quis schisma facientem sectatur, regni*

Indoles epistolarum s. Ignatii.

divini haereditatem non consequitur; si quis ambulat in aliena doctrina, iste passioni non consentit (Philad. c. 3). Alio loco haeresim maximis criminibus confert, aeternoque supplicio eam puniendam monet. *Ne erretis, fratres mei. Familiarum perturbatores regnum Dei non haereditabunt. Si autem ii qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti; quanto magis, si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est? Talis inquinatus factus in ignem inexstinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum* (Ephes. 16). In ea tamen sententia non erat Ignatius, schismatis et haeresis peccata remitti non posse, fateturque in universum, Deum iis omnibus parcere, qui per sinceram poenitentiam resipiscant, atque ad Ecclesiae et Episcopi communionem redeant.[1]) *Praemunio vos,* scribit, *contra feras humana specie indutas* (haereticos insectatur, quos Phantasiasticos vocabant), *quas non solum oportet vos non recipere, sed si possibile est neque obviam iis fieri; solum vero pro iis orare, si quomodo poenitentiam agant, quod admodum difficile est. Hujus autem potestatem habet Jesus Christus vera nostra vita* (Smyrn. c. 4). *Ubi divisio est et ira, ibi Deus minime habitat. Omnibus igitur poenitentibus remittit Deus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad communionem cum episcopo.* (Philad. c. 8).

Epistolae ad Romanos ab Ignatio praemissa est inscriptio, qua ejus dignitatem insignem luculenter praedicat. Est videlicet inscriptio hujusmodi: *Ignatius, qui et Theophorus, ecclesiae misericordiam consecutae in magnificentia Patris altissimi et Jesu Christi Filii ejus unici; ecclesiae dilectae et illuminatae voluntate ejus, qui vult omnia, quae sunt secundum caritatem Jesu Christi, Dei nostri; quae etiam praesidet (προκάθηται) in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta et universo caritatis coetui praesidens (ἀξιόαγνος καὶ προκα-*

[1]) G. Lumper, de doctrina s. Ignatii, art. 1. §. 2., apud Migne, P. G., t. V. col. 590.

Indoles epistolarum s. Ignatii.

θημένῃ τῆς ἀγάπης), Christi legem habens, Patris nomine insignita, quam et saluto in nomine Jesu Christi Filii Patris; iis, qui secundum carnem et spiritum cuivis ipsius praecepto sunt adunati, gratia Dei inseparabiliter repleti et ab omni alieno colore sunt expurgati, plurimam in Jesu Christo, Deo nostro, et intaminatam opto salutem. Scribit dein Romanis: „gratia Dei se dignum factum esse qui eos videret, et sperare, se ad Deum perventurum esse nisi ipsi nolint (c. 1). Ne martyrio ipsum eripiant (c. 2), sed potius orent, ut vere Christianus inveniatur (c. 3). Lubentem se ferarum cibum fieri (c. 4). Jam in itinere se cum bestiis pugnare et cito Jesum assequi cupere (c. 5). In Christo mori melius esse quam mundum lucrari (c. 6). *Neque si ego praesens vos orarem, credatis mihi; his potius quae vobis scribo credatis. . . . Panem Dei volo qui est caro Jesu Christi, qui ex semine David factus est, et potum volo sanguinem ipsius, qui est caritas incorruptibilis.*[1]) Faveant ipsi; ex eorum voluntate vitam vel mortem ipsi pendere (c. 7, 8). In precibus meminerint ecclesiae Syriae eosque qui Antiochia Romam praecesserint, bene suscipiant (c. 9, 10).“ V. Funk l. c. p. LXXI.

In epistola *ad Polycarpum* Ignatius gaudium suum exprimit, quod Deus sibi conspectum illius praebere dignatus sit; tum eum instruit de recta conversatione et de modo munus episcopale gerendi; praesertim vero edocet, quomodo se gerere debeat tum generatim erga subditos, tum in specie erga viduas et erga servos, quomodo divinum cultum publicum instituat, qualia praecepta tradat ad coelibes, ad uxores maritosque, demum qua ratione matrimonia sint ineunda. Tum conversus ad plebem eidem varia praecepta bene vivendi scribit, praecipue ut obediant Episcopo, presbyteris et diaconis et omnia in communione cum episcopo atque in caritate ad majorem Dei gloriam agant.

---

[1]) „Contextus docet, Ignatium de ipsius Dei fruitione in coelo loqui, cujus martyrio se participem fieri sperat. Imagines autem, quibus utitur, de Eucharistia desumptae sunt.“ Funk, nota in c. 7.

Indoles epistolarum s. Ignatii.

Praeter doctrinam de hierarchia ac de Ecclesiae regimine et constitutione, etiam plura alia dogmata in s. Ignatii epistolis clare expressa inveniuntur, ita ut ex iis haeretici peremptorie confutentur. Sic de reali praesentia D. N. Jesu Christi in ss. Eucharistiae sacramento insigne illud occurrit s. Martyris testimonium. Haeretici *ab Eucharistia et oratione abstinent, eo, quod non confitentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris Nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono Dei, altercantes moriuntur* (Smyrn. c. 7). — Metus gehennae et poenae, si voluntatem peccandi excludat, ab Ignatio commendatur et laudatur epistolâ ad Ephes. c. 11: *Novissima sunt tempora: reliquum est, ut revereamur et timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut praesentem gratiam diligamus; unum ex duobus; modo in Christo Jesu inveniamur ad veram vitam vivendam.* Sicut fidei ita caritatis necessitatem identidem praedicat. Ita ad Philad. c. 9: *Omnia* (V. et N. Testamentum) *simul bona sunt, modo in caritate credatis.*[1])

Objectiones contra genuinitatem.

Objectiones quaedam quae ex ipsis Ignatii epistolis contra carum genuinitatem collectae sunt, non sunt tanti, ut de iisdem fusius agendum videatur. Sic eam quaestionem, utrum Trajanus eo tempore quo Ignatius damnatus est Antiochiae fuerit, discutere non est necessarium. Ex epistolis potius colligas, eum a proconsule ad bestias damnatum, ac dein Romam missum fuisse. — Quod non breviori via Romam ductus fuerit, variae potuerunt esse rationes. Si v. g. occasio recto itinere in Italiam navigandi defuit, cur eum aliam viam ingressum esse statuere non liceat? — Tangamus tamen objectionem quam inde desumunt, quod in epistolis Ignatianis ad haereses posteriores alludatur. Scribit videlicet, aiunt, ad Magnesios c. 8: *Divinissimi namque prophetae juxta Jesum Christum vixerunt. Ob hoc et persecutionem passi sunt, gratia ipsius inspirati, ut increduli certi redderentur, quod unus sit Deus,*

[1]) Cf. Magnes. c. 9; Ephes. cc. 9. 14; Smyrn. c. 6.

qui seipsum manifestaverit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ejus (aeternum haud) a silentio progressum (*ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών*). His verbis alludi contendunt ad haeresim Valentini Gnostici posteriori tempore ortam. Objectiones contra genuinitatem.

Merito ad haec Funk: „Sed primo respondere licet, Ignatium ita scripsisse non esse certum. Namque verba *ἀΐδιος οὐκ* in versione armeniaca et apud Severum Antiochenum desunt et a librario textui inserta esse videntur“ (L. c. LXV). Lectio probabilior itaque, quam etiam Funk adoptavit, ea est: *ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀπὸ σιγῆς προελθών*, qui est Verbum ejus e silentio procedens. „Sensus videlicet hujus loci est: Christus ante saecula apud Patrem existens (6. 1) post longum quasi silentium cum hominibus conversaturus in mundum prodiit ac verbum vel os Dei (Ign. ad Rom. 8. 2) evasit. Sed cum Graecis recentioribus *τὸ προελθεῖν* generationem Christi aeternam significaret, et verbis *ἀπὸ σιγῆς προελθών* doctrina proponeretur, quae quarto quidem saeculo Valentini Gnostici esse videbatur, librarius facilius in cogitationem incidere potuit, verba *ἀΐδιος οὐκ* (quae inde a saec. V inveniuntur) inserenda esse, ut suspicio haeresis a sancto martyre removeretur.“[1]) Caeterum „etsi ab auctore scriptum esset *οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών*, non sequeretur, eum Valentinum Gnosticum prae oculis habuisse. Recte jam Usher animadvertit, teste Irenaeo adv. Haer. I. 11, 1, Valentinum non primum de Sige fabulatum fuisse, et e Philosophoum. VI. c. 18 apparet, praesertim Simonem Magum in systemate suo gnostico *τῇ σιγῇ* locum dedisse. Accedit quod verba Ignatii ad Valentini systema plane non quadrant, quippe qui *τὴν σιγὴν* non *τὸν λόγον*, sed *τὸν νοῦν* gignere doceat (Iren. I. c. 1, 1). Neque praetermittendum est, nonnullos Gnosticorum doctrinam eo loco respici omnino dubitasse, statuentes, verbis *οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών* verba praecedentia *ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος* breviter explicari,

[1]) V. Funk, ad Magn. VIII. 2. in nota.

ita ut sensus sit: *Verbum,* inquam, *aeternum, non a silentio procedens,* ut verbum seu sermo omnis qui aeternus non est."[1]) Utcumque igitur res se habet, ex hoc textu argumentum duci nequit, quo epistolae Ignatio abjudicentur.

Epistolae spuriae s. Ignatii.

Nota 1a. Praeter septem epistolas s. Ignatii jam commemoratas, adhuc aliae plures circumferuntur. Atque imprimis quinque lingua graeca exstantes, scilicet 1° ad Mariam Cassobolitam sive Neapolitanam prope Zarbum in Cilicia, (cujus et ipsius nomine epistola ad Ignatium fertur); 2° ad Tarsenses; 3° ad Antiochenses; 3° ad Heronem diaconum Antiochenum; 5° ad Philippenses de baptismate. Hae epistolae medio aevo, imo usque ad recentiora tempora, etiam genuinae habebantur, quemadmodum adhuc Bellarminus in suo opusculo De Scriptoribus ecclesiasticis advertit.[2]) Sed nunc jam ab omnibus criticis ut spuriae ablegantur. Suppositae pariter sunt, uti etiam Bellarminus agnovit, tres aliae epistolae quae tantum latine exstant, duae videlicet Ignatii ad Joannem Apostolum, et una ejusdem s. Ignatii ad B. V. Mariam, hujusque ad illum responsio. Censentur hae epistolae medio aevo a Latino confectae. — Epistolas spurias v. ap. Funk, Opp. Pat. Ap. T. II.

Martyrium s. Ignatii.

Nota 2a. Praeter epistolas s. Ignatii exstat etiam *Martyrium* ejus, seu Acta martyrii quae vulgo Martyrium Colbertinum vocantur, quia in Codice Colbertino graece leguntur. Textum hunc graecum a. 1689 Theodoricus Ruinart edidit, ac post ipsum alii. Versio latina satis barbara ab eodem interprete confecta qui et epistolarum versionem fecerat, jam ex aliis codicibus a. 1647 a Jacobo Usher vulgata erat. Acta haec ut a comitibus s. Martyris exarata se exhibent, scilicet ab Agathopode, Philone et Croco; auctores enim indicant, sese vidisse ea quae litteris tradiderunt, seseque rebus his interfuisse. Ruinart atque omnes fere editores usque ad nostram aetatem acta haec, paucis forte exceptis quae addita fuerint, genuina esse censuerunt. Hisce vero diebus etiam varii auctores qui authentiam epistolarum Ignatii vindicavere, judicarunt, *Martyrium* genuinum non esse; tales sunt Uhlhorn, Zahn, Kraus et Funk.[3])

Rationes contra genuinitatem inde petuntur, quod ab antiquis illud *Martyrium* nullatenus commemoretur, ex altera vero parte genuinitati argumenta quaedam externa et interna opponantur. Acta videlicet cum historia et Ignatii et Trajani pugnare, ac plura indicia falsarium prodere censent. Saeculo igitur quarto vel quinto ineunte *Martyrium* illud conscriptum esse, auctores illi opinantur. Longum esset quaestionem hanc accuratius exa-

---

[1]) Funk l. c. p. LXV. — Cfr. Funk, Die Echtheit der Ign. Briefe. II. Die haeretische Bewegung, p. 76 sqq.

[2]) L. c. de s. Ignatio.

[3]) Cfr. ea quae habet Funk de Martyrio s. Ignatii, Opp. Patr. Apost. T. I. p. LXXXVII sqq.

minare. Argumenta tamen quae opponuntur suppositionem non probare existimamus. De quadam objectione pauca dicamus. Scribunt auctores *Martyrii*: „Horum nos ipsi spectatores facti cum in lacrymis totam noctem domi exegissemus et genibus flexis multaque oratione Dominum, ut nos infirmos de iis, quae facta fuerant, certos faceret, (*πληροφορῆσαι τοὺς ἀσθενεῖς ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς προγεγονόσιν*), essemus precati ac paululum obdormissemus; alii statim adstantem eum nosque complectentem vidimus, alii rursus pro nobis orantem beatum Ignatium conspeximus, alii vero sudore stillantem, tanquam a multo labore advenientem atque adstantem Domino.“ In his verbis repugnantiam varii scriptores inveniunt, eo quod *spectatores ipsi* Deum rogent, ut certos eos faceret de iis quae facta fuerant. — Sed sensus est, eos precatos esse, ut pleniorem explanationem obtinerent de iis quae acciderant, qualis videlicet horum fuerit ultimus terminus. Quamvis enim fide sustentarentur, tamen quum Ignatium a bestiis discerptum et devoratum conspexissent, pro infirmitate humana tristitia non modica affecti sunt, ac desiderabant, ut per aliqua indicia divina ulteriora quaedam de beati viri fato cognoscerent clariusque perspicerent, quo tenderint ea quae facta erant. Atque huic desiderio satisfactum est. Agnoverunt enim per ea quae in somniis iis visa sunt, s. Ignatium consummato cursu accepisse coronam, ipsis manere caritate conjunctum et pro eis apud Deum intercedere. Haec verbis graecis *πληροφορῆσαι ἐπὶ τοῖς προγεγονόσιν* optime respondent; *πληροφορεῖν* enim significat justam seu plenam mensuram dare, adeoque hoc loco plenam explanationem concedere. — Etsi igitur quaestionem de genuinitate *Martyrii* hoc loco dirimere nobis non sit propositum, praevalere tamen censemus argumenta quae genuinitati favent.[1])

Martyrium s. Ignatii.

§. 38.

S. Polycarpus ejusque Epistola ad Philippenses.

Fontes: Martyrium s. Polycarpi[2]) in Editt. Patrum Apost. supra citatis, et in Ruinart. Acta Martyr. — S. Irenaeus adv. haeres. lib. III. c. 3. — Euseb. H. E. L. III. c. 36. L. IV. c. 14. et 15. L. V. c. 20. et 24. — S. Hieronym. de viris illustr. c. 17.

Fontes et Subsidia.

Subsidia: Gallandii Biblioth. Patrum T. I. Prolegom. c. 9. et c. 18. — G. Lumper P. I. Sect. VIII. — Sprenger Saec. II. Diss. IV. (T. I. p. 478 sqq). — Patrum Apostol. Opp. ed. Jacobson

---

[1]) Fusius de hac quaestione, ut genuinitatem *Martyrii* vindicaret scripsit cl. Nirschl in Periodico Hist. pol. Bl. a. 1879. T. 84.

[2]) Haec sunt vetustissima illa Martyria, quorum lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde recedat. „Certe ego nihil unquam in historia ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar.“ Ita acerrimus Criticus Jos. Scaliger.

Prolegom. T. I. p. LIV – LIX ; ed. Funk Proleg. LXXXIII—XCIX. — Steph. le Moyne Varia sacra. Lugduni Batav. 1685. 4°. Tom. I. Prolegom. — Nourry Apparat. T. I. Dissert. 8. — Dupin T. I. p. 76—80. — Ceillier T. I. L. III. Chap. 13. — Freppel, Les Pères Apost. XIX Leçon. — Cf. Chevalier, Bio-Bibliog. s. v. Polycarpe.

S. Polycarpi vita.

S. Polycarpus, Joannis Apostoli discipulus et ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus, totius Asiae princeps fuit, quippe qui nonnullos Apostolorum et eorum, qui ipsum viderant Dominum, magistros habuerit et viderit, familiari consuetudine usus Joannis et reliquorum Apostolorum.[1]) Unde et frequenter dicta illorum commemoravit, et quaecumque de miraculis Domini ac de doctrina illius ab iis, qui verbum vitae ipsi conspexerant, acceperat, eodem prorsus modo aliis iterum annuntiavit, in omnibus s. Scripturae consentiens.[2]) Hic propter quasdam de rebus ecclesiasticis, praesertim de die celebrandi Paschatis, quaestiones sub Imp. Antonino Pio, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit, ubi plurimos credentium, Marcionis et Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem, hanc unam et solam veritatem se ab Apostolis accepisse praedicans, quae ab Ecclesia traderetur.[3]) Rebus mox compositis statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, et Anicetus etiam in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa detulit.[4]) Postea vero admirandus ille Polycarpus, „Apostolicus et propheticus doctor et Pater Christianorum“, Smyrnam reversus, universo populo in amphitheatro adversus illum personante, nullatenus commotus est, sed tranquillo serenoque animo perstitit, et a Proconsule de Christo negando interpellatus respondit: „Sex et octoginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affecit injuria, quomodo itaque possum impie loqui adversus regem meum auctoremque sa-

[1]) S. Hieron. l. c. c. 17. Tertull. de praescript. c. 32. Euseb. 3, 36. 4, 14. S. Irenaeus ap. Euseb. 5, 24.

[2]) S. Irenaeus apud Euseb. lib. 5. c. 20.

[3]) S. Hieron. l. c. S. Irenaeus adv. haeres. lib. 3. c. 3. n. 4.

[4]) S. Irenaeus apud Euseb. lib. 5. c. 24.

lutis meae?“ Mox ad flammas damnatus rogum alacri animo conscendit; cumque ibi egregias plane ad Deum preces alta voce fudisset, non quidem ignibus, qui eum minime laeserunt, sed ense confectoris interemtus, summa cum gloria illustre perpessus martyrium vita excessit in extrema senectute[1]), anno 155.

Complures scripsit epistolas, quae admonitiones continebant et exhortationes, quas tum ad vicinas ecclesias, ut eas confirmaret, tum ad quosdam ex fratribus misit.[2])

S. Polycarpi Epistola.

Ex hisce porro epistolis reliqua est ea, quam scripsit s. Polycarpus ad Philippenses. Ejus s. Irenaeus speciatim mentionem facit contra Haeres. L. III. c. 3: *Exstat,* scribit, *etiam epistola Polycarpi ad Philippenses perfectissima* (ἱκανωτάτη), *ex qua quicumque salutis suae curam gerunt, poterunt si volent et formam fidei illius et veritatem praedicationis agnoscere.* Eusebius hisce Irenaei verbis (H. E. IV. 14) citatis, addit: *Caeterum Polycarpus in illa quae etiamnum exstat ad Philippenses epistola, utitur quibusdam testimoniis ex priori Petri epistola desumptis.* Sed et integros textus hujus ad Philippenses epistolae Eusebius citat H. E. L. III. c. 36, ea ex Polycarpi epistola referens, quae Ignatium ejusque epistolas spectant. S. Hieronymus vero eam vocat *valde* utilem epistolam, quae usque hodie in Asiae conventu legitur (Catal. c. 17).

---

[1]) Euseb. lib. 4. c 15. Fusius haec omnia in ipsis Martyrii Actis referuntur, quae videsis. Cf. Iren. adv. haer. lib. 3. c. 3. n. 4.

[2]) Complures a s. Polycarpo scriptas esse epistolas, colligitur ex epistola s. Irenaei de monarchia ad Florinum haereticum, qui simul cum s. Irenaeo Polycarpi auditor ac discipulus fuerat. (V. Euseb. H. E. V. 20). Florinum redarguens inter alia scribit s. Irenaeus: „Et in conspectu Dei affirmare possum, beatum illum et apostolicum presbyterum (Polycarpum), si quid ejusmodi unquam audiisset, exclamaturum continuo, et obturatis auribus suis dicturum fuisse prout ipsi moris erat: Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem. Atque ex loco ipsum aufugiturum, in quo seu stans seu sedens ejusmodi sermones audiisset. Sed et ex epistolis illius id liquido comprobari potest, quas ille partim ad vicinas ecclesias ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit, admonens illos atque exhortans.“

S. Polycarpi Epistola.

Manifestum est, allata haec testimonia ejusmodi esse, ut genuinitatem epistolae Polycarpi ad Philippenses peremptorio modo probent. Sane epistola quae ut documentum fidei et doctrinae Polycarpi circ. annum 180 allegatur ab Irenaeo Polycarpi discipulo, absurde supponitur spuria. Quum Irenaeus enim impugnaret etiam Florinum Polycarpi pariter auditorem, is eum cum contemptu repulisset, si potuisset ei exprobare quod erraret vel mentiretur, dum epistolam allegaret a magistro nullatenus scriptam. Nullum dubium antiquis de genuinitate fuisse, ex eo confirmatur, quod teste Hieronymo in ecclesiis legeretur. Inde et corruptionis et interpolationis periculum penitus praeclusum fuit.

In codicibus latinis epistola haec Polycarpi invenitur juncta epistolis Ignatii recensionis longioris seu Pseudoignatianis. Ac versio latina, in qua interpres munere suo negligenter functus est ita ut sit parum perfecta, ab eodem videtur confecta qui et Ignatianas illas epistolas vertit. Latinam hanc versionem valde antiquam primus Jac. Faber Stapulensis a. 1498 prelo vulgavit. Editionem hanc plures aliae secutae sunt, ac meliorem editionem collatis variis codicibus paravit J. Usher Oxonii a. 1644, ac post ipsum alii. — Textum graecum primus invenit Fr. Turrianus; est autem epistola in omnibus codicibus graecis cum Barnabae epistola conglutinata, ac tantummodo exstat usque ad finem capitis noni. Unum ex quinque capitibus postremis, videlicet c. 13, ab Eusebio graece servatum est. Lacuna quae restat expletur versione antiqua latina jam memorata. Petrus Halloix a. 1633 primus textum graecum typis vulgavit, post ipsum J. Usher a. 1644 et exinde non pauci alii. Nostris diebus Zahn in sua editione ex latino textum graecum eorum capitum quae deerant restituit (c. X—XII, XIV), ac paucis emendatis ea in sua editione Funk recepit.[1])

Scripta est epistola, uti ex eadem colligitur, brevi post mortem s. Ignatii adeoque circa annum 108. „Occa-

[1]) L. c. p. 277 nota.

sio scribendi haec fuit: Philippenses Polycarpum de Ignatio urbem suam transeunte certiores fecerant (cf. 1. 1; 9. 1) eumque rogaverant, ut epistolam ab ipsis ad Antiochenos scriptam in Syriam mitteret (13, 1), atque litteras Ignatii quas haberet, ipsis communicaret (13, 2). Praeterea ab eo quaesierant, ut ipsos de justitia christiana instrueret (3, 1), ac denique Valentis presbyteri ejusque uxoris mentionem fecerant, qui avaritia et fornicatione et mendacio ecclesiae magnam offensionem attulisse videtur."[1]) — In hisce igitur capitibus versatur Polycarpi responsio. S. Polycarpi Epistola.

Incipit hisce epistola: *Polycarpus et qui cum eo presbyteri, ecclesiae Dei, quae peregrinatur Philippis: misericordia vobis et pax a Deo omnipotente et Jesu Christo Salvatore nostro multiplicetur. — Magnopere congavisus sum in Domino nostro Jesu Christo, quod verae caritatis imagines suscepistis et quod, prout decuit vos, comitati estis eos, qui implicati sunt vinculis, quae sanctis conveniunt quaeque diademata sunt eorum, qui vere a Deo et Domino nostro electi; et quod firma fidei vestrae radix, ab antiquis temporibus annuntiata, usque adhuc permanet ac fructum affert in Domino nostro Jesu Christo, qui pro peccatis nostris usque ad mortem devenire sustinuit, quem resuscitavit Deus, solutis doloribus inferni (Act. 2, 24), in quem non videntes creditis laetitia inenarrabili et glorificata (I. Petr. 1), in quam multi desiderant introire, scientes, quod gratia estis salvati non ex operibus (Eph. 2, 8), sed voluntate Dei per Jesum Christum.* Specimen hisce habes gravitatis et pulchritudinis hujus epistolae, cui b. Polycarpus aptissima ratione ss. Scripturarum textus commiscet.

Dein Philippenses monet Polycarpus, „Domino in veritate serviant et in mandatis ejus ambulent, ut ad vitam suscitentur (2). Sese scribere haec non nimiam de se habentem opinionem, sed ab iis provocatum. Ipsorum praeceptorem esse Paulum, cujus epistolae ipsorum fidem perfectam reddere possint, ita ut mandata impleant fugiantque peccata (3), praesertim avaritiam. Armentur

[1]) V. Funk l. c. p. LXXXIX.

S. Polycarpi Epistola.

igitur armis justitiae et bonum ipsi faciant et suos doceant (4). Diaconi et juvenes et virgines in omnibus inculpabiles sint (5). Presbyteri diligenter munere suo fungantur. Omnes virtutem sectentur et falsos fratres et falsam doctrinam fugiant (6—7), sperantes in Jesum Christum, qui pro nobis passus sit nobisque exemplum patientiae proposuerit (8), et ante oculos habentes gloriosos martyres (9). In his ergo stent et Domini exemplar sequantur, semper et ubique bonum facientes (10). De Valente vehementer se contristari, quod loci sui adeo immemor fuerit. Abstineant itaque ab avaritia aliisque vitiis et illum ejusque uxorem ad virtutem reducant (11). Plura non esse dicenda, cum in sacris litteris bene exercitati sint. Deus ipsos aedificet in fide et caeteris virtutibus. Orent pro omnibus (12). Ipsorum epistolam Antiochenis se aut redditurum aut missurum esse; epistolas Ignatii huic epistolae subjectas esse. De s. martyre si quid compertum habuerint, ipsum certiorem faciant (13), et Crescentem, per quem haec scripserit, ejusque sororem bene suscipiant (14).“ — V. Funk, l. c. LXXXIX.

§. 39.

De Martyrio s. Polycarpi.

Martyrium s. Polycarpi.

Praeter epistolam s. Polycarpi etiam exstat *Martyrium Polycarpi*, pariter aetatis apostolicae documentum, in quo gloriosum s. Patris martyrium enarratur. Haec acta martyrii videlicet continentur epistola insigni, quam scripsit *Ecclesia Dei quae Smyrnae peregrinatur ecclesiae Dei quae Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae ecclesiae paroeciis.* Est igitur epistola quaedam encyclica, rogantibus utique Philomeliensibus scripta. *Vos quidem petieratis,* dicitur c. 20, 1, *ut cuncta quae gesta sunt fusius vobis exponerentur; nos vero impraesentiarum summatim indicavimus per fratrem nostrum Marcionem. Quae quidem quum legeritis, epistolam fratribus remotioribus transmittatis, ut et ipsi glorificent Dominum, qui ex suis famulis delectum facit.*

Martyrium s. Polycarpi.

Polycarpus quum ad aetatem jam valde provectam pervenisset, Smyrnae a multitudine in Christianos debachante ad mortem expetitus est. Accessitus et in amphitheatrum perductus universo populo, gentilibus ac Judaeis, in ipsum personante, nullatenus est commotus, sed tranquillo serenoque animo perstitit, et a Proconsule de Christo negando interpellatus respondit: *Sex et octoginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam affecit injuria, quomodo itaque possum impie loqui adversus regem meum auctoremque salutis meae?* Mox ad flammas damnatus rogum alacri animo ascendit; ibique egregias plane ad Deum preces alta voce direxit, quae praeclara doxologia ista conclusit: *Quapropter de omnibus te laudo, tibi benedico, te glorifico per sempiternum et coelestem Pontificem Jesum Christum, tuum filium dilectum, per quem tibi cum ipso et Spiritu sancto gloria et nunc et in futura saecula. Amen.* (c. 14). Professio ss. Trinitatis ac verae filiationis Christi his continetur.

Dein mors s. Polycarpi hisce describitur: *Et postquam „Amen" emisisset precationemque complevisset, ministri ignis ignem accenderunt. Cum vero ingens flamma emicasset, miraculum vidimus, nos, quibus illud spectare concessum fuit, qui et ideo reservati sumus, ut aliis quae contigerunt annuntiaremus. Ignis enim fornicis speciem praebens, tanquam navis velum a vento repletum in circulo corpus martyris circumdedit; quod in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed veluti panis coctus vel sicut aurum et argentum in fornace candens. Tantam autem nos percepimus suavitatem odoris, ac si thus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset.* (c. 15). Ista a teste scriptore et a Smyrnaeis fidelibus aperte miraculo tribuuntur, ac revera prodigiosa haec fuisse censerem. Juvat nihilominus citare ea quae habet Funk in nota ad hunc locum. „Quod ignis fornicis praebens speciem steterit, id causis physicis tribui posse censet Dalrymplaeus. Rogus scilicet in medio erat aedificii forma ovali exstructi, sedilibus spissis undique surgentibus (Jacobson). — Inter ligna e balneis et officinis raptim comportata fortasse nonnulla odorata et aro-

Martyrium s. Polycarpi.

matica fuisse plures suspicati sunt.“ — Est tamen haec explicatio minus obvia, ac miracula passim in martyriis eveniebant. — Prosequitur textus: *Tandem igitur cernentes improbi, corpus ejus ab igne non posse consumi, jusserunt confectorem propius accedere pugioneque eum transfigere. Quod cum ille fecisset, effluxit circa hastile* (ἐξῆλθε περὶ στύραξ, al. ἐξῆλθε περιστερὰ καὶ, exivit columba et) *tanta sanguinis copia, ut ignem extingueret, utque universa plebs miraretur, tantum esse discrimen inter infideles et fideles.* — Illa περὶ στύραξ conjectura aptissima Wordsworth et Funk adoptarunt, ut explicaretur, quomodo περιστερὰ in contextum gliscere potuerit. Apud Eusebium qui L. IV. c. 15 maximam partem *martyrii* exhibet, nihil de περιστερᾷ habetur, sed tantum ἐξῆλθε πλῆθος αἵματος, atque illa de columba corruptione quadam lectionis irrepsisse videntur.

De *cultu Sanctorum* demum et *reliquiarum* versus finem *Martyrii* habentur haec, quae doctrinam catholicam mire confirmant: *Sed cum aemulus ille et invidus et malus justorumque generi adversus insigne illius martyrium cerneret, moresque ab ineunte aetate irreprehensos et eum corona immortalitatis coronatum praemiumque sine controversia reportantem, operam dedit, ne reliquiae ejus a nobis auferrentur, quamvis multi id facere et sancti ejus corporis participes fieri cuperent. Suggessit ergo diabolus Nicetae, Herodis* (irenarchae) *patri, fratri autem Alces, adire proconsulem, ne corpus illis traderet: ne, inquit, relicto crucifixo hunc colere incipiant. Atque haec dicebant suggerentibus et instantibus Judaeis, qui quoque observaverant, nos ex igne eum extracturos; ignari, quod nec Christum, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi fient passus est inculpatus pro peccatoribus, unquam derelinquere poterimus, neque alium quemquam colere. Illum enim utpote filium Dei adoramus; martyres vero tanquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus propter eximiam ipsorum erga regem ac magistrum suum benevolentiam; quorum utinam et nos fiamus consortes et condiscipuli* (c. 17). *Videns autem centurio a Judaeis ortam contentionem, corpus in medio positum, ut*

illis mos erat, exussit. Atque ita nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exsultatione et gaudio congregatis Dominus praebebit natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum, qui certamina jam pertulerunt, tum ut posteri exercitati sint et parati ad eadem sustinenda. (c. 18). Martyrium s. Polycarpi.

Quo anno mors s. Polycarpi acciderit, ex variis indiciis quae in *Martyrio* continentur, colligi potest, et merito ad annum 155 gloriosum ejus exitum referendum esse, censemus.[1]) Quod vero ad genuinitatem *Martyrii* attinet, gravissimis ea nititur argumentis. *Martyrium* hoc „jam Eusebius legit, et majorem partem, scilicet praeter inscriptionem et initium eam, in qua exitus s. Polycarpi narratur (c. 8—19. 1) ad verbum, reliquam autem partem (1—7) summatim historiae ecclesiasticae L. IV. c. 15 inseruit. Quae quum ita sint, non est dubium, quin ea Acta, quae etiam nunc habemus, manu versaverit; nec nisi paucissimi idque tempore recentissimo eorum authentiam aut integritatem negaverunt, inanibus nixi ratiunculis.“[2]) Sic Lipsius iis insistens, quae prodigiosa ex narratione esse videntur, temporibus Decii Imp. *Martyrium* adscribendum esse contendit. Ejusmodi arbitrariae suppositiones refutatione non egent. — Quod ad ultima capita (21. et 22) *Martyrii* spectat, ea adjecta esse satis ex iis quae continent colligitur. — Martyrium s. Polycarpi a Rosweydo primo inventum, latine apud Bollandistas (Jan. T. II. p. 702) publicatum fuit. Textum graecum e Codice Barrocciano Oxoniensis Academiae primus J. Usher

---

[1]) Cf. Funk l. c. p. XCIV. Pearson ad a. 147 martyrium retulit, cui Dodwell, Gallandi et alii assensi sunt. Sam. Petit anno 175 Polycarpum censuit passum esse; reliqui mortem ad unum vel alterum annum decennii septimi saeculi secundi retulerunt, e. g. Baratier ad a. 161, Noris, Tillemont et Masson ad a. 166, Valesius ad a. 167, Baronius et Usher ad a. 169. Sed solidis rationibus ostendit Funk l. c., anno 155 martyrium Polycarpi adscribendum esse.

[2]) V. Funk l. c. p. XCV.

(a. 1647) edidit. Hunc dein, aliis quoque codicibus collatis, posteriores editores secuti sunt.

Fragmenta Responsionum.

Nota. Exstant etiam *fragmenta quinque Responsionum capitulorum s. Polycarpi*[1]), quae circa saeculi sexti medium Victor Capuanus e graeco latina reddita Catenae suae in quatuor Evangelia intexuit. De horum fragmentorum sinceritate varia circumfertur eruditorum sententia. Gallandius et Lumper e. g., qui ea pro genuinis habent, censent illa esse Responsionum excerpta, quas Polycarpus a suis interrogatus sive praesentibus sive absentibus reddere consueverat (Cf. Euseb. H. E. V. 20), quaeque proinde ab aliquo vel auditorum vel eorum quibus ejus epistolae inscribebantur, deinceps excerptae fuerunt et litteris traditae. Caeterum fragmenta illa cum genio s. Polycarpi satis conveniunt, quamvis unum vel alterum incisum additum post videatur. Ita e. g. secundum fragmentum ad verba Christi: *Calicem meum bibetis* etc. (Matth. 20. 23) ejusmodi est: *Per hujusmodi potum significat passionem. Et Jacobus quidem novissimum martyrio consummandum; fratrem vero ejus Joannem transiturum absque martyrio, quamvis et afflictiones plurimas et exilia toleravit; sed praeparatam martyrio mentem Christus martyrem judicavit. Nam Apostolus Paulus: „Quotidie, inquit, morior": dum impossibile sit quotidie mori hominem ea morte, qua semel vita haec finitur. Sed quoniam pro Evangelio ad mortem jugiter erat praeparatus, se mori quotidie sub ea significatione testatus est. Legitur et in dolio ferventis olei, pro nomine Christi, beatus Joannes fuisse demersus.* Ultimum illud incisum *Legitur et in dolio* etc. adjectum esse censendum est. Merito enim Halloix: „Neque enim, inquit, Polycarpus, qui omnia a B. Joanne acta, tanquam ejus discipulus vel videbat ipse, vel ex eo audiebat, vel ex comitibus addiscebat, scripsisset, *legitur*, quasi scilicet id non aliunde quam ex libris sciret; sed potius simpliciter atque absolute dixisset: Idem Joannes in dolio ferventis olei Christi nomine demersus fuit: quod longe majorem vim haberet, quam illud *legitur.*" Hinc locus ille vel ex Tertulliano, vel ex Hieronymo qui ab hoc scriptore Africano eam narrationem accepit, videtur adjectus. Quid vero si membrum illud ab aliena manu orae codicis graeci quo usus est Victor additum, interpres exinde aliud agens in suam versionem intulerit? Quid si librarius Catenam a Victore latine redditam exscribens, atque idem membrum quod aliquis eruditus margini adjecerit, pertinere ad suum textum existimans, in suum exemplar conjiciendum putarit?[2])

---

[1]) Ap. Migne, P. G., T. V. col. 1025.

[2]) 1ta Galland. ap. Migne, l. c. col. 1022.

§. 41.

Epistola s. Barnabae tributa.

Fontes et Subsidia.

Fontes. Clemens Alex. Strom. lib. 2. c. 20. (et saep.) — Origenes contra Celsum L. I. n. 63. — Euseb. Hist. Eccles. L. III. c. 25. L. VI. c. 13 et 14. — S. Hieron. de Viris illust. c. 6. Aliquot praeterea fontes exhibent Galland. T. I p. 113—14, Funk T. I. p. I.

Subsidia. Galland. Biblioth. T. I. Prolegom. c. 3. — Lumper P. I. Sect. III. (p. 149—82). — Sprenger Saec. I. Diss. V. (T. I. p. 121 sqq.) — Steph. le Moyne Exercitatiuncula de Barnaba (Varia sacra T. I. Prolegom.). — D. Papebroch. in Actis SS. die 11. Junii (Jun. T. II. p. 321 sqq.). — Tillemont, Mém. T. I. — Ceillier T. I. L. III. Chap. II. Art. V. — Cotelerius, H. Menardus, Is. Vossius et J. Usserius in Cotelerii Opp. Patr. Apostol. Vol. I. p. 5 — 14. — Patrum Apostol. Opp. ed. Funk T. I. Prolegom. I — XV. — Das Sendschreiben des Apostels Barnabas, auf's Neue untersucht, übersetzt und erklärt von Hefele. Tübingen 1840. — Henke: De epistolae, quae Barnabae tribuitur, authentia. Jenae 1827. — Roerdam Commentatio de authentia epistolae Barnabae. Hafniae 1828. — Rysewyk Dissertatio historico-theologica de Barnaba. Arnh. 1835. — Braunsberger, Der Apostel Barnabas, Mainz, 1876. — Freppel, Les Pères apostoliques Leç. IV. V., ed. III. Paris 1870. — Cfr. Chevalier s. v. Barnabé.

Testimonia de epistola s. Barnabae.

Barnabas Cyprius, scribit s. Hieronymus De Viris illustribus c. 6, *qui et Joseph Levites, cum Paulo gentium apostolus ordinatus, unam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem Epistolam composuit, quae inter apocryphas scripturas legitur.* Hisce s. Hieronymus diserte testatur, s. Barnabae Apostoli exstare epistolam, quam in apocryphis scripturis ponit, quatenus haud in canone sacrorum librorum recensetur. Sed etiam antiquiores scriptores hujus epistolae mentionem faciunt eamque s. Barnabae attribunt. Sane Clemens Alexandrinus pluribus locis hanc epistolam commemorat, quaedam ex ea citat, ac s. Barnabae Apostolo diserte eam adscribit. Ita e. g. Stromatum L. V. c. 10: *Quin etiam Barnabas, qui et ipse praedicavit verbum una cum Apostolo in ministerio gentium:*

Simplicius, inquit, vobis scribo, ut intelligatis. Praeceptorem suum secutus est Origenes, eamdem epistolam sub nomine s. Barnabae identidem allegans. Sic e. g.: *Scriptum porro est*, ait, *in Barnabae catholica epistola* (c. 5), *Apostolos a Jesu fuisse electos qui improbi erant ut nulli magis.*[1]) Eusebius hujus epistolae Barnabae, H. E. L. III. c. 25 meminit, necnon L. VI. cc. 13 et 14. Dum vero τοῖς νόθοις vel τοῖς ἀντιλογομένοις eam adcenset, nihil aliud significat, nisi eam inter libros Scripturae sacrae non recenseri.

Codices varii et editiones.

Exstabant quinque Codices, in quibus epistola graece, sed mutila habebatur, ac praeterea Codex primum Corbeji, nunc Petropoli asservatus, in quo antiqua versio latina integra inveniebatur. Juxta hos Codices plures editiones prodierunt. Prelo epistolam hanc una cum Ignatii epistolis primus subjecit Jacobus Usher archiepiscopus Armachanus, Oxonii 1643. Sed cum ingens incendium, quod non exiguam urbis partem vastavit, omnia illius editionis exemplaria absumpsisset, editio quam Hugo Menard, monachus Congregationis s. Mauri, vel post ejus mortem Fr. Lucas Dachery, ejusdem Congregationis monachus, a. 1645 Parisiis instituit, prima est quae ad nos pervenit; aliae usque ad dies nostros secutae sunt. Anno 1859 demum Constantin. de Tischendorf in monasterio s. Catharinae, sito in monte Sinai, textum graecum integrum invenit in Codice, qui *praeter multos V. T. libros Novum Testamentum continet totum, nulla lacuna deformatum, auctum vero etiam epistola Barnabae ac priore Pastoris parte,* et a. 1862 editione illius Codicis eum publici juris fecit. Ita in ultimis editionibus epistolae Barnabae integer hic textus graecus usui fuit. Etiam codex ille a Philotheo Bryennio a. 1875 Constantinopoli inventus Barnabae epistolam continet. Habebat Bryennius in animo hanc quoque typis evulgare, id tamen nondum perfecit. Sed a.

---

[1]) Contra Celsum L. I. n. 63. Vid. varia testimonia ap. Migne, P. G. t. II. col. 647 sqq.

1876 Codicis accuratam collationem misit Adolpho Hilgenfeld, qui ea in epistola denuo edenda (Lipsiae 1877) usus est. Secundum varios illos Codices dein Funk in sua Patrum Apostolicorum editione Barnabae epistolam a. 1878 imprimi curavit, latinamque versionem addidit, quae tum ipsius est (1—5, 6), tum Coteleriana, ab Hefele, Gebhardt et Funk passim correcta.[1])

Quaestio de genuinitate.

Veteres, uti ex dictis colligitur, epistolam Barnabae authenticam habuere, neque medio aevo quemquam aliter judicasse constat. Ac profecto testimonia illa scriptorum veterum, Clementis Alex., Origenis, Eusebii, Hieronymi, grave argumentum pro authentia hujus epistolae constituunt; quamvis non sit peremptorium, quum Clemens et Origenes et alia scripta spuria pro genuinis acceperint. Inter recentiores scriptores acris controversia est de genuinitate epistolae s. Barnabae. Genuinam eam habent varii auctores, uti Is. Voss, El. Dupin, Cave, Le Nourry, Gallandi, Rosenmüller, Gieseler, Möhler, Alzog, Freppel, Nirschl; alii vero scriptores graves, uti Natalis Alexander, Ceillier, Hefele, Braunsberger, Funk, impugnant hujus epistolae genuinitatem. Antiquissimam tamen epistolam habent, eamque initio saeculi secundi a Christiano originis judaicae, cui forte et Barnabae nomen fuerit, scriptam esse existimant.

De quaestione hac difficili, nostris diebus iterum agitata, aliquanto fusius agamus. — Advertunt igitur imprimis, non intelligi, quomodo haec epistola, si s. Barnabae Apostoli esset, haud fuerit recepta in Scripturae sacrae canonem. — Sed haec difficultas revera vim non habet. Etenim ex apostolatu s. Barnabae per se non sequitur, ea quae scripserit a Spiritu sancto inspirata fuisse, quae inspiratio requiritur, ut sacrae Scripturae aliquod scriptum accensendum sit. Advertere etiam juvat, non ejusdem plane gradus haberi s. Barnabae apostolatum atque illum duodecim Apostolorum et s. Pauli. — Alia difficultas inde petitur, quod ex c. 16 epistolae pateat,

[1]) Vid. Funk l. c. p. XI sqq.

An genuina epistola s. Barnabae.

templum Hierosolymitanum quo tempore epistola scripta est, jam destructum fuisse. *Nam quia bellum gesserunt*, dicitur, *destructum est templum.* Sed Barnabas ante a. 70 perhibetur defunctus esse. At respondetur, de tempore mortis s. Barnabae nihil certi traditum esse; Mazocchius, qui de vita s. Barnabae fusius scripsit, nonnisi anno 76 eum obiisse censet eamque opinionem et alii tenent. Haec igitur objectio facile declinari potest.

Graviores sunt aliae quaedam difficultates. Est videlicet, inquiunt, auctor totus in allegorica veterum rituum expositione eaque admodum singulari; fabulae enim incredibiles de natura quorumdam animalium allegoriis illis inserviunt. Assertiones porro duriores et iniquae de veteri Testamento, imo de ipsis Apostolis in hac epistola occurrunt. Huc pertinent illa quae de Apostolis habentur c. 5, 9: *Cum autem Apostolos suos ipsius evangelium praedicaturos eligeret, homines omni peccato iniquiores, ut ostenderet, se non venisse vocare justos, sed peccatores, tunc palam fecit, se esse filium Dei.* — Et c. 9, 4 sqq.: *Sed et circumcisio in qua illi confidebant, abrogata est. Dixit enim Dominus, circumcisionem non carnis esse faciendam; illi autem praeceptum transgressi sunt, quia malus angelus decipiebat eos. Ait ad eos: Haec dicit Dominus Deus vester (hic invenio mandatum): Nolite serere super spinas, circumcidimini Domino vestro. Et quid dicit? Circumcidite duritiem cordis vestri, et cervicem vestram ne indurate. . . . At inquies: Et vero ille populus in signum foederis circumcisus est. Verum et omnis Syrus et Arabs et omnes sacerdotes idolorum. Ergo pertinent illi quoque ad Domini testamentum. Sed et Aegyptii circumcisionem usurpant. Discite igitur, filii dilectionis, de omnibus abunde, quod Abraham, qui primus dedit circumcisionem, in spiritu prospiciens in Jesum circumcidit, accepta trium litterarum doctrina. Narrat enim Scriptura: Et circumcidit Abraham e domo sua decem et octo et trecentos viros. Quae ergo illi in hoc data est cognitio? Discite, quod primum decem et octo, et distinctione facta, dicit trecentos. Decem et octo sunt ιή; habes Jesum: Quia vero crux in littera T gratiam erat signatura,*

ait etiam trecentos. Ostendit itaque Jesum in duabus litteris et crucem in tertia. Scit hoc, qui insitum donum doctrinae suae posuit in nobis. Nemo magis germanum a me accepit sermonem; sed scio, vos dignos esse. — Dein c. 10 praecepta de escis sensu spirituali exponit, sed modo qui mirus videri possit. *Quodsi autem*, scribit, *Moses dixit: Non manducabitis suem neque aquilam neque corvum nec ullum piscem qui non habeat squammam, tria dogmata in intellectu comprehendit. Porro ait illis Dominus in Deuteronomio: Et disponam ad populum hunc praecepta mea. Non est ergo mandatum Dei, ne manducent, sed Moses in spiritu locutus est. Suem ergo in hoc sensu dixit: non adhaerebis, inquit, hominibus talibus, qui similes sunt porcis; scilicet qui, cum in deliciis vivunt Domini obliviscuntur; dum autem destituuntur necessariis, Dominum agnoscunt, sicut et porcus, quando comedit dominum non novit, quando autem esurit, clamat, et accepta esca iterum tacet.* — Porro aquilae et accipitris interdictionem refert ad consortium cum rapacibus; ad consortium cum *perpetuo impiis* interdictionem murenae et polypi, quatenus *isti pisciculi soli maledicti in profundo volutantur nec ut reliqui pisces emergunt, sed in terra quae in profundo maris est degunt.* Ad consortium cum impuris refert prohibitionem leporis, hyaenae et mustelae, de quibus animalibus fabulosa adducit, ob quae cum impuritate analogias habent. Ita de hyaena: *Istud animal annuatim sexum mutat, et modo mas, modo femina est;* de mustela vero: *Animal enim illud ore concipit.* Dein: *De escis igitur*, scribit, *tribus decretis acceptis Moses ita in spiritu locutus est; illi vero juxta carnis cupiditatem acceperunt, quasi de cibo simpliciter egisset.* — Demum ait, Judaeos statim perdidisse testamentum a Mose jam acceptum, quum ad idola se vertissent. *At illi sic in perpetuum perdiderunt testamentum a Mose jam acceptum. . . . Et intellexit Moses et projecit duas tabulas de manibus suis, et confractum est testamentum eorum, ut testamentum dilecti Jesu in corde nostro consignaretur in spe fidei ipsius.* (Cf. IV. 7. cf. C. XIV.).

Au genuina epistola s. Barnabae.

An genuina epistola s. Barnabae.

Hisce itaque difficultatibus internis non pauci moventur, ut existiment, s. Barnabum Apostolum hujus epistolae auctorem non esse. Sed alii auctores graves censent, solidam objectionem nullam ex his deduci posse, aptisque explicationibus ea dilui. Atque imprimis appareret, antiquis, uti Clementi Alexandrino, Origeni, Hieronymo haec non talia visa fuisse, ob quae epistola s. Barnabae abjudicanda foret; imo nullam in his videntur invenisse difficultatem. Dum auctor epistolae dicit, electos a Christo Apostolos fuisse omni peccato iniquiores, videtur prae oculis habere s. Paulum, qui se maximum peccatorem dicit et persecutorem Christi. Verba porro hyperbolice accipienda sunt et satis verificantur, si sensu mitigato uni alterive Apostolo, uti ss. Paulo et Matthaeo, applicari possunt.

Nec deest responsio ad ea, quae de ritibus veteris Foederis duriori ratione Barnabas videtur asserere. Haec enim non sensu absoluto, sed relativo accipienda sunt. Totus videlicet Barnabas in eo est, ut doceat, ritus externos per se sine spirituali eorum significatione nihil valere, atque ex spirituali ista significatione eos aestimandos esse; Judaeos vero vehementius arguit, quod propter cordis sui perversitatem illico se foedere divino indignos reddiderint. Quae de circumcisione dicit non ita accipienda sunt, ac si corporalem circumcisionem rejiciat, sed arguit Judaeos quod cordis circumcisionem neglexerint. Hinc sola materiali circumcisione foedus cum Domino constitui negat, quum etiam Arabes et Syri et idolorum sacerdotes circumcidantur.

Nova tamen difficultas oritur ex eo, quod de circumcisione Syrorum dicit. Videtur enim Josephus Antiquit. L. VIII. c. X. n. 3 indicare, Syros non circumcidi. Citato enim textu Herodoti (Euterpe c. 104): „Phoenices et Syrii, qui sunt in Palaestina, didicisse id (circumcisionem ab Aegyptiis et ipsi confitentur"; *caeterum constat,* addit Josephus, *quod nulli alii circumcidantur in Palaestina Syri praeterquam nos* (*τῶν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ Σύρων οἱ μόνοι ἡμεῖς*). Unde ex Josepho Syri, praeter Judaeos, non circumcide-

bantur. Quomodo id nescivit Barnabas, qui in Syria diu versatus est? — Forte tamen ex verbis Josephi inferri nequit, Syros *extra Palaestinam* haud usos esse circumcisione; imo potuit ipse Josephus errare. Communiter enim ex antiquorum testimoniis admittitur, usum circumcisionis, praeter Judaeos, tenuisse Aegyptios, Aethiopes, Colchos, Troglodytas, Phoenices, Syros, Macrones [1])

An genuina epistola s. Barnabae.

Quod porro attinet ad allegoricam expositionem exaggeratam, quae tali extensione suscepta, aliena dicitur esse a gravi simplicitate Apostoli, haud tanti facienda est haec difficultas. Quum enim allegorias esse in V. T. ex s. Pauli epistolis constet, non repugnat, s. Barnabam amplissima applicatione ea interpretatione usum esse. Potuit vero eam interpretationem proponere non ut expositionem omnino peremptoriam, sed ut explicationem opportunam imprimis iis quibus epistola destinata erat. Christiani enim ex Judaeis conversi passim expositionem allegoricam, quam maxime Philo inter Judaeos promoverat, uti spiritualem et subtilem adamabant et quaerebant. Unde et Barnabas potuit se ipsis accommodare, ostendens etiam christiano doctori obviam esse talem Veteris Testamenti expositionem.[2]) Fabulosa autem illa quae historiam naturalem quorumdam animalium spectant, ea aetate habebantur ut vera; haud mirum igitur est, in expositione allegorica s. Barnabae talia occurrere. — Dum vero auctor dicit, Testamentum deperditum esse confractis a Mose tabulis legis, eo quod Judaei illo indignos se ostenderint; haec non ita intelligenda sunt, ac si neget, unquam apud Judaeos Testamentum fuisse. Satis enim ex epistola elucet auctorem asserere, a Judaeis spiritualibus qui *γνώσιν* habebant, uti a Davide legis praescripta pro sua indole spirituali et prophetica intellecta fuisse, adeoque etiam admittit, legem et testamentum revera perstitisse. Sed effata illa explicanda sunt secundum indolem epistolae

---

[1]) V. Patritii dissert. in Evang. L. III. Diss. XII. n. 11.
[2]) Cfr. Alzog, Patrol. §. 13.

An genuina epistola s. Barnabae.

ita, ut auctor allegoriam quamdam in eo esse doceat, quod tabulae legis mox a Mose confractae sint. Significabatur videlicet, Judaeos *carnales* testamenti non esse participes, illudque, quum totum suum valorem habeat in prophetica relatione ad Christum, ad Christianos potius pertinere, ad eosque a Judaeis transiisse. Ipsa effractio tabularum ei figura est, qua praesignabatur, foedus cum Judaeis initum non fore perpetuum, sed cedere novo foederi cum fidelibus Christianis.

Ob rationes allatas satis firma videntur argumenta pro genuinitate hujus epistolae, etsi non omne dubium removeatur. Etenim argumenta externa pro epistolae genuinitate peremptoria non sunt; difficultates autem variae internae possunt quidem modo exposito satis dilui, non tamen stricta quadam ratione penitus semoveri.[1]) — Aliqui scriptores, uti Clericus et Schenkel, opinati sunt, interpolatam fuisse epistolam. Schenkel statuit capita 1—6 et 13—14 quidem a Barnaba originem traxisse; reliqua autem (7—12 et 15—21) quae allegoriis abundant, a Therapeuta quodam adjecta esse. Similia nuperrime (a. 1874) Heydecker contendit. Sed hanc sententiam Ill. Hefele et Fr. X. Funk solide refutarunt. — Quoad quaestionem autem, quid de epistola censendum sit, si Barnabae abjudicatur, habes haec apud Funk: „Sin autem quaeras, quis epistolam a Barnaba non confectam, et quando, scripserit, respondeo, Christianum Alexandrinum saeculo primo exeunte eam exarasse. Alexandrinum prodit interpretatio Veteris Testamenti allegorica et creber epistolae usus apud Alexandrinos, finem saeculi caput quartum. Laudat enim

---

[1]) In prima hujus Operis editione scribit Ill. Fessler de hac Epistola: „Stylum revera majestate Apostolica dignum materiamque nascentis Ecclesiae rebus accommodatam non modo sapit, sed ingerit etiam clementioribus lectorum judiciis, ita, ut profecto de sua cum caeterorum Apostolorum scriptis comparatione suffragium secundum sperare debeat, et quamvis forsan non plena et indubitata Patris Apostolici *auctoritate* polleat, ex *antiquitate* tamen et *veteris Ecclesiae existimatione* haud exiguum robur acquirat.“ T. I. p. 184.

Barnabas hoc loco Danielem prophetantem, decem reges regnatores vel decem cornua exortura, et postea (ὄπισθεν) parvum regem vel cornu exsurrecturum ac tres ex illis simul (ἐφ' ἓν) humiliaturum esse, et prophetiam suo tempore impletam esse satis clare indicat."[1]) Haec in Nervam vel Vespasianum aptari, scriptor censet; alii auctores, ut Hefele, versus annum 120 epistolam confectam esse existimant.

§. 42.

Argumentum hujus Epistolae.

Indoles Epistolae s. Barnabae.

Scripta est, ut tota orationis series docet, ad Christianos ex Judaeis conversos, tenaces nimium antiquae legis, caeterum arctiori sibi vinculo junctos. Cum enim eorum quidam legem Mosaicam una cum Evangelio retinendam esse putarent, Barnabas eorum doctrinam hac epistola convellere aggreditur, docens multis Scripturae locis ac figuris legem Moysis jam abrogatam esse eique Evangelium successisse. Tota vero epistola in *duas partes* dividitur, quarum prior est didactica, altera paraenetica. Itaque in *priori* parte (c. 1—17) auctor hujus epistolae praemissa eorum ad quos scribit brevi salutatione, laudat illorum fidem, caritatem, aliaque quibus repleti erant Spiritus sancti dona, ac profitetur, ideo se animum ad scribendum adpulisse, ut fidem illorum atque scientiam (πίστις-γνῶσις) perfectiorem redderet, eisque ostenderet, Deum ideo prophetas suo spiritu afflasse, ut Foedus novum per Incarnationem Filii sui inchoandum omnibus praenuntiarent. Jamvero ipsum argumentum aggressus demonstrat, legem Mosaicam, cujus utique littera olim Judaeos obstrinxit, cujus vero etiam tunc observatio eatenus tantum Deo placuit, quatenus illius factores etiam spiritum legis penetrabant et attendebant, in Novo Foedere esse abrogatam quoad litteram, non vero quoad spiritum, quem ipse Deus in lege Mosaica reconditum esse voluit. Et hac ratione docet, sacrificia et jejunia Veteris Legis esse abolita (c. 2, 3). Legem

[1]) L. c., p. IV.

Indoles Epistolae s. Barnabae.

vero Mosis rescissam esse monet ideo, ut perfectior lex Evangelii succederet, quam egregie delineat (c. 4). Tota enim Lex vetus Judaeis quidem annuntiavit Messiam venturum, nobis vero, si spiritum ejus penetravimus, praecepta recte vivendi tradit. Sic prophetae Messiae passionem et mortem praedixerunt (c. 5—5); ritusque et caeremoniae Veteris Legis praesertim die propitiationis observanda, praefigurabant eamdem passionem et mortem, quibus redemptio generis humani peracta fuit (c. 7—8). Tum vero explicatur spiritus legum veterum de circumcisione et de cibis in legislatione Mosaica vetitis ac permissis (c. 9—10), maxime ad nostros mores formandos. Dein ostendit, qua ratione baptismus et crux Christi, unde omnis baptismi virtus manavit, in Veteri Testamento praesignata fuerint (c. 11). Ille autem qui in cruce mortuus est, et morte sua nos redemit, verus est Deus, qui cum Christianis proprie, non cum Judaeis foedus suum pepigit (c. 12—14). Denique etiam ostendit, legem de Sabbati celebratione altioris esse spiritus, templumque Hierosolymitanum idcirco absque ulla spe restaurationis fuisse destructum, novumque in mentibus Christianorum exsurgere templum Deo placitum atque perpetuum (c. 15—17). — In parte *secunda* praeclara et utilia monita salutis et praecepta dantur; duas ibi ostendit auctor epistolae esse hominum vias, unam, quae via lucis dicitur, cui angeli boni praesunt, alteram viam tenebrarum, quae subest angelis satanae. Eas porro explanando palam facit, quid homo christianus agere, quid fugere debeat, ut ad futuram resurrectionem et retributionem feliciter perveniat.

§. 43.

De Hermae Pastore.

Fontes et Subsidia.

Fontes. Irenaeus L. IV. c. 20. — Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus saepius, quorum Testimonia vide ap. Gallandi T. I.; Migne P. G. T. II. p. 819; Funk Pat. Apost. T. I. p. CIX sqq. — Fragmentum Muratorianum (v. Funk l. c.). — Eusebius H. E. L. III. c. 3. n. 6., c. 25. n. 4. — S. Athanasius, De incarn. Verbi c. 3; de decretis Nic. c. 18; epist. 39. — S. Hieronymus de viris illustr. c. 10.

Subsidia. Cotelerius de s. Hermae Pastore (in Opp. Patrum Apostol. Vol. I.) — Gallandi Bibliotheca T. I. Prolegom. c. 2 — Migne, P. G. T. II. Proleg. ad Hermam. — Lumper P. I. Sect. II. — Sprenger Saec. I. Diss. 4. (ex N. le Nourry T. I. Diss. IV.). — Funk PP. Apost. T. I. Prolegomena p. CIX sqq. — Tillemont Mém. T. II. — Ceillier T. II. — Freppel, Les Pères Apostoliques, Leç. XII—XV. — Nirschl, Der Hirte des Hermas, Passau 1879. — Brüll, Der Hirt des Hermas, Freiburg, 1882. — Cfr. Chevalier s. v. Hermas.

Testimonia de Hermae Pastore.

Hermam, scribit s. Hieronymus, *cujus Apostolus Paulus ad Romanos* (16, 14) *scribens meminit: „Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen et qui cum eis fratres sunt", asserunt auctorem esse libri qui appellatur Pastor, et apud quasdam Graeciae ecclesias jam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo scriptorum veterum usurpavere testimonia, sed apud Latinos paene ignotus est.*[1]) Eusebius vero tum alias, tum praecipue H. E. L. III. c. 3., de Herma ejusque *Pastore* loquitur. *Quoniam vero,* scribit, *Apostolus Paulus in salutationibus illis quae sub finem epistolae ad Romanos leguntur, inter caeteros mentionem fecit etiam Hermae, cujus esse fertur liber Pastoris, sciendum est, eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum, ob quos inter receptae auctoritatis libros poni non potest; ab aliis vero maxime necessarius, iis praesertim qui introductoria ad religionem indigent institutione, judicatus est; unde etiam in ecclesiis eum publice lectum scimus, et quosdam vetustissimis scriptoribus testimonio ipsius, usos esse comperi.* — Origenes passim magna cum veneratione de Hermae *Pastore* loquitur, auctorem putat Hermam a s. Paulo commemoratum, et scriptura ei videtur valde utilis, imo divinitus inspirata.[2]) Etiam Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex. auctorem Apostolis coaevum habuisse videntur; tamen certo modo nec ab ipsis nec ab auctoribus jam citatis hoc asseritur. Apparet, in ecclesiis saeculi secundi exeuntis librum maximi aestimatum, in nonnullis saltem inter sacras Scripturas recensitum vel

[1]) De viris illustr. c. 10.

[2]) Explanat. Epist. ad Rom. L. X. — Cfr. varia testimonia apud Migne, P. G., t. II. col. 819 sqq.

Testimonia de Hermae Pastore.

potius Scripturis prophetarum et apostolorum instar epistolarum Barnabae et Clementis Rom. adjectum fuisse.[1])

In fragmento autem quod Muratorianum dicitur, cujus auctor circa a. 180 haud procul ab Urbe scripsit, de *Pastore* haec habentur: *Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in Urbe Roma Herma conscripsit sedente cathedra Urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre ejus; et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo neque inter prophetas completum* (l. completos) *numero neque inter apostolos in fine temporum potest.* Lectionem igitur libri quidem concedit, sed e canone eum excludit. — In catalogo Liberiano pariter temporibus Pii (139—154) ejusque fratri ut auctori liber tribuitur. Sic enim habet Catalogus: *Sub hujus episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei praecepit angelus, cum venit ad illum in habitu pastoris.*[2]) Haud quidem certo constat, unde ista desumpta fuerint; probabile tamen est, ex chronico deperdito s. Hippolyti, qui initio saeculi tertii floruit, eadem deprompta esse. — Haec igitur sunt argumenta gravia, revera *Pastorem* Romae mediante saeculo secundo a fratre Pii I exaratum esse.

Praeterea advertendum est, quum variis antiquorum testimoniis Hermae *Pastor* multum commendetur, tamen non deesse etiam quaedam Patrum effata, quibus minorem auctoritatem libro adscribunt. Ita Origenes, quamvis ipse maximi faciat *Pastorem*, refert tamen eum a nonnullis contemni (De Princip. IV. c. 11), et eum laudans quater addit: *Si cui tamen placeat eum legere vel recipere.* Tertullianus adhuc catholicus librum quidem *scripturam* appellat (de Orat. c. 16); sed Montanista factus *Pastorem* vehementer impugnans contendit, librum ab omni concilio ecclesiarum, etiam catholicarum, inter apocrypha et falsa judicari (de Pudic. c. 10). Sed exaggerata haec esse, ex ipso Tertulliano eruitur, quum inferius (c. 20) epistolam Barnabae *receptiorem* apud ecclesias nominet illo libro. Erat igitur liber apud quasdam saltem ecclesias receptus;

---

[1]) V. Funk, l. c. p. CIX. [2]) Lib. Pont. ed. Duchesne T. I. p. 5.

probabile est, eo tempore multas ecclesias decrevisse, ut non publice inter libros sacros legeretur, uti auctor fragmenti Muratoriani etiam commendat. Porro s. Hieronymus (Praef. in libr. Sam. et Malach.) *Pastorem* inter apocrypha ponit. Ita quidem per se tantum non in canonem librum admittit, sed alibi etiam stultitiae eum condemnat. Scilicet in *Pastore* Visione IV. n. 2 Pastor dicit Hermae: *Propterea Dominus misit angelum suum qui super bestias est, cujus nomen est Tegri, et clausit os ejus* (bestiae), *ne te consumeret.* Ad haec alludens Hieronymus, qui in suo codice nomen Tyri invenerat, scribit in Habac. 1, 14: *Ex quo liber ille apocryphus stultitiae condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam angelum nomine Tyri praeesse reptilibus.* Commentario in Osee 7, 9 citat quidem librum *Pastoris*, sed addit: *si cui tamen placet illius recipere lectionem;* in *Catalogo* autem *Scriptorum* c. 10 librum apud Latinos paene ignotum esse asserit. — Quum Cassianus ad doctrinam suam confirmandam textum *Pastoris* (Mand. VI. c. 2) allegasset (Collat. VIII. 17 et XIII. 12), s. Prosper ei reposuit, nullius auctoritatis esse testimonium, quod disputationi suae de libello *Pastoris* inseruerit (Contr. Collat. c. 30). In Decreto denique Gelasiano *Pastor* commemoratur inter libros apocryphos qui non recipiuntur. Eo loco istis verbis significatur non solum, haud esse in canone Scripturarum, sed saltem id quoque, non in omnibus librum Ecclesiae probari. Qua in re apprime Bellarminus: „Quamvis autem hic liber multa utilia habeat, ut sanctus Hieronymus scribit, habet tamen etiam aliqua noxia, ut de unica poenitentia secundum errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur: ut etiam illud de duobus geniis, sive de duobus angelis uno bono et altero malo, singulis hominibus a Deo tributis, quem errorem ex hoc auctore accepit Jo. Cassianus“[1]) Testimonia de Hermae Pastore.

Inter viros doctos qui praecedente tempore de *Pastore* Hermae egerunt, plerique *Hermam apostolicum auctorem* habuerunt; eamque sententiam Ceillier ab omnibus paene teneri advertit.[2]) Postquam vero versus a. 1740 fragmen- Quis auctor Pastoris.

[1]) Bellarmin. De Scriptor. eccles. [2]) Hist. gen. III. c. 9. a. 1. n. 1.

Quis auctor Pastoris.

tum Muratorianum publicatum est, divisi sunt auctores: alii sententiam priorem retinuere ac vindicare studuerunt, uti Gallandi, Lumper et hoc tempore cl. Nirschl. Alii adhaeserunt assertioni, illius documenti, scilicet Pii I temporibus ab ejus fratre librum conscriptum fuisse. Quidam porro, inter quos Zahn et Peters, tertiam sententiam adoptarunt, scilicet neque ab Herma apostolico neque a fratre Pii I conscriptum esse *Pastorem*, sed a tertio quodam Herma, qui fuerit aequalis Clementis Pontificis, librum esse confectum. Secundae sententiae, quam etiam Ill. Hefele et Funk defendunt, prae caeteris adhaerendum esse existimo. Designatur quidem in libro tempus Clementis, quum Vis. II. c. 4 dicatur: *Cum ergo finiero omnia verba, per te nota fient electis omnibus. Scribas igitur duos libellos et mittes unum Clementi et unum Graptae. Mittet ergo Clemens in exteras civitates; illi enim mandatum est; Grapte autem monebit viduas et orphanos. Tu autem leges in ista civitate cum presbyteris, qui praesunt ecclesiae.* — Sed fictitia haec esse videntur. Ac generatim in eam inclinamus opinionem, visiones ac mandata ab angelo data auctori supposito Hermae, non esse eventus veros, sed scriptorem opus ea forma composuisse arte quadam pia, ut veritates magni momenti fidelibus proponeret et inculcaret. Unde ea quoque, quae Hermas de se ac de sua vita atque de familia passim dicit, certa non sunt; neque constat certo nomen auctoris fratrisque Pii I fuisse Hermas, fortasse enim scriptor Fragmenti Muratoriani hoc nomen fratri Pii dare voluit, quia auctor *Pastoris* in hoc opere se Hermam appellat.[1])

[1]) Si Hermas Apostolorum discipulus, qui commemoratur in epistola ad Romanos scripta c. a. 53, auctor libri esset, is tempore Clementis Pontificis c a. 96 certe ultra sexaginta annos habuisset. Sed parum favent suppositioni ejusmodi senectutis auctoris plura quae in libro occurrunt. Potius ut vir aetatis mediae in eo exhibetur. Unde si scripserit auctor revera tempore Clementis, alius ab Herma illo Apostolorum discipulo censendus esset. Sed affirmatio illa peremptoria auctoris fragmenti Muratoriani permagni ponderis est, et ea quae afferuntur ut explicetur vel infirmetur vim adeo magnam non habent. (Cfr. haec ap. Nirschl Patrol. l. pp. 84 sqq. et Funk l. c. p. CXVII.).

Pastor nunc praeter *textum graecum*, in *duabus versionibus latinis* et in *versione aethiopica* exstat. Per longum autem tempus versio latina prior vel vulgata sola nota fuit. Primus eam typis expressit Jac. Faber Stapulensis[1]); posteriores editionem emendarunt.[2]) Haec vulgata versio brevi post Hermae tempus confecta est; nam Tertullianus jam prodit exstare versionem latinam dum librum *Pastoris* titulo (de Orat. c. 16) designat, eaque etiam saec. III exeunte vel saec. VI Pseudo-Cyprianus *de aleatoribus* c. 4 usus est. — Altera versio latina codice uno saeculi XIV conservata est, codice scilicet Palatino nunc Vaticano, et ideo Palatina dicitur. Saeculo V in Gallia confecta videtur; auctori Vitae s. Genovefae (c. a. 530) jam nota erat. Nostro tempore eam primum edidit Dressel. — Versio aethiopica asservatur in monasterio Aethiopiae cui nomen est Guindaguinde; quod quum a. 1847 comperisset cl. vir Antonius d'Abbadie, qui tunc in Aethiopia versabatur, librum accuratissime exscribi curavit. Versionem hanc a. 1860 edidit, adjecta fideli interpretatione latina.[3]) Versio Aethiopica ex textu graeco facta esse censetur. — Textus graecus in duobus codicibus exstat. Alter olim in monasterio montis Athos asservatus est, et pars etiamnum asservari videtur. Tria ejus folia et apographum plurium partium emit Bibliotheca Lipsiensis a Constantino Simonide viro graeco, qui primum quidem vendito apographo haud genuino viros eruditos decipere visus, dein tamen adactus est, ut apographum authenticum traderet[4]). Alter est Codex Sinaiticus a Tischendorfio inventus, qui partem priorem Pastoris exhibet. — Optimam

Textus, versiones, editiones.

Hinc praehabenda videtur sententia quae illi auctori medii saeculi secundi *Pastorem* adscribit. — Alteram tamen in 1ª editione hujus Operis cl. Fessler praefert.

[1]) Liber trium virorum et trium spiritualium virginum. Parisiis 1513. [2]) Funk, l. c. p. CXXV.

[3]) Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes II. 1860. N. 1.

[4]) Quae adhuc deerant (Sim. IX, 3 — 33 et Sim. X) Simonides etiam a. 1859 graece edidit. Sed valde probabile est, haec non esse genuina. Cf. Funk, Tüb. Quartalschrift 1888. I. p. 51 sqq.

editionem variis codicibus et lectionibus collatis cl. Funk curavit nostris diebus.

§. 44.

Argumentum hujus Operis.

Argumentum Pastoris.

Opus inscribitur *Pastor*, eo quod apparuisse sibi angelum habitu pastorali indutum scribit auctor, albo pallio amictum, peram in humeris virgamque in manu gestantem, a quo monita in scriptis suis relata se accepisse affirmat (Lib. II. Prooem.). Totum vero opus tribus partibus seu libris absolvitur, quorum primus continet *Visiones* quatuor, alter *Mandata* duodecim, tertius *Similitudines* decem. — Visione *prima* et *secunda* a matrona quae ei apparet repraesentans Ecclesiam, vehementer increpatur Hermas, ob malas cogitationes admissas et ob negligentiam in coërcendis corrigendisque peccatis uxoris suae et filiorum: illique declaratur, quid ad veniam obtinendam agere debeant, ubi de poenitentia, innocentia et simplicitudine fit sermo. Visione *tertia* eadem mulier turrim, quae aedificatur ex multis variisque lapidibus, Hermae ostendit, eique pereleganter omnem hujus turris structuram describit, ac demum aperit, qua ratione haec turris figura sit Ecclesiae. Visione *quarta* Hermas conspicit belluam horrendam, eamque pressurae et tribulationis Sanctis superventurae figuram esse, a virgine speciosa, quae Ecclesiam figurabat, discit, simulque ab ea edocetur, qua ratione bellua ista superari possit.

Pastoris liber primus.

Pastoris liber secundus.

Libro secundo et tertio angelus habitu pastoris apparens Hermae loquitur. — Libro *secundo* de variis virtutibus et vitiis agitur, commendatur fides in unum Deum, timor Dei, abstinentia ac concupiscentiae expulsio, simplicitas atque innocentia; monetur de fugienda obtrectatione et detractione, inculcatur beneficentia erga pauperes (Mand. I et II). Porro veracitas commendatur, mendacium prohibetur (Mand. III). Dein angelus Hermae mandat, ut castitatem sollicite custodiat, et interroganti de uxore adultera dimittenda tam de matrimonii indissolubilitate, quam

de unica poenitentia quaedam memoratu digna tradit (Mand. IV). Quoad adulteram uxorem ita habetur: *Dico ei: Domine, permitte mihi, ut te pauca interrogem. Dic, inquit. Domine, inquam, si quis uxorem habet fidelem in Domino, eamque deprehendit in adulterio aliquo, numquid peccat vir, si convivit cum ea? Quamdiu nescit, inquit, non peccat; si autem vir peccatum ejus cognoverit, neque poenitentiam egerit mulier, sed permanet in fornicatione sua ac convivit vir cum ea, particeps fit peccati ejus et socius adulterii ejus. Quid igitur, inquam, domine, faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum; sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit* (c. 1. n. 4—7). — De poenitentia vero unica haec habentur difficilioris sane interpretationis: *Adhuc, inquam, domine, pergam interrogare. Loquere, inquit. Audivi, inquam, domine, a quibusdam doctoribus, aliam poenitentiam non esse nisi illam, cum in aquam descendimus et accepimus remissionem peccatorum nostrorum priorum. Dicit mihi: Recte audisti; sic enim res se habet. Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum, non amplius peccare, sed in castitate permanere. Quoniam autem omnia diligenter inquiris, hoc quoque tibi ostendam, non dans occasionem illis qui credituri sunt, aut qui modo crediderunt in Dominum. Qui enim nunc crediderunt aut credituri sunt, poenitentiam peccatorum non habent, remissionem autem habent priorum peccatorum suorum. Illis ergo, qui ante hos dies vocati sunt, Deus posuit poenitentiam. Cum enim corda noverit Dominus et omnia praeviderit, novit infirmitatem hominum et astutiam diaboli, quia malum aliquod faciet servis Dei et inique aget adversus eos; cum ergo valde misericors sit Dominus, misertus est creaturae suae et poenitentiam istam statuit, et mihi potestas hujus poenitentiae data est. At ego tibi dico, inquit: post vocationem illam magnam*[1]) *et sanctam, si quis tentatus a diabolo peccaverit, unam poenitentiam habet. Sin autem subinde peccat*

Pastor de poenitentia.

[1]) Non videtur hic de baptismo loqui, sed de ipsa hac vocatione per angelum poenitentiae.

Pastor de poenitentia.

et poenitentiam agit, non prodest homini ejusmodi; difficile enim vivet.[1]) *Dico ei: Animus mihi rediit, ubi haec a te tam accurate audivi; scio enim, fore ut salvus fiam, si postea non adjecero peccatis meis. Salvus eris, inquit, et omnes quotquot haec fecerint* (c. 3. n. 3).

Hic de poenitentiae locus variis controversiis occasionem dedit; obscurior enim revera est. Vidimus, jam Bellarminum severius haec notasse. Etiam Funk: „Hermas igitur (l. c., c. 3. n. 1) affirmat, poenitentiam vel remissionem peccatorum praeter vel post baptismum non esse neque esse concedendum iis, qui nunc vel deinde crediturі sunt. Infra (v. 4—6) autem addit, iis qui ante hos dies vocati sint, Deum misericordem poenitentiam dedisse et quidem unam".[2]) Attamen multi auctores benigne hunc locum interpretantur. Ita Lumper: „Valde terribile est, inquit, quod tradit Pastor circa poenitentiam. Domine, dicit ei Hermas, audivi a quibusdam doctoribus etc. Hoc verum utique est, respondet ei Pastor, recte audisti; sed postea ei demonstrat, baptismum non esse proprie poenitentiam, sed remissionem et poenitentiam non esse, nisi pro iis, qui postquam vocati sunt et inter fideles cooptati, a diabolo tentati peccaverunt. Et ideo dico tibi, prosequitur Pastor, quod post vocationem illam magnam et sanctam . . . difficile enim vivet Deo; una enim, ait illi aliquanto superius, habetur tantummodo poenitentia pro servis Dei: *Servis enim Dei poenitentia una est.*[3]) Nullam difficultatem quoad dogma in his textibus adinvenio; at timoris et trepidationis argumentum inde sumant oportet ii omnes, qui ob frequentes relapsus valde dubiam red-

---

[1]) Cl. Hefele interpretatur: i. e. non in Ecclesiam est recipiendus et vix salutem consequetur.

[2]) L. c. p. 397 nota.

[3]) Haec Pastor dicit Hermae sup. Mand. IV, 1, 8 quum Hermas interroget, an uxor adultera quae poenitentiam egit a viro iterum recipienda sit. Respondet Pastor: „Imo, inquit, si vir eam non receperit, peccat, et magnum peccatum sibi contrahit; sed oportet recipiatur, qui peccavit ac poenitentiam agit, non vero saepe; servis enim Dei poenitentia una est."

dunt poenitentiam. Dixi proximo loco, nullam in his textibus haberi difficultatem quoad dogma; quia in postremo eorum *(servis enim Dei* etc.) sermo est de poenitentia publica, ut nullo negotio eruitur ex causa, ob quam Pastor illam phrasim adhibet; loquitur enim ibi de adulterii crimine, quo aliquis saepe inquinaretur; at Ecclesia multabat olim crimen hoc poenitentia publica, quae revera una vice tantum concedebatur. Quoad alium vero textum, nulla nec in ipso difficultas adinvenitur, etiamsi verum esset, Pastorem ibi loqui de poenitentia particulari; nam si res ad examen rigorose revocetur, auctor id solum tradere intendit, frequentes scilicet relapsus esse haud dubia indicia adversus falsam conversionem illorum peccatorum, quorum tota vita continuis texitur peccatis et confessionibus sibi invicem succedentibus. . . . Notandum est, Pastorem absolute non asserere, hominem non posse quolibet vitae suae tempore veram poenitentiam agere, et in amaritudine cordis sui et corde contrito ad Deum sese convertere, sed solum maximam praedicat difficultatem hujus conversionis in peccatoribus de quibus est sermo; *difficile vivet Deo,* quod indubium est. . . . Observat praeterea V. C. Cotelerius (in notis ad h. l.), quod primi Patres, dum unam promittunt dumtaxat poenitentiam, id oeconomiae causa scripserint; ut nimirum fideles eo magis efficerent cautos, sollicitos, innocentiae baptismatis servandae studiosos: ubi autem casus emerserit, expressis verbis iteratam etiam poenitentiam commendarunt. . . . Caeterum Hermas remissionem peccatorum omnium per veram poenitentiam toto fere opere suo tam clare, et ex instituto docuisse videtur, ut eum Tertullianus propterea *Pastorem moechorum* per calumniam appellaverit."[1]) Haec expositio quam ex Lumpero dedimus, sat consona esse videtur. Pastor de poenitentia.

Angelus dein de *patientia* sectanda et de ira expellenda Hermae praeclara dat monita (Mand. V). Ut autem

---

[1]) Lumper, de doctrina Hermae, T. I. pp. 127 sqq. (ap. Migne, P. G., t. II. p. 878).

Pastor de virtutibus.

mandata ei tradita prompto animo ac lubens exsequatur, edocetur ab angelo de duabus hominis viis ac de duobus angelis, bono uno, altero malo, cuivis homini additis, quorum diversos in homine effectus describit (Mand. VI). Tum *timor Dei*, qui et ipse duplex est, valde commendatur, diaboli vero timor exploditur (Mand. VII). Dein *abstinentia* a malis operibus praecipitur, dum e contrario bona opera sectari valde consulitur (Mand. VIII). Abhinc dubitationem animo pellendam esse jubet; fiducia praesertim adsit in oratione ad Deum fusa, cujus dotes, ut Deo placeat, accurate exhibentur (Mand. IX). Dubitationis vero et iracundiae soror *tristitia* mala seu mundana longe abjiciatur, cujus proinde nexum cum istis duabus et pessimas sequelas exponit angelus; induatur vero hilaritas (Mand. X). Hinc jubetur spiritum terrestrem, qui a diabolo est, fugere, et Spiritui divino se adjungere, simulque regulae traduntur pro justa discretione spirituum. Porro duplicem cupiditatem pertractat; cupiditati malae resistere jubet angelus Hermam, ac contra docet, quomodo oporteat servire cupiditati bonae ac Deo placere; atque tandem ad pugnam cum diabolo ineundam eum instruit (Mand. XII).

Pastoris liber tertius.

Libro *tertio* iterum varia praecepta moralia traduntur usurpatis multis *similitudinibus*. Itaque similitudine duplicis civitatis praesentis atque futurae monet, ut animum a rebus terrenis hujus vitae et cupiditatibus terrestribus abstrahamus et ad coelestia desideria erigamus (Simil. I). Divites ad beneficentiam erga pauperes monentur similitudine ulmi et vitis (Simil. II). Porro justi et peccatores in hoc mundo comparantur arboribus aridis, iidem in futuro saeculo arboribus partim aridis, partim frondentibus, ut inde planum fiat, quod sicut arbor viridis ab arida non hieme, sed aestate distinguitur, ita homo justus ab injusto non in hoc mundo, sed in judicio extremo discernendus sit (Simil. III. IV). Deinde jejunii vera ratio explicatur, et qua ratione institui debeat, spiritu magis quam corpore ut Deo placeat, fuse disseritur, adjuncta similitudine servi fidelis, qui vineam Domini sui diligentius, quam

ei mandatum fuerat, coluit (Simil. V). Porro sub similitudine duplicis pastoris ac diversorum pecorum, quae ab illis pascuntur, hominum variae conditiones explicantur, sive eorum qui omnino a fide defecerunt, sive eorum qui in alia peccata graviora lapsi sunt, sive qui vitam poenitentem agunt: exponitur, quaenam sint voluptates noxiae, quaenam pro iis poenae infligantur, ac quamdiu istae durent. — Quoad hanc poenae durationem operae pretium est advertere quae angelus Hermae dicit. *Luxuriae*, inquit, *et voluptatis tempus est una hora; tormenti autem hora vim habet dierum triginta. Itaque quum quis unum diem luxuriae ac deliciis dederit, unum autem diem cruciatus fuerit, dies cruciatus totum annum valet.* (Diem computat 12 horarum). *Quot igitur dies luxuriatus quis fuerit, tot annos cruciatur. Vides ergo, inquit, tempus luxuriae ac voluptatis minimum esse, poenae vero ac tormenti multum* (Simil. VI. 4. 4).

Demum explicat angelus, quid sit serio poenitentiam agere; et subjungitur exhortatio ad poenitentiam, quae plurimum commendatur per similitudinem ramorum, qui hominibus porrecti fuere, quorum pro subsequente diversa istorum ramorum conditione admodum diversa erat sors finalis (Simil. VI. VII. VIII). Sequitur similitudo de duodecim montibus et de constructione turris, figuram Ecclesiae praeferentis, quam fusissime describit, et quidquid ad eam pertinet, singillatim Christianis, maxime vero poenitentibus applicando omnia, quae a singulis quibusque persolvenda sunt, religionis et pietatis officia explicat (Simil. IX). Concludens denique Pastor mandat Hermae, ut et ipse pergat agere poenitentiam et aliis eamdem peragendam inculcet; ut porro annuntiet *magnalia Dei*, et studio bonorum operum, praesertim beneficentiae in pauperes, sedulo et indesinenter incumbat (Simil. X).

Auctor cum visiones suas scribit se exhibet, uti in Italia haud procul ab urbe Roma viventem, quemadmodum ex variis locis colligitur.[1]) In suis Visionibus de-

[1]) L. I. Vis. I. c. 1., Vis. II. c. 1., Vis. IV. c. 1.

scribendis Hermam dixeris imitatum esse Zachariam prophetam; quin et opus suum tam singulari stylo exarasse existimatur, quod illum ad alliciendos movendosque hominum animos atque ad tradendam doctrinam suam aptissimum et efficacissimum judicaret. — Varia dogmata catholica ex Hermae Pastore confirmari, facile ex iis quae diximus colliges. Indissolubilitatem matrimonii, etiam in casu adulterii, ab ipso doceri, superius (p. 184) jam vidimus. — Opera autem supererogatoria Hermas hisce commendat: *Mandata Domini custodi, et eris acceptus Deo, et inscriberis in numero eorum, qui custodiunt mandata ejus. Si autem boni aliquid feceris praeter mandatum Domini, adquires tibi gloriam abundantiorem erisque gloriosior apud Deum, quam alias futurus esses* (Sim. V. 3. 2.).

§. 45.

Doctrina duodecim Apostolorum.

Fontes et Subsidia.

Fontes. Eusebius Histor. Eccles. Lib. III. 25. — S. Athanasius Epist. paschal. XXXIX (Migne, Patr. gr. T. 26, p. 1438). — Indiculus Scripturarum adnexus Quaestionibus et Responsionibus Anastasii Patr. Antiocheni (a. 599), ap. Cotelerium T. I. p. 196 (ed. Clerici). — Nicephorus Cptanus (a. 828) in Stichometria. — Auctor libri De aleatoribus c. IV. (inter Opp. s. Cypriani). — Varios porro scriptores antiquos qui Doctrina duodecim Apostolorum tacito nomine usi sunt exhibet Funk, Doctr. duod. Apostolorum Proleg. p. VIII sqq.

Subsidia. Prolegomena in Editione principe (*Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων* etc.) Philothei Bryennii Metropol. Nicodem. Constantinopoli 1883. — Funk, Doctrina duodecim Apostolorum, Prolegomena I—LXVII; Theol. Quartalschr. 1884, p. 381 sqq., 1887, p. 276 sqq., p. 355 sqq. — München, „Die Lehre der zwölf Apostel", eine Schrift des I. Jahrhunderts. Zeitschr. f. kath. Theol. Innsbruck 1886, p. 629 sqq. — Jacquier, La Doctrine des douze Apôtres, La Controverse 1888 fasc. I. sqq. — Alia scripta vide ap. Funk, Doctrina duodecim Apostolorum, Prolegomena c. XI.

Testimonia de Doctrina Apostolorum.

Inter scripta aevi Apostolici merito recensetur opusculum egregium quod diuturno tempore deperditum latuit, sed eventu fausto nostro tempore repertum et in lucem editum est. Inscribitur *Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων*,

seu *Doctrina duodecim Apostolorum.* Antiquis hujusmodi scriptum apprime notum erat; varii enim scriptores ejus mentionem faciunt, et collatione facta etiam innotuit aliquos in suis operibus conficiendis eo usos esse. Eusebius in Hist. eccles. L. III. c. 25, dum scripta recenset quae in canone non habentur, in his (*νόθοις*) ab ipso afferuntur „Actus Pauli et liber Pastoris titulo inscriptus, et Revelatio Petri, Barnabae item epistola et *quae dicuntur institutiones Apostolorum* (*καὶ τῶν ἀποστόλων αἱ λεγομέναι διδαχαὶ*)". A s. Athanasio vero in Epistola paschali XXXIX, quum libros exhibet a Patribus confectos qui aptissime catechumenis legantur, etiam commendatur *Doctrina Apostolorum quae dicitur et Pastor* (*Διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων καὶ ὁ Ποιμήν*). — Inter Latinos auctor *Libri de aleatoribus,* qui perperam s. Cypriano a quibusdam tribuebatur, mentionem *Doctrinae* facit dum c. IV scribit: „Et in doctrinis Apostolorum: Si quis frater delinquit in ecclesia et non paret legi, hic nec colligatur, donec poenitentiam agat, et non recipiatur, ne inquinetur et impediatur oratio vestra." Convenit textus cum iis quae Doctr. Apost. cc. 14, 2 et 15, 3 habentur. — Citatur *Doctrina Apostolorum* dein in catalogo Scripturarum sacrarum, qui tempore Justiniani conscriptus, et Quaestionibus et Responsionibus Anastasii patriarchae Antiocheni (m. a. 599) adjectus est[1]), a Nicephoro Cptano (m. a. 828) in Stichometria, dum post recensionem Scripturarum canonicarum et dubiarum, inter libros quos dicit apocryphos Novi Testamenti, uti epistolas Clementis, Ignatii et Polycarpi, ita et *Doctrinam Apostolorum* nominat, cui ducentos stichos adscribit. Simili modo liber etiam citatur in catalogo librorum sacrorum, inserto Synopsi divinae Scripturae V. et N. Testamenti, quae vulgo quidem s. Athanasio adscribitur, sed saeculo decimo confecta esse videtur.

Testimonia de Doctrina Apostolorum.

Subsequenti aetate libellus jam deperditus esse visus est, atque eruditi variis conjecturis de indole ejus indulgebant usque ad haec tempora. Sed anno 1873 Philotheus

Doctrinae textus repertus.

[1]) Cotelier P. Ap. I. 107.

Bryennius, tunc Constantinopoli professor scholae patriarchalis majoris, in eodem codice a. 1056 a Leone notario conscripto, in quo etiam integrae duae Clementis Romani epistolae et epistola Barnabae legebantur, invenit hanc quoque *Doctrinam duodecim Apostolorum*, quam demum a. 1883 in publicam lucem edidit.[1]) Plures auctores dein variis in regionibus secundum hanc editionem principem librum fausto eventu repertum imprimi curaverunt, ejusque versionem in varias linguas confecerunt. Versionem latinam textui graeco in Italia junxit R. Majocchi[2]), in Germania vero F. X. Funk, qui etiam Prolegomena et adnotationes opportune et locuplete editioni suae addidit.[3]) Quamplurimi autem de invento opusculo quaestionibus eo pertinentibus tractaverunt, quorum dissertationes hoc loco citare longum est.[4])

Usus Doctrinae apud Antiquos.

Postquam textus *Doctrinae Apostolorum* vulgatus est, etiam patuit collatione ab eruditis instituta, apud non paucos primorum saeculorum scriptores citationes vel vestigia *Doctrinae*, etsi tacito libri nomine, inveniri. Ita multa quae in *Doctrina* habentur, iisdem plane verbis inveniuntur expressa in epistola Barnabae[5]), pariterque in

---

[1]) Editio haec inscribitur: *Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων ἐκ τοῦ ἱεροσολυμιτικοῦ χειρογράφου νῦν πρῶτον ἐκδιδομένη μετὰ προλεγομένων καὶ σημειώσεων, ἐν οἷς καὶ τῆς Συνόψεως τῆς Π. Δ., τῆς ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, συγκρίσεις καὶ μέρος ἀνέκδοτον ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ χειρογράφου. Ὑπὸ Φιλοθέου Βρυεννίου, μητροπολίτου Νικομηδείας. Ἐν Κωνσταντινουπόλει* 1883. Pag. (XXXXIX (ρμθ'), 75.

[2]) R. Majocchi, La dottrina dei dodici apostoli. Documento della chiesa primitiva pubblicato nel suo testo originale con versione (latina) e commento. Milano 1885. Pag. 83. Ed. 2 Modena 1887. Pag. 288.

[3]) Doctrina duodecim Apostolorum; Canones Apostolorum ecclesiastici ac reliquae doctrinae de duabus viis expositiones veteres, edidit, adnotationibus et prolegomenis illustravit, versionem latinam addidit, F. X. Funk, Tubingae 1887, P. LXXVIII. 116. (Opera Patrum Apostolicorum I. Editio nova Doctrina duodecim apostolorum adaucta. Tubingae 1887).

[4]) Omnia quae hasce *litteras* (seu litteraturam quam dicunt) spectant invenies ap. Funk l. c., p. XLVI sqq.

[5]) „Auctor epistolae Barnabae . . . non solum majorem partem capitum I — V vel doctrinam de duabus viis ad verbum exscripsit, sed etiam sententiam capitis ultimi in scriptura sua recepit." Funk l. c. p. VIII.

Hermae *Pastore* insunt *Doctrinae* vestigia.[1]) Innotuit *Doctrina*, uti videtur, etiam Justino, Tatiano, Theophilo Antiocheno; certe eadem usi sunt Clemens Alexandrinus, Origenes, auctor Canonum ecclesiasticorum, auctor Canonum apostolorum, Lactantius ac varii sequioris aevi scriptores.[2]) Unde de genuinitate libelli nuper vulgati nullum est dubium.

Quo tempore Doctrina scripta.

Quod attinet ad *tempus*, quo Doctrina Apostolorum scripta sit, conveniunt quidem universim auctores gravissimi, insigne eam esse documentum Ecclesiae antiquae, sed in quaestione accuratius determinanda vel solvenda non deest quaedam dissensio. Quum enim in Barnabae epistola non pauca inveniantur consona quoad verbum *Doctrinae* textui, et quaedam etiam in *Pastore* habeantur *Doctrinae* simillima, sponte se offert quaestio, quodnam ex hisce documentis prius sit atque fons, unde alterum sua deprompserit. Editor princeps Bryennius nonnullis consentientibus existimat, Barnabae epistolam et *Pastorem Doctrinâ* esse priores, adeoque illa epistola praesertim usum esse auctorem. Unde Bryennius *Doctrinam* annis 120—160 adscripsit; pariter Harnack scripturam ad annos 120—165 retulit; aliqui etiam posteriori tempori eam tribuerunt. Funk vero accurato instituto examine evincere conatus est, *Doctrinam* priorem esse *Pastore* et epistolâ Barnabae, ejusque argumenta solida nobis apparent. Quum porro hic auctor epistolam quae Barnabae dicitur temporibus Nervae Imp. seu saeculo I exeunte scriptam esse teneat, merito *Doctrinam* ante finem saeculi I exaratam esse concludit, advertens, quot annis ante hujus saeculi exitum confecta sit, accurate definiri non posse.[3]) Qui tamen genuinam habent epistolam Barnabae et hunc c. a. 76 obiisse existimant, sane ante hunc annum *Doctrinam* scriptam esse censebunt. Ob internas quasdam rationes arbitratur Cornely, opusculum scriptum esse paulo post medium saeculum primum a privato quodam homine, qui

[1]) Cf. Mandatum II, 4—5 et Doctr. 1, 5; 4, 7. V. Funk l. c. p. X.
[2]) Fusius haec probat Funk l. c. pp. XII sqq.
[3]) L. c. p. XXII.

ea quae ipse in catechesi didicerat aliis quoque tradere voluit.[1]) Indicia quidem illa interna vi aliqua suasiva non carent, plus quam conjectura tamen ex iis promi non posse videtur. — Solidis igitur argumentis constare censemus, altero medio saeculi primi *Doctrinam* Apostolorum conscriptam fuisse; ad tempus vero accuratius determinandum nonnisi conjecturae quaedam suppetunt.

Quo loco Doctrina scripta.

Quo loco *Doctrina* conscripta sit, certo definiri non potest; Aegyptum, Palaestinam, Syriam, Asiam minorem, Graeciam vel Macedoniam, Romam, pro conjecturis variis varii indicaverunt. Ex indiciis quibusdam internis inferri probabiliter potest, in Syria vel in Palaestina *Doctrinam* esse confectam. Orationi Dominicae (VIII. 2) invenitur jam adjecta doxologia, *quoniam tua est virtus et gloria in saecula*, quae in Syria originem habuisse censetur. Palaestina videtur innui, dum monet auctor (VIII. 1. 2): „Jejunia vero vestra non fiant *cum hypocritis;* jejunant enim secunda post sabbatum et quinta; vos autem jejunate quarta et sexta. Neque orate *sicut hypocritae,* sed sicut praecipit Dominus.“ Agitur hic de pharisaeis eorumque jejuniis et orationibus, adeoque inter Judaeos auctor degisse videtur. (Potuit tamen etiam in Syria, ubi multi erant Judaei, ea ratione loqui). Porro in oratione eucharistica (IX. 4) mentio fit frumenti *supra montes* accrescentis, quod bene Palaestinae vel Syriae convenit (non vero Aegypto). — In secundo demum libri titulo dicitur: „Doctrina Domini per duodecim apostolos *gentibus* tradita“. Sequitur dein instructio catechumenis facienda, et vox *gentibus* intelligenda est praecipue de gentilibus ad christianam religionem se convertentibus.[2]) Unde quum catechumeni ex gentilibus veluti sponte et directe menti scribentis occurrerent, potius in Syria, regione gentili,

[1]) Introductio in utriusque Testamenti libros sacros, Tom. I. p. 214. Scribit ibidem Cornely: „Barnabas autem et auctor noster forte ex eodem fonte orali hauserunt, ex quo melius, quam ex mutua dependentia eorum similitudo et dissimilitudo explicatur.“ Major tamen videtur textuum consonantia, quam ut ea ex communi derivatione ab uno fonte orali tantum penitus explicetur.

[2]) V. Funk, Doctrina Apost. p. 2 in nota ad titulum.

quam in Palaestina, Judaeorum patria, *Doctrinam* conscriptam esse existimaverim.

Fides auctoris Doctrinae.

Quod ad *fidem* auctoris pertinet, eum haereticum Ebionitam vel Monarchianum fuisse aliqui immerito suspicati sunt. Integra doctrina virum orthodoxum fuisse ostendit. Levia quaedam indicia suadent, eum fuisse Christianum e Judaeis. — Nullibi ipse significat, se episcopum, presbyterum vel diaconum esse, ac saltem valde dubium est, eum ex clero fuisse. De prophetis qui aetate apostolica, charismatibus conspicui, in variis ecclesiis inveniebantur, de eorum munere et de honore ipsis debito multa habet, sed nullo modo se talem esse insinuat. Loquitur tamen cum dignitate quadam et auctoritate docentis. Hinc non omnino arridet opinio, eum tantum privatum quemdam fuisse hominem, qui ea quae ipse in catechesi didicerat aliis quoque tradere voluit.[1]) Sed conjici posset, eum fuisse ex doctoribus (*διδασκάλοις*), quales aetate apostolica in Syria ac speciatim Antiochiae (Act. 13, 1) inveniebantur.[2])

Doctrinae indoles.

Jam de iis quae in *Doctrina* continentur, agamus. Apte opusculum in *duas partes* dispesci potest, quarum una continet decem capita priora (I—X), altera quae sequuntur sex capita (XI—XVI). In prima parte duae sectiones distingui possunt. Referuntur videlicet a capite I usque ad VII praecepta moralia Domini seu religionis christianae catechumenis proponenda, ad instar *sermonis baptismalis*. Dein vero subsequentibus capitibus (VII—XI) auctor de ipso baptismo conferendo agit, de eucharistia, jejunio ac de oratione, formulasque tradit, quae in illis sacramentis administrandis et in oratione adhibendae sint, ita ut haec sectio quamdam *instructionem liturgicam* con-

[1]) Ita censet Cornely Introduct. I, 214.

[2]) Prophetis et doctoribus „Christiani erudiendi et aedificandi erant. Cum autem prophetae in spiritu dicerent (Doctr. 11, 7), doctores simplici ac communi sermone utebantur. Ambo 15, 3 honorati Christianorum appellantur. Doctores autem cum semper post prophetas nominentur, ordinem paullo inferiorem his obtinuisse censendi sunt.“ Funk, l. c. p. 40.

tineat. — In altera parte (XI—XVI) auctor varia exponit, quae ad disciplinam et constitutionem Ecclesiae spectant. — Manifestum est, scriptorem non intendisse totam doctrinam christianam evolvere, sed eum ob fines speciales capita quaedam brevi compendio proposuisse. Eo primum tendit, ut instruantur ante baptismum catechumeni, (praesertim ex impietate gentili conversi), quam sancta vita Christianis degenda sit; dein vero, quae ad cultum et liturgiam quotidianam et ordinariam Ecclesiae ac fidelium pertinent, ut bene noscantur, breviter tradit. Demum quoad disciplinam et constitutionem Ecclesiae tangit quaedam puncta, de quibus ea aetate in aliquot ecclesiis facilius quaestiones, haesitationes, obscuritas oboriri poterant.

Pars prima Doctrinae.

Quoad instructionem moralem catechumenorum, quae primis sex capitibus continetur, occurrit nobis pulcherrima illa et apud antiquos celeberrima doctrina *de duabus viis*, quae etiam in epistola Barnabae invenitur. *Duae viae sunt*, ait doctor noster, *altera vitae et altera mortis, sed multum interest inter duas vias. Via igitur lucis haec est: primum diliges Deum, qui te creavit, deinde proximum tuum sicut te ipsum; omnia vero, quaecunque non vis tibi fieri, nec tu alteri facias* (I, 1. 2.). Ulterius porro exponit hanc viam lucis, Evangelii praeceptis etiam consilia jungens; atque indicat quaenam peccata vitanda sint ac fugienda, et quaenam officia sint Christiano adimplenda. Breviter dein (c. V.) agit de via mortis. *Mortis vero*, inquit, *via haec est: primum omnium mala est et maledictionis plena: caedes, adulteria, concupiscentia, furta, idololatriae, magiae, veneficia, rapinae, falsa testimonia, simulationes, cor duplex, dolus, superbia, malitia, turpiloquium, invidia, insolentia. fastus, ostentatio. ...* Pergit in enumerandis variis peccatis, et *liberemini, filii*, concludit, *ab his omnibus.* Demum (c. VI.) ad observationem hujus doctrinae enixe hortatur.

Instructione hac catechumenorum finita auctor in altera primae partis sectione quae in administratione baptismi et in aliis cultus christiani actibus servanda sint

tradit. *De baptismo autem*, inquit, *sic baptizate; haec omnia postquam antea dixistis*[1]*), baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in aqua viva. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (c. VII.). Jejunium porro feria quarta et sexta faciendum, terque in die orandum, monet, proposita oratione dominica ut precandi formula (c. VIII.) Denique de eucharistia loquitur (c. IX. X.), ac formulas proponit in sacra coena adhibendas, et quidem duas quae communionem praecedunt, tertiam post communionem recitandam. Simulque monet: *Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum actione* (*ἀπὸ τῆς εὐχαριστίας ὑμῶν*), *nisi baptizati sunt in nomine Jesu* (*εἰς ὄνομα κυρίου*); *de hoc etenim dixit Dominus: Ne date sanctum canibus* (c. IX.).

Pars secunda Doctrinae.

In altera parte *Doctrinae* (XI—XVI.), uti diximus, scriptor quaedam capita tangit, quae disciplinam et constitutionem Ecclesiae spectant; eaque ad primitivae Ecclesiae statum illustrandum egregie inserviunt. Postquam auctor monuit, illos tantum advenientes in ecclesias recipiendos esse, qui non aliam tradant doctrinam quam modo propositam, exponit, quomodo praedicatores fidei (apostoli) sint suscipiendi et tractandi, qua ratione dijudicandi prophetae, quomodo ipsi et doctores honorandi et sustentandi. De advenis quoque christianis accipiendis, de die dominica celebranda, de episcopis et diaconis ordinandis ac de fratribus arguendis sermo fit. — Colligitur autem ex auctoris monitis, aetate illa apostolica munus extraordinarium propheticum charismatis ornatum adhuc perstitisse, atque in variis ecclesiis fuisse *prophetas* et *doctores*. Regulae etiam quaedam traduntur, ut veri prophetae et doctores a falsis discernantur. *Non omnis*, inquit, *qui loquitur in spiritu, propheta est, sed si habet mores Domini; ex moribus igitur cognoscetur pseudopropheta et propheta.*

[1]) Ex his verbis liquet, praecedentibus instructionem catechumenorum contineri.

Et nullus propheta decernens mensam (pauperibus parandam) *in spiritu edit ab ea, nisi pseudopropheta est. Omnis autem propheta docens veritatem, si quae docet non facit, pseudopropheta est* (c. XI.). *Omnis verus propheta, volens considere apud vos, dignus est cibo suo. Similiter doctor verus et ipse dignus est sicut operarius cibo suo* (c. XIII.).

Concludit (c. XVI.) *Doctrinam* scriptor admonens fideles, ut vigilent atque parati sint ad Domini adventum, utque salutem animae et perfectionem sollicite curent. Regnum Antichristi, finem mundi et adventum Christi ad judicium ob oculos ponit.

Liquet ex dictis, hanc *Doctrinam duodecim Apostolorum* insigne esse aevi Apostolici monumentum, quo varia dogmata, constitutio et disciplina Ecclesiae, fidelium mores, opportune illustrantur.

§. 46.

Epistola ad Diognetum.

Subsidia. Subsidia. Galland. Biblioth. T. I. Prolegom. c. II. — Lumper P. I. Sect. IV. — Nourry T. I. Diss. II. P. II. — Sprenger Saec. I. Diss. III. — Tillemont Mém. T. II. Note I. sur la persécution de Néron. — Ceillier T. II. — Prud. Maranus Praef. in Opp. s. Justini P. III. c. 3. n. 5. — Funk Opera Patr. Apost. T. I. Prolegomena pp. XCIX—CIX. — Möhler, Ueber den Brief an Diognetos; Ges. Schriften B. I. S. 19—31. — Semisch, Justin der Märtyrer, B. I. (Breslau 1840). — Otto, De epistola ad Diognetum s. Justini Philosophi et Martyris nomen prae se ferente Commentatio. Jenae 1845. — Freppel, Les Pères Apostol. Leçon XXI. — Alios auctores v. ap. Funk T. I. p. C sqq.

Insignis exstat *Epistola ad Diognetum* inscripta, quae inter opera Patrum Apostolicorum dubia recenseri solet, quamvis auctor ejus haud notus sit, atque etiam de tempore quo haec epistola scripta sit, variae sint eruditorum virorum sententiae. Apud veteres omnes videlicet altum est de ea Epistola silentium, atque haec scriptura praestantissima nec Eusebio, nec Hieronymo, nec Photio vel alteri auctori qui scriptores ecclesiasticos recenset, nota

fuit. Eam primum edidit *Henricus Stephanus* Parisiis a. 1592 ex Codice cujus accuratiorem non reddidit rationem, qui tamen ab aliis saeculo XIII adscribitur. In eodem Codice attribuebatur s. Justino M. Graeca lingua conscripta est; ipse H. Stephanus latinam versionem addidit. Variae dein editiones factae sunt, uti a Prudentio Marano[1]) aliisque inter Opera s. Justini, a Gallandio[2]), a variis editoribus Operum Patrum Apostolicorum aliisque separatim. Eam publicavit Funk in sua editione Patrum Apostol. T. I. congruis cum Prolegomenis et adnotationibus a. 1878. Codex ille H. Stephani idem esse censetur qui aliquando fuit Joannis Reuchlin, dein in Maurimonasterio in Alsatia superiori sito servabatur, ac demum ad bibliothecam Argentoratensem (Strassburg) pervenit. Quae bibliotheca quum anno 1870 incendio consumpta sit, etiam unicus hic Codex jam interiit. H. Stephani apographon tamen adhuc conservatur in Bibliotheca academica Lugduni Batavorum.

Epistolae ad Diognetum editiones.

Ob rationes internas gravissimas *Epistolam ad Diognetum* revera vetustissimo tempore atque in initiis fere religionis christianae conscriptam fuisse, viri critici universim convenere. Sed nuperrime alia sententia proposita fuit. Cum scriptura videlicet in uno tantum codice ad nos pervenisset, Donaldson suspicatus est, Henricum Stephanum primum editorem, vel quod verisimilius esset, nonnullos e Graecis qui saeculo XV in Europam transmigraverunt, eam confecisse, ut librum more veterum conscriberent, haud vero ut eam Justino supponerent.[3]) Simile judicium Fr. Overbeck tulit, et ex ipsa epistola probare nisus est.[4]) Sed haec opinio universim rejecta est, ac

Epistola antiqui temporis.

---

[1]) S. Justini Opera etc. ed. opera et studio unius ex Monachis Congreg. s. Mauri, Parisiis 1742.

[2]) Biblioth. vet. Patr. T. I. Venet. 1765.

[3]) A critical history of christian literature etc. 1866.

[4]) Ueber den pseudojustinianischen Brief an Diognet 1872. Studien zur Geschichte der alten Kirche, 1875. I. 1—92.

firma persistit sententia, antiquissimi temporis ac priorum saeculorum scriptam esse illam ad Diognetum Epistolam.[1])

Quo tempore scripta Epistola ad Diognetum.

Accuratius autem aetatem indicare qua scripta sit epistola, difficile est. Dicit quidem auctor c. 11 se *Apostolorum discipulum factum*, sed duo ultima capita a multis adscititia habentur, uti ipse H. Stephanus jam suspicatus est, ita ut genuina epistola decem capitibus censeatur constare. Fuerunt qui primo durante saeculo eam confectam conjecerunt, et propter elegantiam styli quidam suspicati sunt, auctorem esse Apollinem, quem ut virum disertum Actus Apostolorum (18, 24 — 28) ac s. Paulus (I. Cor. 1, 12) laudant; alii Clementi epistolam adscripsere. Non pauci s. Justino eam tribui posse existimarunt, alii vero stylum elegantia Justini scriptis praestare, et aliis etiam ex capitibus hanc epistolam differre ab iis, sibi visi sunt deprehendere. Argumenta interna quibus ostenditur epistolam hanc non esse s. Justini, proferunt et comprobant primus Tillemont l. c., dehinc Nourry (Appar. T. I. p. 445), Orsi (Istor. eccl. L. II. n. XXVI), Gallandi, Lumper, l. c. Hi scriptores censent, primo saeculo epistolam scriptam esse, tum quod religio christiana ut recenter orta designetur, tum maxime quod cultus Judaeorum per sacrificia cruenta exhibeatur ut adhuc perduraus. Unde colligunt, ante excidium urbis Hierosolymarum (a. 70) epistolam esse confectam. Scribit videlicet auctor c. 3.: *Judaei . . . si simili modo quo supra dicti* (Gentiles) *hoc cultu eum prosequuntur* (*τὴν θρησκείαν προσάγουσιν*) *in errore versantur. . . . Ii qui per sanguinem et nidorem et holocausta se facere ei sacrificia putant hisque honoribus eum ornare putant, nihil ab iis differre mihi videntur, qui eandem munificentiam praestant sensu carentibus.* — Sed argumenta haec vim probationis non habent. Nova enim religio christiana comparatione facta cum Judaismo et cum religione gentilium etiam posteriore tempore dici poterat. Quae vero de sacrificiis cruentis Judae-

[1]) V. Funk, T. I. p. CII. CIII.

orum dicuntur, congrue explicari possunt, quatenus auctor de indole legis Mosaicae deque ejus praeceptis agit, etsi eo tempore quo scribebat de facto illa sacrificia jam non poterant offerri.

Videtur esse saeculi secundi.

Loquitur porro auctor de persecutione Gentilium et Judaeorum in Christianos et de multiplicatione Christianorum post ipsa martyria ita, ut inde colligi posse videatur, jam pluries et vehementius persecutionibus Christianos exagitatos, et christianam religionem jam valde dilatatam fuisse. Hinc potius saeculo secundo epistolam scriptam esse, inferas. Atque aetati Trajani Imp. (98—117) ea quae scribit satis conveniunt. Priori huic parti saeculi secundi autem epistolam tribuendam esse suaderi potest inde, quod hac in suppositione quae de novitate religionis christianae dicit sensu magis obvio explicantur, quodque mentio sacrificiorum, quando ipsa nondum per multos annos cessaverant, pronius se offerebat, quam postea, ubi jam diuturno tempore desierant.[1]) Sed haec conjectura probabili nituntur; certo sane statui potest, aetate persecutionum epistolam ad Diognetum confectam esse. Utrum vero Diognetus cui epistola scripta est, fuerit ille Diognetus quo magistro usus est M. Aurelius, in ancipiti relinquimus.

Indoles Epistolae ad Diognetum.

Ad *indolem* Epistolae quod attinet, in *tres* ea dividitur *partes;* tria enim Diognetus ab auctore explicanda quaesierat, uti ex c. 1 colligitur. „Cum te, amplissime Diognete, scribit auctor, valde studiosum videam divinum Christianorum cultum cognoscendi et admodum accurate diligenterque de iis percontantem, *cui Deo confidentes et quomodo eum colentes mundum aspernentur omnes mortemque contemnant et neque eos, qui a Gentilibus disputantur pro diis habeant, neque Judaeorum superstitionem observent,* et *quo amore mutuo inter se affecti sunt,* et *cur tandem novum hoc*

[1]) Aetati Trajani epistolam adscribit Möhler qui quaestionem hanc sollicite tractavit in dissertatione de epistola ad Diognetum supra citata. Ei adstipulati sunt, Hefele, Permaneder, Alzog, Freppel (l. c.). Plura vide ap. Funk, p. XCIX sqq.

Indoles Epistolae ad Diognetum.

genus aut institutum nunc demum apparuerit ac non prius: laudo te propter hoc studium atque a Deo, qui et loquendi et audiendi facultatem nobis suppeditat, peto, ut detur mihi quidem ita verba facere, ut is qui audivit utique melior fiat, et tibi ita audire, ut tristitia non afficiatur is qui verba facit."

Ad haec igitur quaesita respondens auctor primum exponit, *quam ob causam Christiani Paganismum et Judaismum aspernentur.* Graecorum insaniam egregie describit, qui diis manufactis honores divinos exhibeant, vanitatemque cultus idolorum, sive substantia eorum sive forma consideretur, acerrime traducit (c. 2). — Dein Judaeorum dementiam perstringit, qui Deo quidem vero, ast ita serviant, quasi eorum servitio indignus sit, quique anxia legum caeremonialium observantia stolidaque de sua circumcisione jactantia justificationem se esse consecuturos perperam autument (c. 3. 4).[1])

Porro ordine paululum immutato auctor ad *quaestionem alteram* progreditur *Christianorum mores* describens (c. 5), et praesertim demonstrans, fideles id esse in mundo quod sit anima in corpore. *Ut autem,* scribit, *simpliciter dicam: quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo Christiani. Dispersa est per omnia corporis membra anima: et Christiani per mundi civitates. Habitat quidem in corpore anima, sed non est e corpore: et Christiani in mundo habitant, sed non sunt e mundo. Invisibilis anima in visibili custoditur corpore: et Christiani conspiciuntur quidem in mundo degentes, sed invisibilis est eorum pietas. . . . Inclusa*

---

[1]) Vehementia qua auctor Gentiles et Judaeos perstringit, pro argumento fuit iis qui contenderunt Epistolam posteriorum temporum foetum esse, quum id non in usu scriptorum primae aetatis fuerit. Sed ad Gentiles quod spectat, etiam alii auctores, ut Minutius Felix, vehementius eos adoriuntur. Quum porro Auctori propositum esset ostendere, etiam Judaeorum religionem esse falsam, non est mirum acrius ipsum de Judaeis loqui. Indicium tamen fortasse ex severa Judaeorum radargutione desumi posset, haud primo saeculo quum adhuc ritus Judaeorum tolerarentur a Christianis, sed secundo saeculo Epistolam conscriptam fuisse.

est quidem anima in corpore, sed ipsa continet corpus: et Christiani detinentur quidem in mundo tanquam in custodia, sed ipsi continent mundum. . . . Anima cibis et potionibus male tractata fit melior: et Christiani suppliciis affecti quotidie numero crescunt (c. 6). — Quae postquam exposuit, ad quaestionem primam reversus, de religione christiana agit adstruens, non ab hominibus, sed a Deo eam profectam esse. Is Verbum sanctum et incomprehensibile inter homines locavit, atque in eorum cordibus firmavit; nec ministrum salutis hominibus misit angelum quemdam aut principem coelestem, sed ipsum Filium proprium, Regem, Deum, per quem fecit et ordinavit omnia, misitque eum non in majestate sua divina terribilem, sed mitem et clementem, ut vocaret atque salvaret homines. Hanc autem divinam originem religionis jam ex martyrum constantia et Christianismi propagatione ex martyriis probat. „(Nonne vides), inquit[1]), *objectos feris, ut abnegent Dominum, et non victos? Nonne vides, quo plures supplicio afficiuntur, tanto majorem fieri numerum reliquorum? Haec non videntur ab homine fieri (ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα); haec sunt Dei potentia; haec adventus ejus sunt argumenta*“ (c. 7). Nonnisi per Christum Deum potuisse hominibus illucescere veram Dei notionem, circa quam philosophi omnes in plurimos miserandos errores prolapsi sint. Deum itaque Filium misisse, ut homines salvaret iisque Patrem manifestaret, quem nemo hominum vidisset (c. 8. 1—6). Indoles Epistolae ad Diognetum.

Porro *quaestionem tertiam* tractandam aggreditur et ostendit, tam sero Salvatorem ideo missum esse, ut ex peccatis nostris convinceremur, nos vita aeterna indignos esse, neque in regnum Dei ingredi posse, nisi Deus nos adjuvaret. Quem, sicut antea peccata nostra patienter tolerasset, ita ea denique ipsum suscepisse ac proprium Filium pro nobis dedisse pretium redemptionis, ut justifi-

---

[1]) Est lacuna pot. c. 7. 6, quam Stephanus longiori phrasi de propagatione Christianismi explendam censet, Hefele tantum illis verbis *nonne vides*. Cf. Funk, l. c. p. 322. nota 6.

Indoles Epistolae ad Diognetum.

caremur benignitati illius credentes.[1]) *Postquam igitur,* scribit, *omnia jam apud se cum Filio disposuit, usque ad superius tempus sivit nos secundum arbitrium nostrum inordinatis motibus ferri, voluptatibus et cupiditatibus a recta via abductos; non quod ullo modo gauderet peccatis nostris, sed ea tolerans, neque quod illud iniquitatis tempus approbaret, sed praesens tempus justitiae creans, ut cum illo tempore convicti essemus e propriis operibus indigni esse vita, nunc Dei benignitas nos ea dignaretur, ut cum manifestum fecissemus, ex eo, quod in nobis est, nos non posse ingredi in regnum Dei, potentia Dei id posse nobis daretur* (c. 8, 7 — c. 9). Denique animum Diogneti auctor ad bona advertit, quae ipsi affluant, si eam fidem expetierit. Fore ut Patrem agnoscat et diligat et imitetur, proximum vere diligens, mortem contemnens, illos admirans qui pro justitia ignem patiuntur (c. 10). Concluditur c. 10 hisce: *Tunc perspicies in terra degens Deum in coelis regnare; tunc mysteria Dei loqui incipies; tunc eos qui puniuntur, quod abnegare Deum nolint, et diliges et miraberis; tunc imposturam mundi et errorem damnabis, cum vere in coelo vivere didiceris, cum eam quae heic mors esse censetur, contempseris, cum veram mortem formidaveris, quae servatur iis qui damnabuntur ad ignem aeternum, qui sibi traditos usque ad finem supplicio afficiet. Tunc admiraberis eos, qui pro justitia ignem patiuntur temporarium, et beatos praedicabis, cum ignem illum cognoveris.*

Hisce multis videtur terminari Epistola, ita ut quae sequuntur duo capita adscititia sint. In iisdem primum de divitiis scientiae et virtutis agitur, quas Dei Filio debemus (c. 11), et deinde exponitur, certam cognitionem et veram vitam, alteram sine altera non consistere, in paradiso lignum vitae et lignum cognitionis in propinquo plantatum fuisse, et juxta verba Apostoli cognitionem inflare, caritatem aedificare (c. 12). — Adverterunt inde ab H. Stephano complurimi viri eruditi, adesse in illis capitibus varia indicia ex quibus inferri possit, eadem haud esse genuina. Argumentum Epistolae ad finem productum

[1]) V. Funk, l. c. p. CIV.

est c. 10⁰, quae sequuntur minus cum hisce cohaerent, et aliqua in iis habentur quae potius ad subtiliorem institutionem pertinent, quam ad illam planam expositionem quae in praecedentibus invenitur. Unde etsi non plane certum videatur haec capita spuria esse, graves tamen sunt contra eorum genuinitatem rationes.[1]) — Quamquam vero haec Epistola ad Diognetum sit ignoti auctoris, nec porro inter certa Patrum Apostolicorum monumenta referri possit, plurimi tamen fieri meretur eo potissimum, quod ejus auctor complures locos omni observatione dignissimos proferat, quibus haud pauca christianae religionis ac fidei summa capita tradit, illustrat atque confirmat. Caeterum summae linguae graecae ac styli politi elegantia in hac epistola enitet.

§. 47.

S. Papias.

Fontes et Subsidia.

Fontes. Irenaeus, adv. haeres. V. 33. — Eusebius H. E. L. V. cc. 36. 39. Chronic. ad a. 2116. — Hieronym. de viris illustr. c. 18. epist. 15. — Anastas. Sinaita Contempl. anagog. in Hexaëmeron L. I et VII (apud Migne, P. G. T. LXXXIX. 860. 962). — Photius Cod. 232.

Subsidia. Galland. Biblioth. T. I. Prol. c. X. — Sprenger Saec. II. Dissert. 5. — Lumper P. I. Sect. IX. — Funk, Patr. Apost. T. II. Prolegom. p. XLIX—LIII; textus p. 276—300.

S. Papias, Episcopus Hieropolytanus in Phrygia, Joannis Apostoli discipulus et s. Polycarpi familiaris[2]), vir imprimis disertus et eruditus atque Scripturarum peritia imbutus, ab Eusebio inter eos connumeratur, qui primis Apostolicae successionis temporibus per omnes orbis terrarum ecclesias pastores vel evangelistae fuerunt, et quorum monumenta Apostolicam illorum doctrinam continent.[3]) Floruit c. a. 120, caeterum vero adjuncta vitae

---

[1]) V. Funk, l. c. p. CIV sqq.

[2]) S. Iren. V. 33. n. 4, s. Hieron. ep. 75. n. 3. Cf. Lumper.

[3]) Euseb. L. III. 36. 37. 39, et s. Hier. ep. 71. n. 5. Cf. de hoc Papiae elogio Lumper P. I. 360—361 in Nota. — Ex principiis tamen

ipsius nota non sunt, nec quo obierit anno. Martyrologio Romano ipse die 22° Februarii inter sanctos adscribitur. utrum martyrio vitam finierit non constat, quum quae in Chronico paschali et apud Photium (cod. 252) habentur dubiae fidei sint.[1])

S. Papiae Opera.

Scripsit s. Papias opus cui titulus *Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως συγγράμματα* vel *βίβλια πέντε*[2]), seu, uti vertit s. Hieronymus, quinque volumina quae praenotavit *Explanatio sermonum Domini.* Qualis fuerit hujus operis indoles aliquatenus colligi potest ex fragmento prooemii quod Eusebius servavit (L. III. c. 39). Ait Papias: *Non haesitabo autem etiam quaecumque quondam (οὐκ ὀκνήσω δὲ σοι καὶ ὅσα ποτὲ) a senioribus bene didici et bene memoriae mandavi interpretationibus (ταῖς ἑρμηνείαις) inserere, affirmans de illis veritatem. Non enim, ut plerique solent, eos sectabar, qui verbis affluerent, sed eos qui verum docerent, neque eos qui aliena praecepta, sed eos, qui mandata per Dominum fidei tradita et ab ipsa veritate profecta memorarent. Quodsi quis advenit interdum, qui cum senioribus versatus fuisset, dicta seniorum exquirebam: quid Andreas vel quid Petrus dixerit vel quid Philippus vel quid Thomas vel Jacobus vel quid Joannes vel Matthaeus vel alius quis ex discipulis Domini, quaeve Aristion vel Joannes presbyter, discipuli Domini, praedicent.* — Indicat igitur Papias opus suum interpretationem effatorum Domini continere; quumque dicat se *etiam* (*καὶ*) *interpretationibus* inserere ea quae a senioribus didicerit, merito colligimus ipsa *effata* eum potissimum e traditione scripta seu ex Evangeliis hausisse. Horum igitur sermonum explanatio Papiae libris continebatur.[3])

Licet vero Papias in quibusdam nimium fuerit credulus, imo et effatis aliquot Domini perperam intellectis, vel nimia credulitate receptis, errorem de regno

---

superius §§. 11 et 12 propositis inter ss. Patres Papiam referre non licet.

[1]) V. Funk, l. c. p. L. [2]) Euseb. H. E. III. 39.

[3]) Cf. Funk, l. c. p. 279.

millenario primus inter Patres invexerit, multos exinde nactus sectatores, ut s. Irenaeum[1]) et alios, nihilo tamen secius valde dolendum est, illius Opus, cui tantum auctoritatis tribuerunt Veteres, vix non ex integro deperditum esse. Ejus tantum varia Fragmenta exstant, quae ab Eusebio Caesariensi aliisque scriptoribus servata sunt. — Ex fragmento superius ex parte citato liquet, quanta sollicitudine Papias ea collegerit quae a discipulis Apostolorum referebantur. Alia fragmenta s. Papiae agunt praecipue de miraculis sua aetate patratis, de origine Evangelii s. Marci et originali evangelio s. Mathaei, de regno millenario, de Judae Ischariotae horrendo interitu. Fragmentum tamen illud, quod ei passim tribuitur, de Maria quadruplici in Evangeliis obvia (B. Maria Virgo, Maria Cleophae, Maria Salome, Maria Magdalene) et de fratribus Domini, immerito ipsi adjudicatum est. Ostenderunt enim critici recentiores, illud fragmentum posteriori tempore conscriptum ejusque auctorem esse Papiam vocabulistam saeculi duodecimi.[2])

S. Papiae Opera.

Collegerunt Papiae fragmenta varii scriptores et editores, uti Gallandi (Bibl. Patr. T. I.), Routh (Reliquiae sacrae (T. I.), Migne (Patrol. gr. T. V.), Funk (PP. Apostol. T. II.).

Nota. Tractari solet, quum de Patribus Apostolicis agitur, a variis auctoribus etiam de Dionysio Areopagita et de operibus quae ejus sub nomine feruntur. Quum vero communi fere sententia jam constet, opera ista Dionysii Areopagitae Apostolorum discipuli non esse, sed sequiori aetate esse confecta, satius visum est, alio loco de illis scriptis eorumque auctore disserere.

---

[1]) S. Iren. c. Haer. V. 33. [2]) V. Funk, l. c. p. LIII.

Caput II.

De Saeculi II. Apologetis et Patribus qui Apostolorum aetatem non attingunt.

§. 48.

Conspectus generalis et character eorundem.

Character Scriptorum.

Ex quo tempore persecutiones dirae contra Christianos tamquam novam et perniciosam sectam moveri coeperunt, Imperatores vero, qui tunc orbis Romani habenas rexerunt, tales erant, ut vel laudem justitiae et humanitatis sollicite ambirent, vel aequum et benignum erga omnes animum proderent, vel denique in philosophiae studio et sapientiae culmine gloriam suam ponerent, cujusmodi erant Hadrianus, Antoninus Pius et Marcus Aurelius, complures viri eruditi, qui eodem illo tempore divina Providentia ordinante religionem christianam amplexati fuerant, eam defendendam susceperunt. Hunc in finem sat multi, quibus jam praeluserat auctor anonymus epistolae ad Diognetum (v. supra §. 46.), pro Christianis apologias conscripserunt, quibus religionis novae sinceritatem interpretarentur, vel profitentium innocentiam probarent, vel Principum animos a vexationibus abducerent. Mox tamen a defensione religionis christianae se converterunt ad bellum ipsis Gentilium sacris inferendum, quo veritatem religionis christianae, et ethnicae falsitatem gravibus argumentis ex profana sacraque doctrina desumptis invictissime demonstrarent. Hinc ex ipsis poëtarum, philosophorum aliorumque Scriptorum libris manifestissime ostendunt, deos, qui ab Ethnicis colebantur, cultu divino plane indignos esse. Destructa autem et penitus eversa Ethnicorum religione ad adserendam Dei unitatem, cujus potentia sicuti creata sunt omnia, ita illius solius providentia gubernantur, ad probandam Verbi divini, Filii Dei unigeniti, incarnationem

et reliqua mysteria progressi, argumenta desumpserunt ex omnibus hujus Filii Dei actionibus et conversationis humanae circumstantiis, ex sacris Prophetarum Veteris Testamenti vaticiniis ipsisque quorundam etiam Ethnicorum oraculis, ex sanctitate et praestantia doctrinae moralis a Christo traditae, ex dono miracula patrandi resque futuras praedicendi inter Christianos tum adhuc vigente, ex Martyrum constantia aliisque plurimis virtutibus, quibus Christiani tum insignes erant. Horum e saeculo II numerantur plures, quorum vel Opera, vel Fragmenta modo exstant, vel saltem nomina sunt nota, quos omnes longe superat s. Justinus Martyr. Scriptorum character.

Sed et alios externos hostes Patres Ecclesiae hac aetate aggressi sunt, nempe *Judaeos*. Scilicet post excidium Hierosolymorum, et praesertim postquam sub Hadriano Judaei iterum rebellantes ex Judaea ejecti et in omnem terram dispersi fuerant, omni spe reditus abscissa, doctores christiani, qui hucusque Judaeis adhuc magis pepercerant, idoneum tempus conversionis adesse rati, eos tam ore, quam calamo vehementius impugnare coeperunt, ostendentes, praeteriisse tempus antiquae Legi praefinitum, novum atque aeternum Testamentum, in Veteri jam praedictum et praefiguratum, advenisse, omnibus omnino hominibus acceptandum. Praecipuum contra hos argumentum iisdem suppeditabant Veteris Testamenti libri, quos divinos et Spiritu sancto afflante ab auctoribus suis scriptos esse ipsimet Judaei fatebantur; quorum proinde nonnisi integritatem veramque interpretationem variis rationibus prolatis munire et fulcire necesse erat. Et hic post auctorem epistolae, quae tribui solet s. Barnabae, iterum s. Justinus optime meruit.

Alii denique Patrum commentarios ediderunt, quibus christianam fidem propugnarent eique contrarias, quae tunc oriebantur, haereses refellerent. Tunc etenim alii etiam externi magis, quam interni hostes, quamvis se pro Christianis venditare haud dubitarent, *Gnosticorum* scilicet multiplex hydra, debellandi erant, qui ex orientali philosophia dogmata sua pleraque hauserant, iis tantummodo

Scriptorum character.

nomen christianum et speciem quamdam dogmatum christianorum praetendentes atque ideam Redemptionis, ex religione christiana transsumptam sibi peculiari quadam ratione effingentes eamque systemati suo accommodantes. Illi autem haeretici, qui a scientia (*γνώσις*) rerum divinarum, quam se jactabant habere solos, quamque per solam fidem acquiri non posse dictitabant, Gnostici vocati sunt, in his maxime errabant: Mysterio SS. Trinitatis et creationi Entium invisibilium seu angelorum substituerunt emanationem Aeonum ex numine quodam incomprehensibili, quam variis sub figuris corporeis sibi imaginabantur; tum pro creatione mundi visibilis hominumque ex nihilo induxerunt Dualismum ipsumque actum creationis non unico et vero Deo, sed Enti cuidam longe inferiori (Aeoni minorum gentium) vel omnino Enti inimico tribuerunt, quem Demiurgum (i. e. opificem mundi) appellabant, mundumque ex materia aeterna factum fuisse statuerunt. Porro innatam hominum inaequalitatem quoad dotes animi et corporis ex varia mixtione lucis et tenebrarum sive materiae, quibus singuli homines constarent, derivarunt; totum Vetus Testamentum eidem Demiurgo, a quo creationem hujus visibilis mundi profectam esse statuebant, adscripserunt, adeoque aut vilipenderunt, aut penitus rejecerunt et contempserunt. Personam Redemptoris Jesu Christi iidem pessime habuerunt, dum alii Jesum tamquam merum hominem considerabant, cui se Aeon Christus inde a baptismo usque ad passionis initium junxerit, postea eum deserens, alii vero eum purum Aeonem fuisse censebant, qui ad speciem tantum (*δοκήσει*), non vere formam humanam induerit (Doketae); munus Redemptionis in sola doctrina sublimiori coelitus allata et Gnosticis revelata collocarunt. Tria autem hominum genera distinxerunt, *spirituales* (seu veros Gnosticos), qui salvi fieri debent, *psychicos* (seu Catholicos), qui salvi fieri possunt, et *hylicos* (seu omnino perversos), quibus nulla salvationis spes affulget. Matrimonium multi eorum omnino spreverunt, alii tamquam malum necessarium admisere; alii eorum continentissime vixerunt, alii omnibus promiscue

libidinibus indulserunt. Denique finem omnium rerum eum exspectarunt, ut tum animae, tum corpora ad suum fontem redirent, quare et resurrectionem corporum negarunt. Sed victricibus ss. Patrum armis repressi sunt omnes eorum impetus. In eos siquidem suprema Scripturae Veteris ac potissimum Novi Testamenti pugnaverunt auctoritate, libros hagiographorum genuinos vindicantes textusve corruptos restituentes. Praeterea haereticos premere non destiterunt altero argumento traditionis, quae in Apostolicis ecclesiis ac potissimum Romana integra et illibata semper servata est; demum etiam ex interna turpitudine et absurditate errorum, quos singulae haereses fovebant, ipsorumque haereticorum inter se dissensione argumenta ad easdem destruendas traxerunt. Hos itaque complures Patrum II. saeculi impugnarunt, in quibus maxime eminet s. Irenaeus, nec non aliquot etiam III. saeculi Scriptores Ecclesiae. Ex his omnibus luculenter patet, ea, quae hoc Ecclesiae saeculo confecta sunt, scripta, defensionem potissimum Ecclesiae contra hostes maxime externos respicere[1]); sunt autem exarata in forma *Tractatuum*. Denique lingua graeca, eaque non admodum culta et elegans, adhuc sola in usu ecclesiastico obtinuit, qua proinde omnia haec Opera conscripta fuere.

Scriptorum character.

§. 49.

S. Justinus Philosophus et Martyr.

Subsidia et Fontes.

Fontes. Euseb. Histor. Eccles. L. II. c. 13. L. IV. c. 8. 11. 12. 16. 17. et 18. — S. Hieronym. de viris illustr. c. 23. — Phot. Biblioth. Cod. 125 et 234. — Ipsa s. Justini M. scripta — et Acta Martyrii s. Justini M. (quae edita sunt in Opp. S. Justini ed. Prud. Marani Append. II., item in Galland. Biblioth. T. I. p. 624—26. et in Ruinart Acta Martyr.

[1]) Sunt et alia scripta Patrum hoc aevo confecta, quae tamen minorem partem constituunt, et alioquin, paucis exceptis Fragmentis, omnia dudum interierunt, quibus ideo hic brevitatis causa supersedendum duco. Cf. Möhler's Patrologie. I. Bd. S. 179—87. Sprenger Saec. II. Diss. I. c. 1. (T. I. p. 313—23). Lumper P. II. Diss. praevia (p. 1—12).

Subsidia. Galland. Biblioth. T. I. Prolegom. c. 17. et c. 19. et Martyrium S. Justini etc. notis et disquisitionibus ab Alex. Mazochio illustratum ibid. in Append. I. (p. 707—29). — Lumper P. II. Sect. II. (p. 48—316). — Nourry Appar. T. I. Lib. II. Diss. II. p. 349—470. — Dupin I. p. 86—94. — Tillemont T. II. S. Justin avec les Notes sur S. Justin (p. 344—404 et p. 642—62). Ceillier T. II. Chap. I. (p. 1—73). — Möhler's Patrologie I. Bd. S. 188—253. — Prud. Marani in Edit. Opp. S. Justini Praefatio. — Migne P. gr. T. VI. Prolegomena. — Cave Histor. litter. Vol. I. p. 60—65. — C. Oudin Commentar. Vol. I. p. 179—203. — Otto, de Justini M. scriptis et doctrina. Jenae 1841. — Justin der Martyrer, von C. Semisch. Breslau 1840—42. 2 Theile. (Qui idem et alia multa subsidia enumerat I. Thl. S. 2—4). — Junius de Justino Martyre Apologeta adv. Ethnicos. Lugduni Batav. 1836. 8°. — Freppel, Les Apolog. chrétiens. T. I. Paris 1860. — Cfr. Chevalier s. v. Justin.

S. Justini vita.

S. Justinus, cognominatus Philosophus et Martyr[1]), vir sanctitate et doctrina insignis, qui nec tempore, nec virtute longe ab Apostolis distabat[2]), natus est circa initium saeculi II in oppido Sichem Samariae, cui tunc nomen erat Flavia Neapolis[3]), et a prima aetate Gentilium sacris addictus fuit.[4]) Traduxit adolescentiam Justinus in litterarum studiis, ac poëtis, oratoribus et historicis, ut mos erat, operam dedit, utilem aliquando ad Ethnicos refellendos futuram; at nullius disciplinae vehementius, quam philosophiae studio exarsit, qua in re divinae Providentiae ductum non agnoscere non possumus. Quippe cum ardentissimo veritatis inveniendae amore ductus omnes pedetentim philosophiae tunc vigentis scholas peragrasset, Stoicorum, Peripateticorum, Pythagoraeorum, apud Platonicos demum substitit, tantumque profecit, cum idearum contemplatio alas quasi animo adderet, ut sublimius

---

[1]) Ita jam Tertullianus adv. Valentin. c. 5.

[2]) S. Methodius apud Phot. Cod. 234. Cf. Euseb. lib. 2. c. 13.

[3]) Justini Apolog. I. c. 1. — De anno, quo natus sit Justinus, Eruditi varias, at incertas proferunt conjecturas, ita ut inter a. Chr. 89. et 118. vagentur variae variorum opiniones, videsis Lumper l. c. p. 48. Nota.

[4]) Id luculenter patet ex Just. Dialog. c. Tryph. c. 28. c. 41. et Apolog. I. c. 53. Cf. Tillemont Note 3. sur s. Justin.

S. Justini vita.

ascendendo ad sapientiam veram brevi se appropinquaturum, atque inde illico ipsum Deum conspecturum esse sibi persuaderet. Quem finem ut assequeretur, vitare hominum consortia et solitudinem consectari statuit. Locum itaque mari vicinum cum sibi elegisset, ibique solus deambularet, Senex quidam venerabilis[1]), cujus in vultu comis residebat gravitas, sermones cum illo miscere coepit, quibus incipiendo a philosophiae definitione et ab iis veritatibus, quas philosophia Platonica summas agnosceret et suggereret, ejusque porro defectus illi commonstrando, eo demum transiit, ut ostenderet, ea, quae de his mysteriis neque Plato perspexerit, nec perspicere unquam possit ratio humana, revelata esse ministerio Prophetarum. Hos ipse commendabat ab antiquitate, qua philosophos longe superent, a Spiritu sancto, quo afflante vaticinati sint, ab eventu rerum praedictarum, a summa in edendis oraculis libertate et constantia, a miraculis, quibus vaticinia sua confirmarint, ab ipsa denique oraculorum istorum sanctitate, Deum mundi creatorem ejusque Christum unice celebrantium. Tandem discedens Justinum hortatur, ut haec meditando prosequatur eorumque intelligentiam precibus a Deo postulet.[2]) Hoc colloquio et subsequente s. Scripturae lectione ac meditatione, juncta cum precibus ad Deum fusis, nec non consideratione constantiae Christianorum in cruciatibus perferendis[3]) permotus Justinus, valere jussis philosophorum sectis, christianam religionem amplexus Christique doctrinam aperte professus est, nullo

---

[1]) Senex ille quisnam fuerit, disceptant Eruditi. Alii eum angelum divinitus missum fuisse suspicantur, ut Tillemont S. Justin Art. IV., alii uti Fabricius Polycarpum eum fuisse opinantur. Sed conjiciendum potius videtur, fuisse alium quemdam senem christianum illius aetatis in s. Scripturis bene versatum. Cf. Freppel l. c. p. 103. — Certe Justinus post illum congressum non amplius vidit hunc senem. V. Dialog. c. Tryph. c. 8.

[2]) Operae pretium est, haec omnia fuse relata ab ipso s Justino in Dialog. c. Tryph. c. 2—8. cf. c. 23. apud ipsum relegere. Cf. Semisch, P. I. p. 23.

[3]) Justin. Apolog. II. c. 12. cf. Euseb. lib. 4. c. 8.

S. Justini vita.

jam periculi metu perterritus[1]), pallio tamen philosophico retento, utpote quod eorum, qui scientias vel austerius vivendi genus, profitebantur, insigne erat.[2]) Hoc sub habitu novus jam homo diversas peragravit regiones, Aegyptum scilicet, Asiam et Italiam[3]), et ubicunque Apostolorum discipulos ac successores nactus esset, ab iis multa de Christo institutaque ab illo religione sciscitatus est; tum vero iterum, quotiescunque occasio oblata esset, verbum Dei omnibus praedicare sui officii duxit.[4]) Assiduam quoque operam posuit in evolvendis Scripturis sacris[5]), et ea christianae doctrinae cognitione comparanda, quae homini erudito et ad religionis defensionem nato congrueret. Ubi autem se de omnibus plene edoctum sensit, ad impugnandos illico Gentiles, Judaeos ac haereticos omnis generis animum suum applicuit (cf. Dial. c. Tryph. c. 50.), cum clarissimis quibusque viris verbo aut scripto congredi solitus, nec paucos Deo et Ecclesiae lucratus. Romam bis profectus scholam ibi aperuit[6]), Marcioni haeretico

---

[1]) Cf. Just. Dial. c. Tryph. c. 120.

[2]) Just. Dial. c. Tryph. c. 1. Cf. Euseb. lib. 4. c. 11. Phot. Cod. 125. Inde etiam philosophi nomen tulit s. Justinus. — De habitu philosophico ejusque significatione vid. Tertullian. de Pallio c. 6. Cf. Semisch. I. Thl. S. 23. — Eundem morem jam ante s. Justinum retinuerat s. Aristides, Hieron. de viris illustr. c. 20.

[3]) Id evidenter probat Semisch Op. cit. p. 23 — 27. Cf. Prud. Marani Praefat. P. III. c. 7. n. 1.

[4]) Euseb. lib. 4. c. 11. Cf. Just. Dial. c. Tryph. c. 8. 58. 64. 82. et 125.

[5]) Quantum habuerit usum s. Scripturae, declarat illius cum Judaeo Tryphone Dialogus, in quo immensam propemodum testimoniorum silvam depromit, quam quidem memoriter in ipso congressu et colloquio recitatam fuisse necesse est; Scripturam quoque ipsam sic interpretatur, ut Judaicam pertinaciam perfringat. Cf. Dial. cum Tryph. c. 58.

[6]) Euseb. lib. 4. c. 11. Hieronym. de viris illustr. c. 23. Acta Martyr. s. Justin. c. 2. et 3. Cf. Semisch S. 26 — 27. Note. Utrum s. Justinus etiam Presbyter fuerit, cum Veterum nemo id diserte adstruat, multum hodie disputatur; Presbyterum eum fuisse praeter alios affirmant Prud. Maranus Praef. P. III. c. 2. n. 1 Tillemont l. c. Art. VI. Mazoch. Disquisit. VII. in Acta Martyrii s. Justini ap. Galland. T. I. p. 725. Lumper P. II. p. 54—57. Möhler Patrol. I. Bd. S. 191.

tum adhuc in Urbe superstiti fortiter restitit, cum jam antea volumen aliud contra omnes haereses emisisset.[1]) Ephesi Tryphonem Judaeum secum disputantem devicit, neque dubitavit duas apologias, quarum fronti nomen suum inscripserat, ipsis Imperatoribus, infensis Christianorum hostibus offerre. Cum vero Romae Crescentem, philosophum Cynicum, qui multa adversus Christianos blasphemabat, ceu hominem gulosum et mortis timidum, luxuriaeque et libidinum sectatorem argueret, tandem, quod dudum jam fore exspectaverat, Justinus ejusdem aemulatione et insidiis, quod Christianus esset, accusatus, remunerationem linguae fidelis martyrii munus accepit atque pro Christo sanguinem fudit. Quo autem anno mortem obierit, non omnino liquet; satis probabile est, eam anno circiter 167. post Christum contigisse.[2]) S. Justini vita.

§. 50.

S. Justini Apologiae duae.

Praeclara inter ingenii atque doctrinae s. Justini monumenta plena multiplicis utilitatis, quibus Ecclesiam mirifice illustravit, et quorum olim plurima in manibus Christianorum versabantur, alia sunt, quae hodie adhuc exstant et merito genuina habentur, alia sunt, de quorum authentia haud levia moventur dubia, alia demum eaque pauca dudum injuria temporum periere.[3]) Opera

---

Münchner Archiv, J. 1842 (S. 325). Negat vero cum aliis Semisch I. Thl. S. 23—24. Note.

[1]) S. Irenaeus adv. haer. lib. 4. c. 6. n. 2. Justin. Apolog. I. n. 27. Euseb. lib. 4. c. 11. S. Hieronym. l. c.

[2]) S. Hieronym. l. c. S. Justin. Apolog. II. c. 3. Tatiani Orat. contra Graecos n. 19. Euseb. lib. 4. c. 16. Acta Martyrii s. Justini, quae a plerisque Criticis genuina habentur. Chronic. Alexandrin. (ed. Rader) p. 606. Euseb. Chronicon ad a. 13. Imp. Antonini. Cf. Semisch I. Thl. S. 16—18 und S. 47—55. Lumper P. II. p. 54.

[3]) Deperdita sunt insignia ejus contra Marcionem volumina et alius liber contra omnes haereses, volumen item contra Gentes, ubi de Dae-

S. Justini Apologia prima.

s. Justini Martyris certo genuina sunt Apologiae duae et Dialogus cum Tryphone Judaeo.

I. Inter haec primum certe locum occupat *Apologia major* seu *prima*[1]), quam Romae scripsit (Euseb. lib. 4. c. 11.) circa a. 139. vel a. 150. ac Imperatori Antonino Pio ejusque filiis adoptivis Marco Aurelio et L. Vero atque Senatui Romano obtulit, petens, ut commentariis publicis inscriberetur, quod et factum est.[2]) Ea ab omnibus tamquam genuina agnoscitur.

Apologia haec ab ipso auctore in duas partes dispescitur (cf. n. 12. fin.). Pars I. (n. 1—12.) Christianos ab injusta persecutione defendendos suscipit; Pars II. (n. 13. — fin.) veritatem et praestantiam religionis christianae, praesertim si comparetur religioni Gentilium, demonstrare

---

monum natura sententiam suam exposuit, et de plurimis quaestionibus, quae tam a nostris, quam a Gentilium philosophis agitari solent, uberrime disputavit, et alius liber, cui titulum: Psaltes (scilicet, uti videtur de Psalmodia christiana) fecit, et alius de anima etc. Vid. Euseb. lib. 4. c. 18. Hieron. l. c. c. 23. Phot. Cod. 125. Cf. Prud. Maran. Praefat. P. III. c. 3. n. 3—4. Lumper P. II. p. 124 — 27. Semisch I. Thl. S. 56—57. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 67.

[1]) Apologia prolixior seu major in vulgatis editionibus, si Thiribii Londinensem (a. 1722), Prud. Marani Parisiensem, et Venetam Gallandii in sua Bibliotheca Patrum omnesque posteriores excipias, breviori postponitur adeoque *secunda* apud Theologos antiquiores (saeculi XVI. et XVII.) appellari solet. At omnium jam eruditorum consensu constat, eam Apologiam, quae in Justini operibus antiquitus priori loco inserta fuit, re ipsa posteriorem esse. Hinc ubicunque Apologiam I. allegabo, semper prolixior erit intelligenda. Cf. Lumper P. II. p. 58—60.

[2]) Vid. Apolog. I. n. 56. Dial. c. Tryph. n. 120. Apolog. II. n. 4. 6. 8. — De anno, quo scripta fuerit haec prior apologia, duplex potissimum viget sententia, utraque argumentis haud contemnendis suffulta, cf. Semisch I. Thl. S. 64 — 74. Lumper P. II. p. 60 — 64. Prud. Marani Praefat. P. III. c. 5. n. 4. — Probabilius tamen videtur eam c. a. 150 scriptam esse. Nam Lucius Verus (n. 15° Dec. 131) in inscriptione dicitur *philosophus* et *doctrinae amator*, quod encomium aegre puero octenni dari poterat; haeresis Marcionis jam diffusa appareret, quod nonnisi post a. 139 secundum antiquos accidit; et ipse Justinus 150 annos inde a Christo nato transiisse ait. Cf. Freppel l. c. p. 229.

S. Justini Apologia prima.

instituit, quo iis, qui veritatem amant, persuadeat, ut eam in religione christiana et agnoscant et amplectantur. — In *priori* parte ostendit, justitiam, quam sectari profitentur Imperatores, exigere, ut non solius nominis causa puniantur Christiani et suppliciis afficiantur; nulla enim Christiano qua tali inhaerere crimina. Hunc in finem probat:

a) Nec eos esse *atheos*, cum deos quidem Gentilium falsos, i. e. daemones non colant, sed potius Deum Patrem ejusque Filium et Spiritum sanctum adorent ac venerentur, ceu Creatorem omnium rerum, auctorem fidei nostrae et immortalitatis largitorem. — b) Nec ideo, quod *vetustum deorum cultum relinquant*, esse poena dignos, imo potius inanium deorum cultu rejecto recte et rationabiliter egisse Christianos, quandoquidem idololatria a malis daemonibus originem traxerit, nec idolorum cultu quidquam absurdius possit inveniri. — c) Neque demum Christianos *hostes publicos* esse probat exponens, humanum regnum eos minime exspectare, quin etiam eorum principia ad pacem et reipublicae tranquillitatem plurimum conferre, eos denique subditorum officia omnia summa fide adimplere, ac pro Imperatorum etiam vera salute enixe precari (n. 1—13.).

In *altera* parte sequitur *demonstratio veritatis religionis christianae* (n. 13.). Hanc autem Gentilibus ut veram et rationabilem (n. 13. et 53.) commendat 1) *ab effectibus*, quem in finem mirabilem totius vitae morumque mutationem delineat, quam ii prae se ferunt, qui a daemonum cultu recesserunt et fidem Christi amplexi sunt (n. 14.). — 2) *A praestantia doctrinae morum* a Jesu Christo hominibus traditae, quem in finem eximia Jesu Christi praecepta de castitate, de dilectione omnium hominum, de patientia, veracitate, obedientia regibus praestanda, de tributis et vectigalibus solvendis etc. proponit (n. 15—17.). — 3) *A praestantia doctrinae Christi theoreticae*, quem in finem retributionem omnibus futuram, animae immortalitatem, et corporum etiam resurrectionem ceu doctrinas christianas allegat et probat (n. 17—20.). — 4) Ab illa *similitudine*, quae christianae doctrinae de immortalitate et resurrec-

S. Justini Apologia prima.

tione, nec non de mysteriis vitae Jesu Christi inhaerere videtur cum nonnullis philosophorum et poëtarum placitis, licet haec illam ne eminus quidem attingant (n. 20—22.). — 5) Insuper veritatem religionis christianae inde quoque haud obscure colligi posse adstruit, quod soli Christiani religionis suae profitendae et exercendae libertate non fruantur, nec non quod a cultu deorum, qui flagitia patrasse narrantur, ad purissimum unius Dei cultum, quamvis morte proposita, conversi huic se penitus consecraverint, demum quod nulla haereticos omnes persecutio infestet, ut adeo solam in Christianis veritatem a *daemonibus odio* haberi constet (n. 23—26.). — Denique luculento exemplo Gentilibus ostendit praestantiam religionis christianae, quae scilicet *infantium expositionem*, Gentilibus passim usurpatam et permissam, nequaquam licere doceat (n. 27—29.). — Ubi jam his omnibus praeparationis potius, quam demonstrationis causa praemissis (cf. n. 13. n. 14. n. 18. n. 20. n. 23. et n. 30.), Gentilium animos occupavit promtioresque reddidit, ipsam aggreditur demonstrationem (n. 30.), in eaque non tam ex miraculis, quae arti magicae tribuere possent Gentiles, sed ex certissimis ac firmissimis *prophetiis Incarnationem Filii Dei* tamquam dogma Christianorum principale et unicum religionis christianae fundamentum demonstrat, quippe cum diu antea diversa vitae Jesu Christi mysteria, nativitas ex Virgine, miracula ab ipso patrata, mors in patibulo crucis, resurrectio et ascensio, propagatio religionis christianae in mundum universum, reprobatio Judaeorum et fides Gentium in Jesum Christum fuerint praedicta (n. 30—53.), quod nonnisi Deo inspirante fieri potuerit. — Porro ad confirmationem hujus demonstrationis ostendit, quam infirma et futilis sit tota Gentilium doctrina, si comparetur cum religione christiana, quemadmodum sit ex scriptis Mosis et Prophetarum excerpta et per imitationem ad ludibrium expressa a daemonibus, qui et post Christi adventum ab hac imitatione non destiterint (n. 54—60.). Denique quo et innocentia Christianorum et veritas religionis christianae clarius patescat, totam cultus divini

rationem aperte exhibet accurate enarrans, quomodo Christiani initientur *baptismo*, quem pariter imitati daemones aspersiones et lavacra apud Gentes induxerint; dein etiam, quomodo consecretur *Eucharistia*, et quid sit et quae tota series eorum, quae in religiosis Christianorum conventibus agantur, exponit (n. 61—67.) sicque operi suo admonitione ad Imperatores directa finem imponit (n. 68.).[1]) — Elucet in hoc opere eximia dicendi libertas sine temeritate, summa in Imperatores reverentia sine assentatione; sic autem communem causam s. Martyr defendit, ut qui veritatem apud antiquos libenter investigant, ii in hoc eximio monumento doctrinam et mores ac instituta veterum Christianorum oculis subjecta spectare et perspicere possint.

S. Justini Apologia secunda.

II. Alteram quoque scripsit *Apologiam breviorem* seu *secundam*, quam successoribus ejusdem Antonini, M. Aurelio et L. Vero tradidit intra annum 161 — 166.[2]) Occasionem eidem praebuere et persecutio gravissima sub M. Aurelio exorta, ac praesertim insigne quoddam injustitiae et crudelitatis specimen contra Christianos Romae editum.[3]) Apologia haec, quae certe posterior est (cf. n. 4.

---

[1]) Subjungi solent in plerisque editionibus huic Apologiae tres epistolae, una Hadriani, altera Antonini, tertia Marci Aurelii in gratiam Christianorum datae; harum primam ab ipso Justino subjunctam fuisse constat; alteram ex Eusebii historia huc translatam fuisse, probabilis est conjectura; tertiam vero confictam esse, hodie fere communis est sententia, cf. Prud. Maran. Praef. P. III. c 5. n. 5. Tillemont Note XI. sur s. Justin. Mazoch. Disquis. in Galland. T. I. p. 728—31.

[2]) Euseb. lib. 4. c. 16. et 18. S. Hieronym. de viris illustr. c. 23. Phot. Cod. 125. Cf. Prud. Maran. Praefat. P. III. c. 8. n. 4. Apologiam hanc oblatam esse Antonino Pio circa a. 150. alii contendunt, iisdem Veterum (Euseb. et Hieron.) locis parum perspicuis nixi, ut Galland. T. I. Prolegom. c. 17. Sect. III. et c. 19. n. 2. Cf. Lumper P. II. p. 76—82. Semisch I. Thl. S. 74—75.

[3]) Rem ipsam enarrat Justinus initio Apologiae. *Mulier quaedam*, scribit, *cum viro degebat intemperanti, intemperans et ipsa prius; sed postquam Christi doctrinam cognovit, ipsa ad meliorem frugem se recepit, ac viro, ut similiter sese colligeret, persuadere conata est, christianam illi doctrinam exponens, et futura his qui libidinose ac praeter rectam rationem vixerint, in aeterno igne supplicia denuntians. Verum ille in iisdem flagitiis permanens, factis suis alienavit*

S. Justini Apologia secunda.

6. 8.), tamquam appendix et supplementum prioris, quae in tabulariis publicis deposita[1]) adeoque satis nota erat, considerari potest. In ea, quum ab initio conditionem Christianorum tristissimam exemplis quibusdam adductis depinxisset (n. 1. 2.) et Christianorum hostem Crescentem philosophum acrius perstrinxisset (n. 3.), duas potissimum Ethnicorum objectiones diluit. Ad priorem quippe objectionem, cur non sibimet ipsi mortem inferant Christiani, ut citius ad Deum perveniant (cf. Apolog. I. n. 8.), egregio plane modo rationem reddit Justinus, cur nihil ejusmodi faciant, interrogati tamen intrepide et constanter fidem suam confiteantur (n. 4.). Alteram vero objectionem, Deum, si vere esset adjutor Christianorum, non permissurum, ut ab improbis opprimantur et occidantur, nonnihil fusius ita dissolvit Justinus, ut rem hanc profundius et solidius discutiens ostendat, ex hac persecutione a Deo permissa majorem Dei in daemones malos potentiam, ejusque sapientiam et justitiam relucere, veritatem quoque et praestantiam religionis christianae atque Christianorum innocentiam inde magis conspicuam fieri, qua occasione et de libero hominis arbitrio et de aeternis improborum in gehenna poenis disserit (n. 5—13.).

---

a se uxoris animum. — Uxor timens ne impietatis viri particeps fieret, post moram sat diuturnam postremo ab eo, misso repudio, discessit; videlicet cohabitare cum ipso amplius noluit. Tunc vir eam accusavit, quod esset Christiana. Obtinuit ipsa quidem, libello Imperatori oblato, ut ei concederetur, prius domui suae prospicere, ac dein accusationi respondere. Maritus vero furorem suum tunc vertit in Ptolomaeum quemdam, qui mulieris in re christiana magister fuerat. Is, mandante Urbico praefecto, id tantum interrogatus, an Christianus esset, quum se esse profiteretur, in carcerem conjectus diuque ibi afflictus est. *Postremo coram Urbico adductus, similiter id unum interrogatus est, an esset Christianus; ac praeclare sibi ob traditam a Christo doctrinam conscius, institutionem divinae virtutis iterum confessus est.* — Illico eum ad supplicium abduci jussit Urbicus. Sententiam iniquam et a ratione alienam Lucius quidam reprobavit Urbico. *Tum ille nihil aliud respondens, sic Lucium alloquitur: Tu quoque ex hoc hominum genere esse mihi videris. Cum Lucius respondisset: „Maxime," jussit eum Urbicus pariter abripi. — Tertius superveniens eodem supplicio damnatus est.* Apol. II. n. 1. 2.

[1]) Justin. Dial. c. Tryph. n. 120. cum nota Prud. Marani.

§. 51.

Dialogus cum Tryphone.

S. Justini Dialogus c. Tryphone.

III. Non satis habuit s. Justinus, fortiter impugnasse Gentiles, ut agnita religionis christianae veritate et praestantia eandem et ipsi profiterentur, sed et Judaeos pari zelo animatus ad religionem christianam pertrahere conatus est. Hunc in finem ab illo post Apologiam I.[1]) compositus est *Dialogus cum Tryphone*, omnium tunc temporis Judaeorum celeberrimo, qui ortus est ex disputatione, quam habuit Ephesi per duos continuos dies cum isto Judaeo[2]), quamque postea per otium forsan emendatam litteris mandavit, sicuti promiserat Tryphoni ejusque sociis.[3]) Dialogus iste haud incerta Veterum auctoritate s. Justino adjudicatur, et cactera omnia ab illo vere hunc tractatum esse conscriptum aperte testificantur.[4]) Constat autem haec Disputatio prooemio et tribus partibus. Postquam in *prooemio* Justinus occasionem hujus colloquii suamque conversionem ad religionem christianam narravit (n. 1—9), in *prima parte* (n. 10—48) *praejudicatae Judaeorum* de lege Mosaica et de christiana religione *opiniones* refelluntur; in *secunda parte* (n. 49—108) christiana *dogmata* de Christi divinitate, incarnatione et redemptione ex ss. Scripturis *probantur*; in *tertia parte* (n. 109—142) pari ratione de *vocatione gentium et Christi Ecclesia* per prophetas praedicta disseritur.

In *prima* parte igitur Trypho incipiens disputare contra religionem christianam objicit, quod Christiani legem Dei, datam per Mosen non observent, deinde etiam quod,

---

[1]) Vid. Dial. c. Tryph. n. 120. cf. Apolog. I. n. 26. et n. 56.

[2]) Euseb. lib. 4. c. 18. Hieron. l. c.

[3]) Dial. c. Tryph. n. 80. Cf. Lumper P. II. p. 88—91. Semisch, P. I. p. 100—194.

[4]) Euseb. lib. 4. c. 18. Hieronym. l. c. Cf. Semisch P. I. p. 75—100. — Integritas Dialogi hujus a nonnullis in dubium vocata strenue defenditur a Prud. Marano Praefat. P. III. c. 7. n. 5.

S. Justini Dialogus c. Trpyhone.

cum spem suam ponant in homine crucifixo, semet tamen aliquid boni a Deo consecuturos esse sperent, quamvis legem a Deo latam non custodiant (n. 10). Huic itaque occurrens Justinus agit primum de lege Veteris Testamenti, probatque Legem Veterem Vetusque Testamentum esse abrogatum per Legem et Testamentum Novum. Quod ut Judaeis persuadeat, triplicis generis praecepta in Lege Veteris Testamenti contineri statuit; alia scilicet ad Dei cultum et justitiae observationem esse data, et haec ut vere adimpleantur, non secundum litteram, sed secundum spiritum esse intelligenda et observanda, eaque ratione a solis Christianis, qui justitiam non in observanda quorundam externorum rituum, sed in fide et bonis operibus collocent, Dei gratia adjuvante observari, qui idcirco etiam haereditatem vitae aeternae adepturi sint; alia vero ob duritiam cordis populi Judaici praescripta fuisse, ne in idololatriam laberentur Deive obliviscerentur, et haec jam non esse necessaria; demum alia ad Christi mysterium respicere, qui tamquam Deus ab omnibus adorandus atque homo in cruce passus et a Prophetis praedictus et a Lege praefiguratus fuerit, et haec ultima necessario in ipso Messiae adventu tamquam fine suo desinere. Porro etiam inde, quod multi ante legem Mosaicam justi fuerint, evincit, legem Mosaicam non esse omnino necessariam (n. 11—47).

Dein Justinus in *secunda* parte alterum objectionis a Tryphone allatae caput discutit, scilicet incredibile esse nec cum Veteris Testamenti Scriptura convenire, Messiam esse ipsum Deum, non tamen Patrem, Deumque hominem factum et ex Virgine natum esse, ipsum denique tam ignominiosam mortem crucis subiisse, cum ab ipsa lege Mosis maledictus appelletur omnis, qui pendet in ligno. Has difficultates soluturus primo quidem duplicem Christi adventum necessario distinguendum docet, alterum tamquam despecti et passibilis hominis jam factum, alterum gloriosum tamquam Judicis futurum, atque demonstrat ex prophetia Patriarchae Jacob luculenter adimpleta, Jesum esse Messiam a Deo promissum. Tum a Tryphone inter-

pellatus probat, praesertim ex Theophaniis Veteris Testamenti, Filium Dei ante omnia tempora cum Deo Patre exstitisse tamquam verum Deum, quoad personam tamen a Patre distinctum; hunc eundem porro secundum voluntatem Dei non communi hominum more, sed ex Virgine natum esse, sicut ab Isaia Propheta (c. 7.) praedictum est. Denique etiam ostendit, Messiam in ligno crucis ignominioso esse moriturum, tum in typis legis Mosaicae adumbrari, tum maxime ex Psalmo 21. patere, quem totum explicat, eaque occasione etiam Christi resurrectionem a prophetis fuisse praedictam paucis indicat (n. 48—108). S. Justini Dialogus c. Tryphone.

Hinc Justinus ad *tertiam* Judaeorum objectionem transit, quare scilicet Christiani a Gentilibus non separentur; eamque destruit ostendens, prout Jesus promissus Messias sit et Salvator mundi, ita eos, qui credunt in Illum, haeredes promissae in illo benedictionis, verum spiritualem Israël, ac populum Dei esse, ad quamcunque demum gentem pertineant. Istud porro ita declarat, Redemptionem Christi, sanguine ejus et morte peractam, Novumque Testamentum non ad unum populum, sed ad omnes gentes extendi, quarum ideo conversio et adoptio, et Judaeorum ex parte saltem reprobatio dudum a prophetis praedicta fuerit. Abhinc omnes, qui in Christum crediderint, juxta vaticinia prophetarum novum populum esse, Judaico longe praestantiorem, eosdem pariter numerosum genus esse, Abrahae ejusque filio et nepoti promissum, hinc etiam benedictionem in semine Abrahae (i. e. Christo) promissam non ad Judaeos eorumve proselytos, sed ad Christianos spectare, qui veri sunt Israelitae et filii Dei, et laetantur cum populo Dei antiquo, ut prophetae praedixerunt, ac vocationem suam morum sanctitate comprobant, cum Judaei summa semper impietate Deum offenderint adhucque offendant, qui denique promissam populo Dei haereditatem aeternam accepturi sunt (n. 109—140). Addita demum exhortatione ad conversionem Judaeorum finit opus.

Dialogus hic ob summa christianae doctrinae dogmata solide ac diligenter pertractata in maximo semper ab

S. Justini Dialogus c. Tryphone.

omnibus habitus est pretio. Praesertim vero ibi loci omnes prophetici de Christo, quibus usa est antiqua Ecclesia et quos ipsi Judaei ceu tales agnoverunt (Dialog. n. 89.), proferuntur et explicantur, Psalmi Messiani explanantur, addita demonstratione, eos in nullum alium, sive Solomonem, sive Ezechiam, nisi in solum Christum convenire. Typi quoque Veteris Testamenti plurimi egregie et ingeniose dilucidantur.

§. 52.

S. Justini Opera dubia.

Opera dubia.

Opera haec talia sunt, ut, quamvis s. Justini esse possint, testimonia tamen Veterum, quae pro iisdem faciunt, id non plene evincant. Insuper stylus, cogitandi ratio et sententiae quaedam singulares genuinis s. Justini Operibus dissimiles videntur, ita ut de authentia dubium animo ingerant. Huc pertinent

1) *Oratio ad Graecos (λόγος πρὸς Ἕλληνας),*

2) *Cohortatio ad Graecos (λόγος παραινήτικος πρὸς Ἕλληνας),*

3) *Tractatus de Monarchia (περὶ μοναρχίας)* seu *de Unitate Dei.*

Oratio ad Graecos[1]) seu Gentiles brevis est expositio rationum, quibus adductus Gentiles missos fecit et factus est Christianus. Rationes autem istae sunt turpitudines et scelera, quae ab Homero et Hesiodo, Gentilium Theologis, de diis atque heroibus suis referuntur, cultus ejusmodi diis conveniens et moribus perniciosus, religionis vero christianae praestantia, ad quam amplectendam eos impense hortatur.

---

[1]) De ejus authentia cf. Prud. Maran. Praef. P. III. c. 2. n. 2. („Nemo illam abjudicat s. Martyri, nec profecto videtur abjudicanda"). Lumper P. II. p. 104—7. Möhler T. I. p. 224. Semisch P. I. p. 163—167. Freppel l. c., Appendice sur l'authenticité des oeuvres de s. Justin, p. 459.

S. Justini scripta dubia.

Cohortatio ad Graecos[1]), cujus scopus est demonstrare, verae religionis cognitionem non a Graecis scriptoribus, sed a Prophetis petendam esse (n. 34—36.), duabus potissimum partibus constat, quarum prima s. Martyr demonstrat, nihil de vera religione ex scriptoribus Graecis sive poëtis, sive philosophis plurimum inter se dissentientibus cognosci posse, eosque magistros Graecorum multo recentiores esse magistris Christianorum, Moyse scilicet aliisque, qui inter se concordes scientiam religionis a Deo acceperunt revelatam (n. 1—13.). Altera autem parte ostendit, si quid veri dixerint scriptores Graeci, Plato, Homerus aliique, id ad commendationem christianae religionis valere, utpote haustum ex Hebraeornm fontibus, quod pluribus illustrat exemplis, ex. gr. de unitate Dei, „quod primum est verae religionis insigne"; (n. 14—39.).

Tractatus de Monarchia[2]) unum solum verum Deum esse, eumque justissimum fore omnium hominum judicem, demonstrat ex solis testimoniis, non omnibus tamen genuinis, Graecorum poëtarum atque Platonis; hincque infert, missis falsis Gentilium diis soli vero et immutabili Deo adhaerendum esse.

Nec immerito huc refertur *Fragmentum de Resurrectione,* quod praeclarissima continet futurae resurrectionis corporum argumenta et a quibusdam, cum omnibus suis partibus absolutum sit, et nec exordio careat, nec conclusione, integrum potius opusculum, quam fragmentum esse putatur.[3])

---

[1]) De ejus authentia cf. Prud. Maran. Praef. P. III. c. 2. n. 2. 3. 4. Tillemont T. II. Note VI. sur s. Justin. (p. 645—46). Lumper P. II. p. 101—4. Möhler Patrol. p. 224—226. Semisch P. I. p. 105—145. Freppel l. c. p. 455.

[2]) De ejus authentia cf. Prud. Maran. l. c. n. 6. Tillemont T. II. Note VII. sur s. Justin. (p. 646—47). Lumper P. II. p. 107—110. Möhler Patrol. p. 222—224. Semisch P. I. p. 167—172. Freppel l. c. p. 460.

[3]) Cf. Prud. Marani Admonitio in Partem II Append. Opp. Justini (p. 631—32). Lumper P. II. p. 127—30. Semisch P. I. p. 146—61. Freppel l. c. p. 461. — Fragmentum hoc, sicut alia plura, inter Pa-

Nota. Opera suppositicia notatu digniora sunt: *Epistola ad Zenam et Serenum*, *Expositio rectae Confessionis* (quae Nestoriana fidei expositio nonnullis videtur et a quibusdam Veterum nomine *libri tertii de Trinitate* s. Justino philosopho et martyri adscribitur, de quo titulo cf. P. Marani Admonit. Operi huic praemissa), *Quaestiones et Responsiones ad Orthodoxos* (quo in Opere nonnulla Pelagianam haeresin redolent), *Quaestiones Christianorum ad Graecos et Graecorum ad Christianos*, denique *Confutatio quorumdam Aristotelis dogmatum*. Haec omnia Opera spuria saeculo quinto originem suam debere videntur. Extant gr. et lat. in Append. I. Opp. s. Justini ed. Prud. Marani, qui et singulis eruditas Admonitiones praemisit. Migne, P. Gr. T. VI. p. 1181 sqq. Cf. Lumper p. II. p. 111 — 23. Möhler Patrol. p. 227 — 33. (Vers. gall. T. I. p. 209 sqq.).

§. 53.

S. Justini M. doctrina et character.

S. Justini doctrina.

Praeclara fidei catholicae documenta in scriptis s. Justini passim obvia sunt, ex quibus aliqua adnotasse sufficiat:

1) *Liberum hominis arbitrium* disertis verbis adstruit, *praedestinationem absolutam* ad poenas aeternas rejicit et *justificationem* in vera peccatorum remissione collocat, dicens: „Deum, cum angelos et homines suae voluntati parere vellet, liberos ad justitiae observationem creare voluisse, indita eis ratione, qua eum cognoscerent, a quo creati sint, et imposita hac lege, ut ab eo judicarentur, si praeter rectam rationem facerent; quam ob rem per nos ipsi (i. e. nostra propria culpa) homines et angeli improbitatis arguemur, nisi poenitentiam occupemus.[1]) Quodsi Verbum Dei praedicit omnino quosdam angelos et homines punitum iri, idcirco haec praedicit, quod eos citra ullam immutationem improbos futuros praenosceret,

---

rallela s. Joanni Damasceno tributa graece servatum est. — Alia quaedam s. Justini Fragmenta habentur in ejus Opp. ed. Prud. Marani Append. P. II. (p. 636—49).

[1]) His verbis aperte innuit, non solum liberos creatos homines, sed adhucdum etiam liberos existere, quod et alibi diserte affirmat, cf. Dialog. c. Tryph. n. 140. et n. 102. (*πεφυλαγμένον αὐτεξουσίον*) et n. 88. item Apolog. I. n. 43—44. cf. n. 28. Apolog. II. n. 7.

nequaquam autem quod eos tales fecerit. Quapropter si poenitentiam agant, licet omnibus, quicunque voluerint, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura praedicat his verbis: *Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum;* id autem hanc vim habet (τοῦτο δὲ ἐστὶν), ut peccatorum poenitentiam agens peccatorum a Deo remissionem (ἄφεσιν) accipiat, nequaquam autem, quemadmodum vosmetipsos decipitis, et alii quidam vobis similes, qui dicunt etiamsi peccatores sint, Deum tamen, modo eum cognoscant, non imputaturum illis peccatum." Dial. c. Tryph. n. 141. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. can. 5. 6. 17. 11. et 14. S. Justini doctrina.

2) *De merito bonorum operum* haec statuit: „Edocti a prophetis poenas et supplicia ac bonas remunerationes pro meritis actionum cujusque irrogari, verum esse confirmamus. — Fatum ineluctabile illud esse dicimus, his, qui bona eligunt, merita praemia, his vero, qui contraria, debitam mercedem." Apolog. I. n. 43. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 16. et can. 26. et 32.

3) *Vera et realis Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiae sacramento praesentia* his verbis ab eo docetur: „Neque ut communem panem, neque ut communem potum ista (Eucharistiam) sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem verba ipsius continentem gratiae actae sunt (quae per precem . . . consecrata est) alimoniam, ex qua sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus."[1]) Apolog. I. n. 66. Cf. Concil. Trident. Sess. 13. cap 1. et can. 1. et 11.

4) *Eucharistiam* quoque *sacrificium* esse, conceptis verbis declarat: „Qui per illius (i. e. Christi) nomen sacrificia (θυσίας) ipsi offerunt ea, quae a Jesu Christo praescripta, i. e. quae in Eucharistia panis et calicis a Chri-

[1]) Locus hic perbene explicatur in Lumper P. I. p. 194 sqq. et Möhler T. I. p. 244—47. Prud. Maran. Praef. P. II. c. 9.

stianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur."[1]) Dial. c. Tryph. n. 117. Cf. n. 41. Cf. Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. et can. 1.

Naevi quidam in s. Justino.

Caeterum in quibusdam s. Justinus a veritate paululum aberravit. Sic praeter dogmata de Chiliasmo, angelos cum mulieribus stupri consuetudinem habuisse et supplicia daemonum ad extremum et generale judicium esse dilata existimavit; verum hi naevi, qui communes ei cum pluribus aliis antiquis Patribus fuere, nihil auctoritati illius detrahunt.[2]) Nonnulla vero in ejus Operibus deprehendere licet, quae benigna interpretione indigent, ut quae de materiae creatione, de cultu angelorum et astrorum, de salute aeterna eorum Gentilium, qui secundum rationem vixerunt, de animarum statu usque ad resurrectionem et extremum judicium, de jurejurando Christianis omnino prohibito profert.[3]) Sunt etiam, qui asserant, negasse illum praecipuum christianae religionis dogma, Verbi nempe aeterni divinitatem, ipsumque hanc de Verbo doctrinam in Platonis schola excepisse atque exinde primum Platonismum in Ecclesiam invexisse. Sed illi nonnisi partem quamdam doctrinae s. Justini considerant, cum ipse Verbum esse Deum a Patre distinctum, non tamen separatum, clare fateatur, atque Platonis et s. Justini doctrina de Verbo Dei longe inter se discrepet.[4]) — Scribendi genus in Apologiis, quae ad Gentiles diriguntur, vehemens est; vir quippe loquitur, cui de causae suae bonitate omnino persuasum est, qui fratrum amore ac ardenti pro gloria Dei fervore animatus est. Illud vero, quo cum Judaeis dis-

---

[1]) Lumper P. II. p. 203 sqq. Möhler T. I. p. 247 — 249. Prud. Maran. Praef. P. II. c. 10.

[2]) Cf. Prud. Maran. Praef. P. II. c. 13. n. 3. 4. Lumper P. II. p. 279—86.

[3]) De his cf. Prud. Maran. Praef. P. II. c. 2. 3. 4. 11. 12. 13. Lumper P. II. p. 261 sqq.

[4]) Cf. Prud. Maran. Praef. P. II. c. 1. Lumper P. II. p. 274—77. p. 139 sqq. p. 311—16.

putat, gratiam quamdam habet, quae dialogorum propria est. Sed in utriusque generis scriptis idearum nexus haud raro obscurus est, eo quod frequentes digressiones, quas suis in ratiociniis admittit, facile lectorem adeo perturbent, ut sine magna attentione et iterata lectione vix rerum nexum perspicere valeat. A se dicta rationibus quidem et argumentis sat validis confirmat, quae tamen non semper pro rei dignitate prosequitur; verum subinde et infirma argumenta adhibet. Maxime in Lege Mosaica et Prophetis eruditus divinarum Scripturarum, quas singulari cum devotione cultuque prosecutum fuisse ex ejus scriptis passim elucescit, scientia excelluit; hinc innumerae propemodum illae sacrarum Litterarum ejus in Operibus allegationes atque expositiones.[1]) Rhetoricae artis non valde studiosus erat, utpote qui in scriptis suis veritatem non quidem sine nervis, nec sine summa vi ingenii defendit, at nulla prorsus orationis ornamenta ad illius defensionem adhibenda existimavit.[2])

S. Justini indoles.

Nota. Rob. Stephanus primus omnia Justini Opera ed. graece Paris 1551. fol. Eadem gr. et lat. edidit F. Sylburg. Heidelberg. 1593. fol. (haec editio recusa Paris. 1615. et iterum 1636. ac Coloniae 1686). Editio optima: S. Justini M. Opera omnia; nec non Tatiani oratio etc. gr. et lat. ed. Prud. Maranus ex Congreg. s. Mauri Paris. (et Hagae Comitum) 1742. fol. (recus. Venet. 1747. fol. item inter Opera polem. Patrum graecorum cura Fr. Oberthür Wirceburg. 1777. II Voll. in 8°; haec postrema tamen editio caret Praefatione, Notis et Opp. spuriis). Migne, P. Gr. T. VI. — Utramque Apologiam et Dialogum gr. et lat. ed. St. Thirlbius Londini 1722. fol. — ed. A. Galland. in Biblioth. Vett. Patrum T. I. p. 411 — 608. — ed. C. Otto Jenae 1842. II Tomi 8°. — Plura de Justini Editionibus dabit Prud. Marani Praefat. P. I. et J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 69 —70 et inde a p. 54—66 sparsim.

---

[1]) Cf. A. Zastrau D. de Justini Martyris studiis biblicis. Vratislav. 1832. 8°.

[2]) Cf. Phot. Cod. 125. Semisch I. Thl. S. 203—228.

§. 54.

Apologetae alii saeculi II quorum opera exstant.

Non pauci alii eodem saeculo vel ante, vel post s. Justinum pro Christianis scripserunt. Plurium quidem opera exciderunt, aliorum tamen saltem aliqua scripta reliqua sunt. Non eadem vero auctoritate qua opera s. Justini haec scripta gaudent, neque inter Patres Ecclesiae hi auctores numerari solent. Paucis tamen de iis agere convenit.

Tatianus Assyrius.

Tatianus Assyrius, Gentilis antea, philosophia artibusque ac disciplinis Graecorum diligenter excultus, ac multis peragratis regionibus Romam delatus ibi Christo nomen dedit, Justini Martyris sectator factus et florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Post ejus obitum vero tanti praesumptione magistri elatus et eloquentiae tumore inflatus novam condidit haeresin Encratitarum. Hic porro infinita scripsit volumina, ex quibus *Oratio contra Gentes* inter omnia Opera ejus eminet atque ad nostram pervenit aetatem[1]), quae Romae elucubrata, forte etiam publice coram auditoribus pronuntiata fuisse videtur haud adeo diu post Justini obitum, cum adhuc orthodoxus esset auctor. Ea in oratione demonstrat Tatianus praestantiam et antiquitatem christianae religionis non sine salibus et aculeis in adversarios; et quidem in parte I. interiora religionis dogmata apertius exponit, ut illius praestantiam demonstret; ac pluribus edisserit, quid de Deo ejusque Verbo, quid de mundi creatione et corporum resurrectione, quid de hominis lapsu et de lapsus reparandi modis Christiani sentiant, ac tandem haec instituta comparat cum Ethnicorum institutis (n. 1—30.).

---

[1]) S. Irenaeus adv. haeres. lib. I. c. 28. Euseb. lib. 4. c. 16. et 29. lib. 5. c. 13. S. Epiphan. haer. 46. S. Hieronym. de viris illustr. c. 29. Cf. Prud. Marani Praefat. P. III. c. 10. 11. et 12. Galland. T. I. Prolegom. c. 20. Lumper P. II. p. 317 sqq.

Tatianus Assyrius.

In parte II. christianam philosophiam longe antiquiorem esse Graecorum institutis demonstrat, adductis in exemplum Mose et Homero (n. 31—42.). — In hac oratione, licet admodum varia minimeque vulgari eruditione sit referta, stylus tamen, quamvis haud inelegans sit, magis politus et elaboratus, ac concinnior aptiorque argumentorum ordo et dispositio non immerito desideratur, cum Tatianus ad instar magistri sui s. Justini in plures passim et aliquando longissimas excurrat digressiones.

Scripsit Tatianus etiam *Evangeliorum Harmonias*, quas *Διὰ τεσσάρων*, hoc est Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum nominavit.[1]) Quum jam Gnosticus esset quo tempore hoc opus composuit, genealogias Domini in eodem omisit. Apud Catholicos quoque hoc Diatessaron in usu aliquando erat, studuerunt vero prudenter Praesules illud ex manibus eorum semovere.[2]) Paulatim plane intercidisse hoc opus visum est; quum ejus versione Syriaca tamen maxime usus esset s. Ephraem Syrus in sua Evangelii concordantis expositione, inde magna ex parte restitui potuerunt Tatiani Harmoniae Evangeliorum.[3]) Sed hoc anno (1888) cl. vir P. Aug. Ciasca ex duplici Codice arabico (altero Bibliothecae Vaticanae, altero Musaei Borgiani S. C. de Propaganda Fide), ipsum Tatiani opus arabice, latina translatione addita, typis publicari curavit.[4]) Operis genuinitatem eruditis dissertationibus vindicavit.[5])

---

[1]) Eusebius H. E. L. IV. c. 28.

[2]) Cfr. Theodoret. Haeret. fabularum Compend. I. 20.

[3]) Evangelii concordantis expositio facta a s. Ephraemo Doctore Syro. In latinum translata a R. P. Joanne Baptista Aucher, Mechitarista, cujus versionem emendavit, annotationibus illustravit et edidit Dr. G. Mösinger. Venetiis 1876. Libraria R. P. Mechitaristarum in monasterio s. Lazari. XII. 292. 8°.

[4]) Tatiani Evangeliorum Harmoniae arabice. Nunc primum ex duplici Codice edidit et translatione latina donavit P. Augustinus Ciasca Ord. Eremit. s. Augustini. Bibliothecae Ap. Vaticanae Scriptor. Romae ex Typogr. Polyglotta S. C. de Propag. Fide. MDCCCLXXXVIII. in 4°.

[5]) V. editoris praefationem l. c. p. V sqq. et ejus dissertationem

Tatiani scripta deperdita.

Nota 1. Alia scripta Tatiani deperdita sunt: 1. Liber de animalibus (*περὶ ζώων*), cujus meminit ipse Tatianus Orat. contra Gentes c. 15. — 2. De perfectione secundum Salvatorem (*περὶ τοῦ κατὰ τὸν σωτῆρα καταρτίσμου*), de quo loquitur Clemens Alex. Strom. III. 12. — 3. Tatianus in Orat. c. Gent. c. 40 promittit quoque se scripturum opus adversus eos qui de divinis rebus asseverarunt (*πρὸς τους ἀποφηναμένους τὰ περὶ θεοῦ*); incertum tamen est, utrum hunc librum confecerit. — 4. Eusebius H. E. L. V. 13. mentionem facit *libri Quaestionum* (*βίβλιον προβλημάτων*), in quo Tatianus obscuros s. Scripturarum textus se explicaturum promiserit. Sed non liquet, utrum hoc opus confecerit. Cf. Ceillier T. II. Ch. XIV. p. 129.

Nota 2. Editio optima Tatiani *Orationis contra Graecos* exstat in editione Maurina Operum s. Justini curata a Pr. Marano, recusa etiam in Opp. Patrum Graecorum polemicis (ed. Oberthür) Wirceburgi 1778 et in Gallandi Biblioth. T. I. ac Migne, Patrol. P. G. T. VI. Praeclara quoque est editio Oxonii 1709 in 8° curata per W. Worth; et Otto, Corpus Apol. chr. T. VI. Jenae 1851. — Cf. de Tatiano Ceillier T. II. — Tillemont Mém. T. II. — Daniel, Tatianus der Apologet. Halle 1836. — Dembrowsky, Die Quellen der christlichen Apologetik des zweiten Jahrhunderts, I. Thl. Leipzig 1878. — Freppel, Les Apologistes chrétiens T. II. Leç. I. II. — V. Chevalier s. v. Tatien.

Athenagoras Atheniensis.

Athenagoras, philosophus Atheniensis, de cujus vita Veteres omnes altum tenent silentium[1]) nisi quod Philippus Sideta, auctor Graecus saeculi V, cujus vero exigua admodum est auctoritas, praefuisse illum primum scholae Alexandrinae narrat, Imperatori M. Aurelio ejusque Filio Commodo apologiam obtulit circa a. 177[2]), quae inscribitur: *Legatio pro Christianis* (*πρεσβεία περὶ Χριστιάνων*, propr. deprecatio, Schutzschrift). Haec apologia

---

De Tatiani Diatesseron arabica versione, ap. Em. Pitra Analecta sacra Specil. Solesm. parata Tom. IV. p. 465.

[1]) Eusebius et Hieronymus nullam omnino Athenagorae mentionem faciunt; de illo dumtaxat loquuntur s. Methodius apud Epiphan. haer. 64. n. 21. et apud Phot. Cod. 234. (p. 480) et Phil. Sideta in Fragmento quodam, quod refert Dodwellus in calce Dissertatt. ad Irenaeum.

[2]) Id tum ex inscriptione apologiae illius, tum ex aliis internis indiciis (vid. c. 1. 18. et 37.) recte concludere licet. Cf. Prud. Maran. Praefat. P. III. c. 13., quocum consentiunt Baronius, Petavius, Tillemont, L. Mosheim; alii, ut Pagius et Dodwellus eam M. Aurelio et L. Vero circa a. 166. inscriptam contendunt. Cf. etiam Galland. T. II. Prolegom. c. 1. Lumper P. III. p. 50 sqq. Leyseri Dissert. de Athenagora. Lipsiae 1736. 4°. D. v. Hoven de inscriptione et vera aetate *πρεσβείας* Athenagorae pro Christianis Lips. 1754. 4°.

afficta Christianis crimina, Atheismum (n. 3—30.), nefandos concubitus (n. 31—34.) et epulas Thyesteas (n. 35—36.) singillatim praeclare refutat, ita tamen, ut potissimum Atheismi criminationem convellat; quem in finem Christianorum doctrinam de uno Deo exponit et probat, ostenditque, quare Christiani sacrificia cruenta non offerant, et quibus ex causis deorum cultum abjecerint, omnia Ethnicorum effugia scite praecludens. S. Justinum, quocum multa ei sunt communia, longe superat Athenagoras expolito dicendi genere, ordinis venustate, et peracutis ad captandam benevolentiam circuitionibus.[1]) Quodsi non tam multa e Scripturis et Christi mysteriis repetit Athenagoras, quam s. Justinus, haud immerito petitis potius e ratione argumentis unitatem Dei et simulacrorum cultus stultitiam demonstrare, hisque praecipue immorari voluisse videtur, quia hanc disputandi rationem philosophi Imperatoris auribus gratiorem atque efficaciorem fore sperabat. — Postea tamquam apologiae supplementum conscripsit praeclarum Opus *de resurrectione mortuorum.*[2]) Hunc librum apte dividit Athenagoras in duas partes, quarum priori evellit ex animis praejudicatas opiniones et objecta ab adversariis refellit (n. 1—11.); altera vero doctrinam Christianam argumentis confirmat (n. 11—25.). Utraque parte et possibilitatem et veritatem resurrectionis corporum tam luculentis solidisque probat argumentis ex sola ratione petitis, tam nativo et perspicuo exponit ordine arctoque nexu, ut hac de materia vix melior inveniatur tractatus, nec antiquo, nec recentiori Ecclesiae aevo. Athenagorae scripta.

Nota. Editio optima utriusque operis exstat in editione Maurina Operum s. Justini T. II. Eadem recusa est ap. Gallandi Biblioth. T. II. et Migne, P. G. T. VI. Egregiae quoque sunt editiones Oxonii 1706, per Ed. Dechair, et Otto, Corpus Apol. chr. T. VI. — Cf. de Athenagora Ceillier T. II. — Tillemont Mém. T. II. — Lumper T. II. — A. Clarisse, Commentatio de Athenagorae vita, scriptis et doctrina, Lugduni Batav. 1819. — Hefele, Beiträge zur Kirchengeschichte. Tübingen 1864, T. I. p. 60 sqq. — Freppel, Les Apologistes chrétiens T. II. Leç. V—IX. — V. Chevalier s. v. Athénagore.

---

[1]) Cf. Möhler T. I. p. 271—72.

[2]) Cf. Legat. pro Christ. n. 36.

S. Theophilus Antiochenus.

S. Theophilus Antiochenus natus ac institutus in superstitionum ethnicarum tenebris, lectione s. Scripturae ad religionem christianam adductus est.[1]) Is postmodum altero hujus saeculi dimidio ad sedem Antiochenam evectus est, quo in munere profligandis et a grege suo arcendis haereticis sedulam navavit operam, multa exaravit scripta, etiam exegetica[2]), et circa a. 186. in pace quievisse videtur.[3]) Ex omnibus ejus scriptis supersunt tantummodo *tres ad Autolycum libri,* institutionem fidei continentes, „profanae et sacrae eruditionis promptuarium"; scripti sunt libri isti post a. 180. His in libris Theophilus Autolyco, amico suo Gentilium sacris impense addicto, ast erudito et veritatis amantissimo, demonstrare aggressus est, veram esse doctrinam christianam, gentilem vero superstitionem innumeris scatere absurditatibus, atque omnes sensim amico suo adimit scrupulos, ostendens, etiam Christianos Deum suum certa quadam ratione videre, etsi visibilia ejus simulacra non habeant, scilicet per fidem, et aliquando visione fruituros esse post resurrectionem, quam ei pluribus demonstrat (lib. I.). Deinceps non esse insanam Christianorum doctrinam, probat ex absurda, varia sibique contraria Gentilium de rebus divinis doctrina, cui opponit praeclaras in Scripturis Veteris Testamenti ubique obvias doctrinas de quibuscunque summi momenti quaestionibus (lib. II.). Denique ut ei patescat, Christianos nec turpia illa scelera ipsis toties objecta committere, nec recentem esse sectam, eorum innocentiam, et antiquitatem primaevam scriptorum Veteris Testamenti fusius probat (lib. III.) — Rationes ejus solidae sunt et stringentes, stylus cum primis perspicuus et elegans; plurima ibi refert ex poëtis et philosophis, nec non ex chronologia scitu valde grata et utilia.

---

[1]) Theoph. ad Autolyc. lib. I. n. 14.

[2]) Apud s. Hieronymum non semel mentio fit Commentarii in Evangelia sub nomine Theophili; qui tamen hodie extat, omnium consensu suppositititius habetur, cf. Lumper P. III. p. 146—48.

[3]) Euseb. lib. 4. c. 20. et 24. S. Hieronym. de viris illustr. c. 25.

Nota Editio optima operis s. Theophili habetur in Edit. Maurina Opp. s. Justini, in Gallandii Biblioth. T. II, ap. Migne P. G. T. VI. Editiones quae separatim prodierunt notatu digniores sunt edit. J. Fell Oxonii 1634; ed. J. C. Wolf Hamburgi 1724, Otto, Corpus Apolog. T. VIII. — Cfr. de Theophilo Ant.: Prud. Maranus Proleg. in Opp. s. Justini P. III. c. 15. — Gallandi Bibl. T. II. Prolegom. c. 4. — Lumper T. III. — Ceillier T. II. (ed. 2ª T. I.). — Tillemont Mém. T. III. — Freppel Apolog. chrét. T. II. Leç. XI—XIV. — V. Chevalier s. v. Théophile.

Hermias Philosophus.

Hermias philosophus, caeteroquin plane ignotus, ad haec tamen tempora referendus, elegantem et peracutam, aliquando tamen subobscuram scriptiunculam confecit, quae inscribitur: *Irrisio Gentilium philosophorum.* In ea philosophiam ab angelis malis traditam esse, nec ulla evidenti ratione niti, probat ex absurdis et inter se pugnantibus philosophorum sententiis in rebus summi momenti. Stylus candidus et pellucidus gratiis et leporibus festivus est.

Nota. Editio optima habetur in Edit. Maurina Opp. s. Justini; in Gallandii Biblioth. T. II; ap. Migne, P. G. T. VI. Cum Tatiano junctum Hermiam ed. Worth, Oxonii 1700. Separatim ed. Dommerich, Halae 1764; Menzel Lugd. Batav. 1840; Ott, Corp. Apologet. T. IX. Jenae 1872. — Cf. de Hermia: Prud. Maranus Prolegom. in Opp. s. Justini. — Gallandi T. II. Proleg. c. 2. — Lumper T. III. p. 123 sqq. — Ceillier T. VIII. (ed. 2. T. VI.). — Tillemont Mém. T. III. — Freppel, Les Apolog. chrét. T. II. Leç. III. IV. — V. Chevalier s. v. Hermias.

§. 55.

Alii hujus aetatis apologetae quorum opera interierunt.

Plures adhuc floruerunt saeculo secundo apologetae, quorum opera injuria temporum exceptis paucis fragmentis, penitus interierunt. Eorum breviter mentionem facere sufficiet.

S. Quadratus.

S. Quadratus Apostolorum discipulus, Episcopus Atheniensis, qui persecutione sub Hadriano grassante ecclesiam grandi terrore dispersam fide et industria sua congregavit, librum pro christianae religionis defensione valde utilem,

plenumque ratione et fide, et Apostolica doctrina dignum Imperatori tradidit c. a. 125 Athenis degenti.[1])

S. Aristides.

S. Aristides Atheniensis „philosophus eloquentissimus, scribit s. Hieronymus (de viris illustr. c. 20.), et sub pristino habitu discipulus Christi, volumen nostri dogmatis rationem continens eodem tempore quo et Quadratus, Hadriano principi dedit, id est Apologeticum pro Christianis, quod usque hodie perseverans, apud philologos ingenii ejus indicium est.“ Perierat penitus etiam haec Apologia, sed paucis abhinc annis fragmentum in Codice Armeno inventum Patres Mechitaristae Congregationis s. Lazari Venetiis publicaverunt.[2]) Existimant porro eruditi, fragmentum hoc Apologiae s. Aristidis genuinum esse. Quantum ex eo inferre licet Aristidis oratio ita disposita erat, ut primum veram de Deo doctrinam Imperatori exponeret, atque haec pars Apologiae modo exstat. — Alterum opusculum, quod integrum potius esse videtur quam fragmentum aliquod, in Codice Armeno inscribitur: *Aristaei philosophi Atheniensis de Latronis clamore et Crucifixi responsione.* Vix dirimi potest quaestio, utrum illud *Aristaei* mendo copistae loco Aristidis positum sit, an vero alius quidam fuerit Aristaeus philosophus Atheniensis. Unde et de genuinitate opusculi, quatenus Aristidi nostro apologetae tribuendum sit, dubium quoddam remanet. Vetustissimi temporis scriptum hoc esse viri critici ob ejus indolem gravem ac simplicem et stylum facile admittunt. Quum nulla in eo habeatur allusio ad Arianorum errores, saltem trium priorum saeculorum tempore illud confectum esse, supponendum est.[3]) Consideratur

[1]) Euseb L. III. c. 37. L. IV. c. 3 et c. 23. L. V. c. 17. S. Hieronymus de viris illust. c. 19 et epist. 70. n. 4. Photius Codex 162. Cf. Gallandi Biblioth. T. I. Proleg. c. 13 et p. 330 (unicum quod hodie exstat fragmentum). Lumper P. I. p. 374. Ceillier I. 688.

[2]) S. Aristidis philosophi Atheniensis sermones duo, quorum originalis textus desideratur ex antiqua armeniaca versione nunc primum in latinam linguam translati etc. Venetiis 1878. Exstat versio latina etiam apud Pitra Analecta sacra T. IV (1883) p. 282 sqq.

[3]) De hisce Aristidis fragmentis v. Himpel Theol. Quartals. 1879 p. 289 sqq. et 1880 p. 109 sqq ubi et versio germanica habetur. —

in hoc sermone agnitio divinitatis Christi, etsi crucifixi, per latronem, fructusque hujus confessionis statim secutus, videlicet promissio et adapertio paradisi per Christum. Inde probatur, Christum non merum hominem, sed Deum fuisse, idemque confirmatur ex aliis Christi miraculis, uti ex Lazari resurrectione. [1])

S. Melito Sardensis.

Melito Sardensis Episcopus plurima opera diversi argumenti conscripsit. „Ad nostram notitiam pervenerunt, ait Eusebius: De Pascha libri duo. De recta vivendi ratione, et de Prophetis liber unus. Alius item de Ecclesia: alius de die dominico. Est et de natura hominis liber unus. Alius de formatione (*περὶ φύσεως* al. *περὶ πίστεως* de fide). Alius de obedientia sensuum fidei. Praeterea liber de anima, corpore et mente. Liber de lavacro (*περὶ λούτρου* de baptismo): liber de veritate: liber de conditu et generatione Christi. Item alius de prophetia, alius de hospitalitate: alius quoque qui Clavis inscribitur. Ad haec de diabolo, et de Revelatione Joannis. De corporali Deo liber unus. Postremus omnium est libellus ad Imperatorem Antoninum.“ [2]) Ab Anastasio Sinaita etiam Liber de Incarnatione Christi et Sermo de passione Domini commemorantur. [3]) Sed supersunt tantum ex variis operibus fragmenta a scriptoribus antiquis servata, quae certo Melitoni Sardensi attribui possunt. [4])

Invenit a. 1843 Tattam in codice syriaco saeculi sexti vel septimi opusculum inscriptum: *Sermo Melitonis philosphi qui factus est coram Antonino Caesare. Et locu-*

Rummler de Aristidis philosophi Atheniensis duobus sermonibus apologeticis. Posen 1881. — Doulcet, l'Apologie d'Aristide et l'épitre à Diognète, Revue des Quest. hist. Oct. 1880.

[1]) De s. Aristide cfr. Euseb. L. IV. c. 3. Hieron. ep. 70 n. 4. Lumper P. I. p. 382. Ceillier T. I. 690.

[2]) Euseb. H. E. L. IV. c. 26. Cf. L. V. c. 5. 16. 19; s. Hieron. de viris illustr. c. 26 et epist. 70. n. 4; Photius Cod. 14.

[3]) Hodegos c. 12. 13.

[4]) De s. Melitone cfr. Eusebius et Hieronymus ll. cc. Gallandi Biblioth. T. I. Prolegomena c. 25. Lumper P. III. p. 26 sqq. Fragmenta Melitonis ap. Galland. T. I. p. 680. Migne P. G. T. V. Pitra Specil. Solesm. T. II. et Analecta T. II. — V. Chevalier s. v. Méliton.

S. Melito Sardensis.

tus est Caesari. ut hic cognosceret Deum et indicavit ei viam veritatis, et incepit loqui in hunc modum. — Libellum hunc tum Cureton addita versione anglica, tum Pitra addita versione latina (ab E. Renan confecta) publicarunt.[1]) Non invenitur tamen in eo fragmentum satis amplum quod ex Melitonis Apologia ad Marcum Aurelium Imp. c. a. 170 data, Eusebius l. c. servavit. Unde quidam eruditi censent, libellum repertum esse alteram quandam Melitonis apologiam, vel apologiae partem,[2]) quidam vero, esse hunc Melitonis librum de veritate.[3]) Sed probabilior videtur sententia, opusculum inventum non esse Melitonis Sardensis Episcopi, sed Syri alicujus philosophi Melitonis caeterum non noti, qui Antonino Caracallae Imp. (211—217) hanc apologiam obtulerit.[4]) Syriam esse libelli patriam indicant varia quae ex mythologia Syrorum refert; duplicem Melitonis Sardensis apologiam supponere arbitrarium dixeris, opusculum autem non fragmentum, sed completum esse videtur. — In apologia reperta, quae formam allocutionis habet, auctor praecipue in eo versatur, ut ostendat: 1° Insipientiae esse, Deum vere existentem relinquere et numina inania colere. 2° Hominem ex rebus visibilibus Deum cognoscere posse, hancque cognitionem hominis ad veritatem adducere. 3° Non esse persistendum in superstitione polytheismi, eo quod majores tali errori adhaeserint.

Scripsisse Melitonem etiam librum qui *Clavis* inscribebatur, Eusebius testatur. Hisce porro annis Em. Card. Pitra opus publicavit diuturno labore ab ipso investigatum, quod genuinam Melitonis Clavem esse existimat.[5]) Est

---

[1]) Cureton, Spicilegium Syriacum, London 1855; Pitra, Specileg. Solesm. T. II. p. XXXVIII sqq.

[2]) Cf. Cureton l. c. p. VI sqq.; Pitra l. c. p. XII. XXXVII; Welte, Die Apologie des Melito von Sardes, Theol. Quartalschr. 1862. p. 384 sqq. Versionem german. opusculi ibidem Welte dedit.

[3]) Cf. Nirschl Patrol. T. I. §. 55

[4]) Cf. Funk K. G. p. 83. n. 1.

[5]) V. Analecta sacra Spicil. Solesmensi parata T. II. 1884 p. 3—154; p. 585—623. Cfr. Spicileg. Solesm. T. II. 1850. p. XIII—XXXV; p. 1—150.

autem opus quod clavem sacrae Scripturae, ut sensus ejus spiritualis intelligatur constituit; symbola enim et allegoriae quae in sacris libris obveniunt eodem exhibentur et explicantur. Ex codice Claramontano latino versio haec quae censetur libri, a Melitone lingua graeca conscripti, deprompta est. — Sed varii viri critici censuerunt, librum hunc non esse opus genuinum Melitonis, at sequiori aetate eum esse latina lingua confectum.[1]) Em. Pitra vero admittit, adjecta posse haberi plura in hoc opere, sed librum quoad majorem partem Melitoni vindicare conatus est. Quaestionem hanc in ancipiti relinquimus; non improbabile tamen videtur, antiquum Melitonis librum ab aliis scriptoribus decursu temporis ampliatum esse, adeoque veluti basim constituere operis recenter sub ejus nomine publicati. S. Melito Sardensis.

Eodem tempore floruit *s. Claudius Apollinaris,* Hierapolytanus in Phrygia Episcopus, qui eidem M. Aurelio insigne volumen *pro fide Christianorum* dedit, *libros quinque adversum gentes* ac *libros duos de veritate* elucubravit. Montanistas quoque tunc primum surgentes impugnavit atque alia varii argumenti opera confecit. Sed pauca tantum fragmenta hujus scriptoris ab interitu servata sunt.[2]) — S. Claudius Apollinaris.

---

[1]) V. Rottmanner O. S. B. Literarische Rundschau 1884. N. 24. p. 739 sqq. Duchesne Bullet. crit 1885. N. 10. — Ex variis indiciis infertur, opus recenter ab Em. Pitra vulgatum a scriptore latino medii aevi compilatum esse. Ita e. g. in opere vulgato *corvus* ut symbolum peccatoris poenitentiam retardantis proponitur. „Corvus, peccatoris ad poenitentiam tarditas, et vana spes de die in diem differentis.“ Analecta Specil. Solesm. T. II. p. 88. Rationem hujus figurae habes apud s. Augustinum. „Sunt enim qui praeparant conversionem, et differunt, et fit in illis *vox corvina: Cras, cras.* Corvus de arca missus, non est reversus. Non quaerit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est.“ Enarrat. in Ps. CII. n. 16. Cfr. Serm. LXXXII. de verbis Matth. XVIII. n. 14. et saepius. Jam vero non nisi apud Latinos ob vocis sonum corvus ut ejusmodi figura assumi potuit, non vero apud Graecos, nam apud eos vox *κόριον* sequentem diem significans voci corvinae nullo modo similis est.

[2]) V. Euseb. L. IV. c. 26 et 27. L. V. c. 5. 16. 19. S. Hieronymus de viris illustr. c 26. et epist. 70 n. 4. Photius Cod. 14. Galland.

Miltiades et Aristo Pellaeus.

Miltiades quoque vir in litteris sacris ac profanis versatus, christianae religionis causam insigni fervore magnaque eloquentia propugnavit, unde et *ecclesiarum sophistam* eum Tertullianus appellat.[1]) *Apologeticum* etiam ipse ad Imperatores M. Aurelium et Commodum dedit, elucubravit *duos libros adversus gentes*, aliisque scriptis Judaeos et Montanistas impugnavit.

Hisce demum accenseri potest *Aristo* ex Pella Peraeae oppido oriundus, qui ex Judaeo factus Christianus, ut veritatem religionis christianae contra Judaeos vindicaret circa medium saeculum secundum scripsit disputationem seu *Altercationem Jasonis et Papisci.* Erat eadem dialogus inter Jasonem Christianum ex Judaismo conversum et Papiscum Judaeum Alexandrinum, in quo Jaso ex adimpletis prophetiis Messianis veritatem religionis christianae tam efficaciter probat, ut Papiscus ad fidem convertatur et baptismum petat. Intercidit etiam haec disputatio. Sed saeculo quinto Evagrius quidam confecit *Altercationem Simonis et Theophili*,[2]) quae disputatio secundum illam Jasonis et Papisci elaborata esse videtur.[3])

§. 56.

S. Irenaeus.

S. Irenaeus.

Fontes: Irenaeus L. III. c. 3 n. 4. Tertullian. adv. Valentin. c. 5. Euseb. Histor. Eccles. L. III. c. 18. L. V. c. 4 5. 6. 7. 8. 20. 23. 24. et 26. S. Hieronym. de viris illustr. c. 35. S. Gregorius Turon. Histor. Francorum L. 1. c. 27.

T. I. Prolegom. c. 25. et p. 680. Migne P. G. T. V. p. 1293. Lumper P. III. p. 26. Ceillier II. 83. (ed. 2. I. 463). Cfr. Chevalier s. v. Claude Apollinaire.

[1]) Advers. Valentin. c. 5.

[2]) Editum fuit hoc opusculum primum a Martene in Thesauro nov. anecdot. T. V. Exstat ap. Migne P. L. T. XX.

[3]) De Aristone v. Euseb. L. IV. c. 6. S. Hieronymus Hebraic. Quaestion. in Genesim sub init., Commentar in epist. ad Galatas c. 3. Origenes c. Celsum L. IV. n. 52. Lumper P. I. p. 385. Cfr. Chevalier s. v. Ariston.

Subsidia: R. Massueti Dissertationes tres in s. Irenaei libros (in edit. Venet. a. 1734. T. II. initio; ex parte recusae in Sprengeri Thesauro Rei Patrist. Diss. 21. et 22. T. II. p. 202—417.). — H. Dodwelli Dissertt. in Irenaeum. Oxon. 1689. 8°. — E. Grabe Prolegom. ad Irenaei Opera (etiam in edit. Venet. T. II. p. 163—68.). — Prolegomena et Dissertationes in Irenaei Opera ap. Migne P. G. T. VIII. — Pitra Spicil. Solesm. T. I. p. 6—9. — D. Papebroch. de S. Irenaeo Commentar histor. (Acta SS. Tom. V. Junii). — Tillemont Mem. T. III. p. 77—99. et p. 619—29. — Ceillier T. II. p. 135—96. — Lumper T. III. Sect. IV. (p. 188—628.). — Ad. Stieren de Irenaei adversus haereses Operis fontibus, indole, doctrina et dignitate Comment. histor. crit. Gottingae 1836. 4°. — Freppel St. Irénée et l'éloquence chrétienne dans la Gaule pendant les deux premiers siècles. Paris 1861. — Gouilloud St. Irénée et son temps, II. siècle de l'Eglise Lyon 1876. — Cfr. Chevalier s. v. Irénée.

S. Irenaei vita.

S. Irenaeus a discipulis s. Joannis Apostoli institutus tantum in eorum schola profecit, ut inter Apostolicos viros, Apostolicae doctrinae testes primosque traduces a Veteribus omnibus merito recenseatur.[1]) Natus primo hujus saeculi dimidio verosimiliter in Asia, in prima adolescentia (*παῖς ὢν ἔτι*) s. Polycarpo Smyrnensi, tunc aetate jam admodum provecto, usus est magistro, ab eoque primis christianae religionis imbutus est praeceptis, quem studiosissime audiebat, „non in charta, sed in corde audita describens, eademque per Dei gratiam assidue repetens ac mente revolvens.“[2]) Alios quoque Apostolorum, Apostolicorumque virorum discipulos, et inter eos eximium quemdam audiisse se non semel affirmat. Non adeo tamen ad sacras litteras animum intendit, ut humaniores negligendas sibi putaret. Probe utique noverat ejusmodi studia non tantum ad ingenium excolendum, firmandumque judicium haud parum conducere, sed et iis apprime necessaria esse, qui Ethnicos haereticosque confutaturi vanae theologiae profanaeque superstitionis intelligentiam ex ipsis fontibus, poëtarum praesertim ac philosophorum libris,

---

[1]) S. Hieronym. in Isaiam c. 64. v. 4—5 (T. IV. p. 761). S. Augustin. c. Julian. lib. I. n. 5. S. Basil. de Spir. Sancto c. 29. Theodoret. haeret. Fabul. lib. I. c. 5.

[2]) Ita ipse s. Irenaeus apud Euseb. lib. 5. c. 20. S. Irenaeus adversus haeres. lib. 3. c. 3. n. 4. Cf. Massuet Diss. II. n. 1—3. Lumper P. III. p. 188—93.

S. Irenaei vita.

haurire debent, ut christianae veritatis adversarii ex propriis ipsorum scriptis et erroris in se et iniquitatis in Christianos convincantur.[1]) Hinc evolvendis profanorum auctorum libris indefessus incubuit; quod ex iis, quae passim citat, poëtarum ac philosophorum veterum testimoniis luculenter patet.[2]) Probabile est, eum a s. Polycarpo missum esse Lugdunum in Gallia, ibique a s. Pothino Lugdunensi Episcopo ordinatum fuisse presbyterum; quo in munere ardentissimum christianae legis tuendae et amplificandae studium manifestavit.[3]) Persecutione autem M. Aurelii etiam in Galliis dire saeviente, postquam glorioso martyrio coronatus est s. Pothinus Episcopus, a martyribus in carcere constitutis Romam missus est s. Irenaeus ad Pontificem Eleutherum, tum ut quaestio de prophetiis Montani inter ecclesias mota ejusdem Pontificis auctoritate componeretur, tum ut Irenaeus presbyter fratrum litteris commendatus in locum defuncti Pothini, deficientibus tunc in Gallia aliis Episcopis a Pontifice successor ordinaretur.[4]) Itaque factus Episcopus Lugdunensis (a. 177.) brevi tempore integram fere civitatem ad Christi fidem convertit, ita ut lumen Gallorum, eo quod Celticas gentes excoluit et illuminavit, jure merito dictus fuerit.[5])

Dudum antea emerserant in Oriente Valentiniani, quos brevi post exceperunt Marcosii, Simonis Magi aliorumque Gnosticorum mala progenies, qui sub nomine christiano animum plus quam ethnicum gerentes incredibilibus errorum monstris horrendisque flagitiis christianae religio-

---

[1]) Cf. Tertullian. de testimon. animae c. 1.

[2]) Cf. Tertullian. adv. Valentin. c. 5. ubi vocatur „Irenaeus omnium doctrinarum curiosissimus explorator;“ et s. Hieronym. ep. 70. n. 4.

[3]) S. Gregor. Turon. Histor. Francorum lib. I. c. 27. Euseb. lib. 5. c. 4. S. Hieronym. de viris illustr. c. 35. Cf. Massuet l. c. n. 5—6.

[4]) Ita ex Euseb. lib. 5. c. 1. 3. et 4. satis verosimiliter, quamvis non omnino certe, infert Massuet l. c. n. 6—16. Cf. Lumper P. III. p. 196—99.

[5]) S. Gregor. Turon Hist. Francorum lib. I. c. 27. Theodoret. Dialog. I. Theodoret Haeret. Fabul. Compend. in Dedicat. praefixa et Haeret. Fabul. c. 5.

nis sanctitati summam infamiae labem adspergebant. Tum vero s. Irenaeus excubias agens pro Christi grege, ubi malum istud etiam in Gallia serpere multosque decipere animadvertit, satisque totam ejus gravitatem ex haereticorum tum libris, tum sermonibus exploratam habuit, ad scribendum se contulit, ut sceleratas eorum nugas, dolos et mores in propatulo poneret et funditus everteret.[1]) Cum porro controversia de tempore celebrandi Paschatis, prius jam agitata, nec tamen decisa, sub Victore Papa a. 196 iterum mota esset, et Polycrates Episcopus Ephesinus cum episcopis Asiae, Ecclesiae Romanae aliarumque omnium morem, suo posthabito sequi detrectaret, Papa Victor omnes Asiae ecclesias, velut a catholica sententia dissentientes, a communi Ecclesiae unitate rescindere statuit. Tunc s. Irenaeus, qui cum aliis pluribus Occidentis Episcopis tanta severitate minime utendum esse censebat, ad P. Victorem ecclesiarum Galliae, quibus praeerat, nomine dedit litteras pacis et caritatis studium spirantes, quibus decenter eum admonuit, ut mitius cum iis ageret, qui vetusta traditione nixi in iis, quae ad solam disciplinam spectabant, communem Ecclesiae morem sequi nollent. Similes epistolas ad alios quoque Episcopos direxit.[2]) Verisimile est, Victorem his rationibus motum cessisse; nam licet Asiani ab usu suo non discesserunt, non videtur tamen propterea pax inter eos et Romanos Pontifices fuisse diremta: atque sic s. Irenaeo in acceptis referri debet, quod ipse prudentia et caritate schismatis imminentis periculum utrisque funestum averterit. Nec minus ipsi curae fuit, ut discipulos christianae vitae atque doctrinae praeceptis excoleret, qui deinceps de tota Ecclesia verbis, scriptis et exemplis bene meruerunt; tales fuere s. Hippolytus, Cajus aliique.[3]) Denique immensis pro Christi glo-

S. Irenaei vita.

---

[1]) Cf. Euseb. lib. 5. c. 20.

[2]) Euseb. lib. 5. c. 23. 24. Socrat. Histor. Eccles. lib. 5. c. 22. Cf. Massuet. l. c. n. 19—29.

[3]) Phot. Cod. 121. Acta Martyr. s. Polycarpi c. 23. Martyrolog. Roman. 23. April. et 16. Junii.

ria laboribus perfunctus s. Irenaeus in persecutione Septimii Severi diversis poenis affectus cum omni fere civitatis suae populo glorioso martyrio coronatus est a. 202.[1])

§. 57.

S. Irenaei Libri quinque contra Haereses.

Libri V. contra haereses.

Plura reliquit sanctus iste Pater, Spiritus sancti donis ac coelestibus ornamentis ad certamen fidei instructus, atque eximius doctrinae Ecclesiae interpres,[2]) ingenii, pietatis ac zeli, quo pro tuenda catholica fide fervebat, monumenta. Sed nullum antiquis omnibus majori in pretio habitum saepiusque ab iis citatum fuit, quam luculentum illud Opus in quinque libros divisum, quod adversus Gnosticorum haereses elucubravit, quodque solum ad nostram usque aetatem superstes fuit.[3]) Titulum operi suo s. Irenaeus inscripsit: *Detectio et eversio falso cognominatae ag-*

---

[1]) Id quidem nonnulli in dubium revocare sunt ausi; ast jam s. Hieronymus Commentar. in Jesai. c. 64. v. 4—5. et Auctor Quaest. ad Orthodoxos, qui saeculo V. vixit, quaest. 115. (in Opp. S. Justini Append. I.) eum disertis verbis appellant *Martyrem;* et s. Gregorius Turon. Hist. Francorum lib. I. c. 27. ejus martyrium verbis supra in textu relatis testatur. Cf. Martyrolog. Roman. 28. Junii. Illius tamen actis Martyrii, quae hodiedum extant, fides haberi non potest. Cf. Massuet. l. c. n. 30—40. Ruinart Acta Martyr. T. I. p. 157—60. Tillemont T. III. S. Irenée Art. X. (p. 96). Lumper P. III. p. 206—8.

[2]) S. Epiphan. haer. 31. n. 33. S. Cyrillus Hierosolym. Cateches. 16. n. 6.

[3]) Memorantur ab antiquis complura s. Irenaei Opera, scripta adversus Florinum et Blastum, ut *de monarchia* (seu uno principio), de *ogdoade,* quae apud Valentinianos Aeonum omnium radix erat, et de *schismate;* item epistolae plures de festo Paschatis; liber contra Gentes, qui de scientia (*περὶ ἐπιστήμης*) inscriptus erat; liber ad Marcianum, qui demonstrationem continebat Apostolicae praedicationis; ac denique libelli variorum tractatuum (*διαλεξέων διαφόρων*). Haec omnia, paucis quibusdam fragmentis exceptis, edax tempus absumsit. Euseb. lib. 5. c. 20. 24. et 26. S. Hieronym. de viris illustr. c. 35. Cf. Massuet. l. c. n. 58—61. Lumper P. III. p. 224—30.

nitionis (ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως);[1]) a recentioribus vero plerumque compendii causa vocatur: *Libri contra haereses*, quo nomine etiam ab Eusebio aliisque Veterum hinc inde compellatur.[2]) Scribendi vero hujus Operis duplex ei fuit causa; altera, ut morem gereret amico cuidam, qui precibus eo illum egerat, ut abstrusa Valentini discipulorum mysteria, necdum a quoquam satis explicata, manifesta sibi redderet ac simul arma ministraret, quibus haec errorum portenta confoderentur (Praefat. lib. I.); altera, ut Marcosiorum haeresi, Valentinianae germini, quae in Celticam seu Rhodanenses regiones clam irruperat (lib. I. c. 13.) occurreret, maloque in ipso ortu suffocato gregem fidelem sibi commissum a periculo salutis praemuniret (Praefat. lib. V.). Illud autem eo gravius erat, quo majores mulierum praesertim ditiorum cupiditati et curiositati illecebras ista haeresis objiciebat, et quo difficilius erat imperitis, oves a lupis discernere, quum illarum vocem et pellem passim aemularentur (lib. I. c. 13.). Hinc et duo praestanda sibi proposuit, alterum Valentinianorum Gnosticorumque omnium inde a Simone Mago, communi eorum parente, usque ad Valentinianos, quos proxime, et in his reliquos, ferire et prosternere intendebat, sententias hactenus abditas detegere et accurate evolvere, alterum easdem evertere et solide refutare. Prius quidem toto libro primo praestitit, in quo Valentinianorum Gnosticorumque omnium dogmata accurate recenset; posterius reliquis quatuor libris, ubi ex ratione, Traditione et s. Scriptura eorum errores destruit. Vero absimile haud est, libros istos, qui non simul et eodem tempore, sed per intervalla in lucem publicam emissi sunt, sub finem Pontificatus Eleutheri, vel partim sub Eleuthero, partim sub Victore editos

S. Irenaei Libri V. c. haereses.

---

[1]) Ita ipse s. Irenaeus adv. haer. lib. I. c. 22. n. 2 et in Praefat. lib. II. IV. et V. et lib. IV. c. 41. n. 4. Euseb. lib. 5. c. 7. Phot. Cod. 120 et al.

[2]) Euseb. lib. 3. c. 23. lib. 5. c. 5. S. Hieronym. de viris illustr. c. 35. S. Cyrillus Hieros. Catech. 16. n. 6. Prior tamen iste titulus hujus operis tenorem et auctoris mentem longe melius exhibet.

fuisse, i. e. circa a. 192 vel paulo antea.[1]) Opus istud lingua graeca primitus exaratum est, sed versio nonnisi latina vetustissima aetatem tulit;[2]) quippe cum textus graecus, tanto in pretio habitus apud Antiquos, integer tamen sic exciderit, ut ea dumtaxat hodie supersint fragmenta graeca, quae scriptis suis inseruere auctores graeci, Eusebius praesertim, s. Epiphanius atque Theodoretus.

§. 58.

Argumentum Operis S. Irenaei contra haereses.

Argumentum Operis s. Irenaei.

Libro I. Gnosticorum errores, quod multi ante eum parum felici tamen successu tentaverant, accurate ac dilucide ex ipsis fontibus exponit.[3]) A Valentinianis autem exordium sumsit, quia in eam haeresin velut in sentinam confluxerant aliarum omnium inde a Simone Mago sordes, et in id potissimum incubuit, ut eorum hypothesin majori prae ceteris cura explicatam daret, ratus ea semel probe nota et prostrata caeteras stare non posse. Hinc exponit Valentinianorum placita de Deo, de emanatione Aeonum ex Deo eorumque mutua relatione, de mundi hujus visibilis creatione, atque formatione hominum, quorum triplex distinguitur genus, hylicum seu materiale, psychicum seu intermedium et spirituale seu perfectum, de doctrina eorum ethica, de consummatione omnium rerum, impia demum de Salvatoris nostri Jesu Christi persona et munere dogmata,[4]) additis insuper rationum, quibus e s. Scriptura

[1]) S. Iren. adv. haeres. lib. 3. c. 3. n. 3. Euseb. lib. 5. c. 5. Cf. Massuet l. c. n. 47—50. Lumper P. III. p. 213—14.

[2]) Cf. Massuet l. c. n. 51—54. Lumper P. III. p. 214—18. Vindicias authentiae horum librorum, ab innumeris fere testibus antiquis et certissimis indiciis internis assertae, ab uno J. S. Semlero argumentis sat infirmis saeculo elapso impugnatae, agit idem Lumper P. III. p. 218—24. Möhler Patrol. p. 337—38. (Vers. gall. I. 304.)

[3]) Finis, cujus gratia tot deliria et absurditates explicantur, ab ipso s. Irenaeo optime indicatur lib. I. c. 31. n. 3—4.

[4]) De his praecipuis Gnosticorum erroribus vide supra §. 48. Cf. Massuet Diss. I. Sprenger Saec. II. Dissert. I. c. 3. 4. 5. et 6. (T. I. p. 356—420 potissimum ex Nourry).

varie detorta sua omnia firmabant, haud paucis specimi- Argumentum Operis s. Irenaei.
nibus, quae deinde ceu futilia declarat et absurda (c. 1—9.). Tunc postquam universae Ecclesiae catholicae in sua fide unitatem tamquam veritatis certissimum et necessarium criterium proposuit (c. 10.), ipsam confutationem aggressus primo opponit tamquam manifestum erroris indicium haereticorum, praecipue discipulorum et sectatorum Valentini, ut Ptolemaei, Marci etc. inter se discrepantiam et dissensiones (c. 11—21.), ac impuros fontes, e quibus errores suos derivarunt, ut ex ipsa jam arbore concludatur ad fructus (c. 22—31.).

Libro II. argumentis ex sola ratione petitis Gnosticorum, praesertim Valentinianorum, commenta destruit[1]), ostendens, unum solum supremum Deum etiam esse Creatorem mundi visibilis absque ullo alio auxilio vel mediatore Demiurgo aut angelo (c. 1—11.), Aeonum vero emanationem impossibilem esse, sicut etiam, quae de Aeonum natura, numero, diversisque muneribus a Gnosticis fabulosa narrantur (c. 12—19.). Argumenta porro, quae Gnostici ex s. Scripturae numeris, litteris, syllabis aut parabolis ad stabilienda sua somnia depromebant, inania esse demonstrat, egregie disserens de necessitate, multa etiam absque perspecta interna ratione credendi, et de limitibus, quibus circumscribatur humana de rebus divinis scrutatio et cognitio (c. 20—28.). Cum vero Gnostici etiam ad miracula a suis patrata provocarent, hoc quoque argumentum ipsis eripit ostendens, quod praetensa eorum miracula characteres, quibus vera miracula, ut a falsis discernantur, insignita esse debent haud prae se ferant (c. 31.). Dein eorum sententiam de spirituali Gnosticorum natura, de consummatione omnium rerum et de resurrectione mortuorum, quam inficiantur, subsistere non posse demonstrat, migrationem animarum in varia corpora retundit, et impia eorum dogmata morum perstringit (c. 19. 29. 30. 32—34.). — Posteaquam vero libro secundo Valentinianos

[1]) Quam ob causam in eorundem refutatione haec argumenta praemittat, ipse aperit lib. II. c. 11. n. 2.

Argumentum Operis s. Irenaei.

suo ut plurimum ipsorum gladio jugulavit, atque errores eorum stirpitus convulsit, petitis ex falsa ipsorummet doctrina argumentis et rationibus, libro III. et sequentibus ad eos *divina Traditionis et s. Scripturae auctoritate* refellendos progreditur. Duplicem hic esse ostendit fontem veritatis a Deo per Christum revelatae, *Traditionem* scilicet, quae inde ab Apostolis, quos ipse Christus Dei Filius, aeterna Veritas, doctrinam salutis edocuit, et Spiritus sanctus perfecta scientia implevit, per successionem Episcoporum in tota Ecclesia praesertim vero in Romana custoditur, et *s. Scripturam divinitus inspiratam.* Unde concludit a sola Ecclesia catholica, Traditionis et doctrinae Apostolicae custode fidelissima, petendam esse veritatem; eam vero annuntiare unum Deum omnipotentem, factorem coeli et terrae et unum Christum Filium Dei (c. 1—4.). Hinc ad argumentum ex Scripturis petitum transgressus,[1]) postquam ostendit, nec Christum, nec Apostolos accommodatione ad falsas auditorum opiniones fuisse usos, primo demonstrat ex Veteri Testamento, tum ex quatuor Evangeliis et reliquis Apostolorum scriptis, unum et eundem Deum, qui ab omnibus Prophetis, nec non ab Evangelio annuntiatus est, quem Christiani colunt et diligunt ex toto corde, esse factorem coeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt (c. 5—15.). Deinde ex Apostolorum scriptis et Prophetarum vaticiniis demonstrat, unum et eundem esse Jesum Christum, indivisum et inseparabilem, Unigenitum Dei Filium, qui vere, non ad speciem solum, homo factus, passus et mortuus sit pro salute nostra, eumque adeo verum Deum simul et verum hominem esse ac Salvatorem generis humani; ubi omnino praeclare de Redemtione ejusque fructibus, de peccato originali ac de divina providentia disserit (c. 16—25.).

Libro autem IV. probat, eundem Deum, qui creavit coelum et terram, quem Lex Mosis et Prophetae praedicant, esse Patrem Domini nostri Jesu Christi (c. 1—8.),

---

[1]) Quaenam vero a s. Irenaeo statuatur mutua relatio Traditionis ad s. Scripturam, patet ex lib. III. Praefat. et c. 1. 2. 4. et 24.

indeque transit ad solvendas Gnosticorum objectiones, ex indole Veteris Testamenti petitas. Non enim ideo, quod duo sunt Testamenta, Vetus et Novum, duos etiam esse diversos deos, deum scilicet supremum, ante Christi adventum incognitum, et alium, qui etiam vocatur Demiurgus; sed potius ostendit utriusque Testamenti unum eundemque esse auctorem, eundem finem scopumque praecipuum, eundem tenorem eundemque characterem, quippe cum unus Deus totam hanc salutis oeconomiam pro universo humano genere sapientissime disposuerit, ita ut omnia demum in altioris ordinis unitatem colliment, Novo Testamento in Vetere jam latente (c. 8—25). Sed haec omnia non intelligunt nisi Christiani, qui scilicet cum obedientia audiunt magisterium Ecclesiae, in qua sola charisma veritatis cum Episcopatus successione certum adest, quae sola Scripturas sine erroris periculo exponit, rectamque de Deo Patre ejusque Filio et Veteri Testamento doctrinam proponit (c. 26.). Dein vero nec inde, quod in libris Veteris Testamenti varia de celeberrimis etiam viris referantur vitia, auctoritati ejusdem quidquam detrahi, sive alium illius esse auctorem, quam supremum Deum, recte inferri ostendit (c. 27—28.); neque etiam Deum Veteris Testamenti in illo apparere unquam ceu auctorem peccati, solide contra Gnosticos probat (c. 29—30.). Tunc insurgit adversus praesumtionem Gnosticorum, qui se ipsos dicebant *spiritales,* natura *bonos,* atque *perfectos;* et egregia disputatione exponit, quisnam sit vere spiritualis, et in quo sit vera agnitio (*γνῶσις*) sita (c. 32—36.); porro neminem praeter Deum esse natura bonum ostendit, sed Deum sapientissimo utique consilio omnibus spiritibus creatis liberum arbitrium et facultatem discernendi bonum a malo dedisse, voluisseque, ut ita ad perfectionem quandam relativam pervenirent (c. 37—41.). Hoc in libro praeclare disputat de Veteri Testamento, ejus indole et relatione ad Novum Testamentum.

Argumentum Operis s. Irenaei.

Libro V. ostendit, quomodo unus et idem Deus Pater, qui mundum creavit, qui legem Mosaicam dedit atque Prophetas ad homines ablegavit, denique etiam Fi-

Argumentum Operis s. Irenaei.

lium proprium Jesum Christum miserit et salutem homini, quem ipse creaverat, dederit, eidem praestans et resurrectionem corporis, quam fuse solideque probat et animae renovationem, quam luculenter describit, per mysterium Incarnationis (c. 1—22.); tum de salutis humanae adversario, diabolo, loquitur ejusque depingit naturam (c. 23—24.); denique oeconomiae salutis humanae finem seu consummationem rerum omnium exponit, (c. 25—31.) ubi et opinionem suam de regno millenario adstruit (c. 32—36.).[1])

Nota. Fragmenta nonnulla ex reliquis s. Irenaei Operibus hodie deperditis, partim certa, partim incerta, quotquot invenire potuere, exhibet Editio Veneta P. I. p. 339—48. Cf. Admonit. iisdem praefixa (ibid. p. 338) et Dissert. II. Art. III. — De aliis quatuor Fragmentis, quae M. Chr. Pfaffius in Taurinensi Bibliotheca inventa in lucem publicam emisit, multum inter viros eruditos disceptatum est, utrum sint genuina, nec ne. Cf. edit. Venetae P. II. Append. et Lumper P. III. p. 230—44. — Omnia quoque Fragmenta cum disquisitionibus ad ea spectantibus habentur etiam Migne P. G. T. VII. p. 1232 sqq.

§. 59.

S. Irenaei doctrina et character.

In his quinque libris, inde ab antiquissimo tempore summo in pretio habitis, praecipua quaeque catholicae, quam hodiedum profitemur, fidei dogmata de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, de sacramentis, de Ecclesiastica hierarchia, divina Episcoporum institutione, Traditionis auctoritate, Petrique et ejus successorum, Romanorum Pontificum, Primatu aliisque diserte adeo explicantur et confirmantur, ut non veteres tantum, sed quotquot ab Apostolicis temporibus ad nostra usque emerserunt

---

[1]) Posteriora haec 5 capita (i. e. cap. 32—36) in plerisque Codd. Mss. desiderantur; nec dubium esse videtur, quin ob propugnatum in iis Chiliastarum errorem studio omissa fuerint a pluribus librariis. Primus omnium ea e codice suo eruta in lucem edidit Feuardentius praemissa brevi praefatione, qua illa Irenaeo vindicat; et abhinc in omnibus s. Irenaei editionibus sine scrupulo recepta sunt.

haereses, hinc radicitus exstirpari ac funditus everti valeant. Sic, ut ex plurimis pauca huc transferam,[1])

S. Irenaei doctrina.

1) *Primatum Romanae Ecclesiae* diserte adstruit; opponit enim Gnosticorum erroribus Traditionem divinam, quae in omnibus totius orbis ecclesiis conspici potest; sed quia longum foret omnes totius orbis ecclesias recensere, „Traditionem Romanae Ecclesiae, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae" ad plenissimam contra omnes haereticos demonstrationem sufficere docet, addita ratione: „Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis Traditio".[2]) Iren. adv. haeres. lib. 3. c. 3. n. 2.

2) Porro quid sit *justificatio*, cum Ecclesia catholica ita docet: „Homo inobediens fuit Deo et projectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quae est per ipsum, percipiens *adoptionem*" Lib. 3. c. 20. n. 2. „Tria sunt, ex quibus perfectus homo constat, *carne, anima* et *Spiritu* (sancto); et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus (S.);[3]) altero, quod unitur et formatur, quod est caro; id vero, quod inter haec est duo, anima est, quae aliquando quidem subsequens Spiritum elevatur ab eo, aliquando autem consentiens carni decidit in terrenas concupiscentias." „Ubi autem Spiritus Patris (per participationem seu communionem adest), ibi (est) homo vivens, caro a Spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, con-

---

[1]) Quae praeclare docet s. Irenaeus de Traditione et Ecclesia, potiori ex parte habentur supra §. 7 et §. 57.

[2]) Hunc insignem locum, a Protestantibus valde exagitatum varieque detortum, vindicant, explicant ejusque robur ostendunt Massuet Diss. III. Art. IV. Lumper P. III. p. 368—80. Möhler Patrol. p. 352 55. Freppel, S. Irénée Leç. XX.

[3]) Notandum est, expressione: Spiritus, vel Spiritus Patris a. s. Irenaeo designari gratiam sanctificantem. Caeterum ostendit hic, tria ad supernaturalem hominis perfectionem ita requiri, ut, si unum desit, perfectus homo esse non possit.

S. Irenaei doctrina.

formis facta Verbo Dei.“ Lib. 5. c. 9. n. 1. et 3. cf. c. 8. c. 13. n. 4. et lib. 3. c. 17. et c. 23. n. 5. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. et can. 11.

3) Inde sponte fluit doctrina catholica de *natura et necessitate bonorum operum*, de quibus ait: „Sicut qui in melius profecerit et fructum operatus fuerit Spiritus, omni modo salvatur propter Spiritus communionem; sic et is, qui remanserit in carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere coelorum. In quibus igitur peribamus membris, operantes ea, quae sunt corruptelae, in iisdem ipsis vivificamur operantes ea, quae sunt Spiritus.“ Lib. 5. c. 11. n. 1. 2. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11. et can. 25.

4) De *acceptae vero justificationis incremento* ait: „Non aliter nos discere poteramus, nisi magistrum nostrum (Jesum Christum) videntes et per auditum nostrum vocem ejus percipientes, ut imitatores quidem operum, *factores autem sermonum ejus facti communionem habeamus cum ipso*, a perfecto (Deo) *augmentum* accipientes.“ Lib. 5. c. 1. n. 1. cf. Lib. 3. c. 20. n. 2. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 10. et can. 24.

5) Denique *bona opera necessaria esse, ne accepta justificationis gratia iterum amittatur*, his docet: „Adhuc etiam manifestavit (Jesus), oportere nos cum vocatione et *justitiae operibus* adornari, ut requiescat super nos Spiritus Dei.“ „Quoniam sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fidem et *castam conversationem* conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione Sancti Spiritus facti amittamus regnum coelorum.“ Lib. 4. c. 36. n. 6. Lib. 5. c. 9. n. 3. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 15 et can. 27.

6) Etiam de *Sacramento Eucharistiae* saepius loquitur, *veram et realem Jesu Christi praesentiam*, simul et *sacrificii notionem* in illo agnoscens: „Sed et suis discipulis dans consilium (Jesus Christus) primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et

calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, *suum sanguinem confessus* est, et Novi Testamenti novam docuit oblationem (seu sacrificium), quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.“ „Verbum (Dei est), quod offertur Deo“.[1]) Lib. 4. c. 17. n. 5. Adde cap. 18. et Lib. 5. c. 2. S. Irenaei doctrina.

Emicant in isto Opere sublimis perspicacisque ingenii acumen, acerrimi judicii firmitas, mira in excogitandis argumentis ubertas, in deligendis solertia, in proponendis facilitas, in refellendis adversariis vis ac dexteritas; hirsutas quoque haud raro molestissimi argumenti spinas emolliunt ac obscurioribus locis lucem afferunt elegantes et e re nata petitae similitudines; lectoris denique animum jucunde recreat condita interdum sale et facetiis oratio, atque identidem ad Deum sublevant et accendunt pii animi scintillae. In hoc tamen adeo praecellenti Opere etiam naevos quosdam, errores aut privatas insolitasque opiniones deprehendere licet, a quibus lectori cavendum est. Sic angelos ex materia subtilissima concretos esse existimavit, item animas humanas ex eadem materia compositas esse asserit, easque corpori, in quo sunt vel fuerunt, ita aptari, ut ejusdem habeant ac post mortem etiam retineant figuram; negat quoque, justorum animas statim post suum a corpore discessum divino conspectu frui; minus enim recte tres animarum sanctarum veluti stationes distinguit, primam in loco quodam invisibili, in quo detineri eas contendit ad resurrectionis usque tempus, alteram in terrena Jerusalem instaurata et renovata, tertiam demum in regno coelorum, in quo ipsius Patris conspectu aeternum fruantur.[2]) Aliquas etiam singulares opiniones fovet, ut de angelorum lapsu,[3]) et de aetate Christi, quem quadragesimum aetatis annum excessisse opinabatur.[4])

---

[1]) De hac s. Irenaei doctrina cf. Massuet Diss. III. Art. VII. Lumper P. III. P. 482—554. Möhler Patrol. p. 377—91.

[2]) De his cf. Massuet. Diss. III. Art. X. et Lumper P. III. p. 599—603.

[3]) Vid. lib. 3. c. 23. n. 8. lib. 4. c. 40. n. 3. lib. 5. c. 24. n. 4.

[4]) Vid. lib. 2. c. 22. n. 5. 6. Cf. Massuet Diss. III. Art. VI. Lumper P. III. p. 609—18.

S. Irenaei doctrina.

Inter ejusmodi opiniones singulares s. Irenaei varii auctores etiam eam recensent, quod existimaverit, protoparentes Adamum et Evam in aetate infantili creatos ac propterea matrimonio non statim usos fuisse. Scribit videlicet comparationem quandam faciens inter B. Mariam Virginem et Evam: „Consequenter et Maria Virgo obediens invenitur dicens: *Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum,* Eva vero inobediens: non obedivit enim adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens, (*erant enim utrique nudi* in paradiso *et non confundebantur*, quoniam paulo ante facti non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari,) inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis.“[1]) — Sed graecus textus hujus loci non exstat, unde haud possumus accurate expendere s. Doctoris verba, quod hac in re necessarium esset. Existimant videlicet varii auctores, aliam esse Irenaei sententiam, ejusque verba referenda esse ad innocentiam protoparentum ante peccatum, et illum tantum dicere, non illico sensum eorum ad connubia ex quibus erubescentia in aliis oritur inclinatum fuisse, ac dilatum esse ex oeconomia divina matrimonium, donec aliquanto diutius vita fruiti fuissent. Caeterum Irenaeus alibi commemorat verba quae Adam dixit in uxoris creatione, nec potuit non advertere ista infantili aetati haud convenire. Innocentiam protoparentum gratiae adscribit, et de peccato Evae loquitur iis verbis quae in infantem non conveniunt; peccato autem significat puerilem eorum sensum fuisse amissum. „Quoniam indolem et puerilem amiserat sensum, et in cogitationem pejorem venerat, frenum continentiae sibi et uxori suae circumdedit, timens Deum et adventum ejus exspectans et velut tale quid significans: Quoniam, inquit, eam, quam habui a Spiritu sancto sancti-

[1]) Vid. L. 3. c. 22. n. 4.

tatis stolam amisi per inobedientiam et nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento quod delectationem quidem nullam praestat, mordet autem et pungit corpus".[1] Vix crediderim hac in re Irenaeum ab aliorum Patrum doctrina dissensisse. — Benigna interpretatione etiam facile explicantur illa s. Irenaei verba: „Omnes justi habent sacerdotalem ordinem."[2] S. Irenaei doctrina.

Rationes, quibus s. Irenaeus utitur, aliquando erant velut ad hominem, et ex adversariorum principiis ac professione petita, quae efficaciam ab iis ipsis sortiebantur, praesertim ubi parabolas explicat et allegorias adhibet; quin et spuriae hinc inde occurrunt rationes, quibus ecclesiasticorum dogmatum veritas tegitur potius, quam illustratur,[3] quales sunt eae, quas a Christi aetate et regno millenario petit. Textus graecus deperditus, ut ex residuis ipsius fragmentis videre est et ex s. Hieronymi testimonio (ep. 75. n. 3.) constat, elegans fuit, nitidus et gravis; versionis vero latinae, quae textus graeci verbum e verbo expressit, stylus barbarus est, incomtus, asper et salebrosus, soloecismis et Graecismis scatens, auctorisque mentem multis in locis aut non satis aut male omnino exprimens; haec porro styli barbaries et argumenti difficultas effecit, ut librariis scribendorum sensum saepe minus assequentibus, codices parum correcti ad nos pervenerint. Haec tamen nequaquam deterreant ab egregii hujus Operis lectione. Si quis enim libri I. spinis haud deterritus eum accurate perlegerit, ibique exposita Gnosticorum dogmata attente meditatus fuerit, is huic constabit laboris fructus, ut fere nullam aut longe minorem in evolvendis et intelligendis caeteris libris difficultatem experiatur, imo ex doctrinae praestantia, sententiarum gravitate, argumentorum vi et efficacia, totque ac tam praeclare dictorum sublimi-

[1]) Cfr. de his Kleutgen Theologie etc. T. II. P. I. Neunte Abhandlung. Von der Gnade des ersten Menschen. Erstes Hauptstück III.

[2]) L. 4. c. 8. n. 3. Quo sensu locus iste debeat accipi, vid. Massuet. Diss. III. Art. VII. n. 100 et 101. Lumper P. III. p. 604—608. — Generatim de tota ejus doctrina disputat Massuet. Diss. III.

[3]) Phot. Cod. 120.

tate et pietate voluptatem non modicam operae pretium habeat, modo spiritum potius et res ipsas, quam formas linguae et dictionis attendat.

Editiones.

Editiones: Prima omnium editio est, quam procuravit Desid. Erasmus Roterodamus Basileae 1526. fol. Melior est edit. Fr. Feuardentii Coloniae 1596. fol. ibidem ac Parisiis deinceps saepius recusa. Prodiit porro cura Ern. Grabii edit. nova, accuratior et elegantior Oxonii 1702. fol. Editio praestantissima studio et labore D. R. Massuet ex Congreg. S. Mauri Paris. 1710. fol.; quae auctior adhuc recusa est Venetiis 1734. II Partes fol. Plura de his vid. in Massueti Praefat. editioni suae praefixa et apud Lumper P. III. p. 619—25. Möhler I. Bd. S. 393—94. Recusa dein et apparatu scientifico instructa est Massueti Editio ab Ad. Stieren, Lipsiae 1853. 8°. et ap. Migne P. G. T. VII. Demum Irenaei Opera edidit Hervey, Cambr. 1852. II. 6.

§. 60.

Reliqui insigniores Saeculi II Scriptores.

Restat, ut brevi conspectu exhibeantur alii hujus aevi Scriptores, vel qui in ss. Patrum veniunt censum, quorum tamen Opera dudum sunt deperdita, vel qui licet in ss. Patrum album referri nequeant, aut haereticos impugnarunt, aut alia scripta eruditionis et pietatis laude conspicua reliquerunt.

S. Dionysius Corinthius.

Inter ss. Patres quorum Opera deperdita plurimum deploranda sunt, et hodie nonnisi ex quibusdam fragmentis innotescunt, referri imprimis debet *s. Dionysius*, regnante M. Aurelio Antonino Imp., Corinthiorum ecclesiae episcopus. Tantae eloquentiae et industriae fuit, ut non solum suae civitatis et provinciae populos, sed et aliarum urbium et provinciarum Episcopos epistolis erudiret.[1]) Eusebius ejusmodi epistolas recenset, et quae continebant paucis indicat;[2]) sunt autem septem ad varias directae ecclesias quae catholicae dicuntur, et una *ad Chrysophoram fidelissimam sororem*. Verum de omnibus hisce epistolis ne una quidem tota ab interitu vindicata est. Magni

[1]) Hieron. de viris illustr. c. 27.
[2]) H. E. IV. 23.

momenti sunt ea quae apud Eusebium servata exstant ex epistola Dionysii ad Romanos, quum eadem tum de s. Petri Sede Romana, tum de epistola prima s. Clementis clara testimonia contineant.[1]) Mortuus est s. Dionysius circa a. 180.[2])

Philipp. Gortynens. aliique.

Philippus Gortynensium episcopus, quem Dionysius Corinthius magnopere praedicavit, *quippe cujus ecclesia laudem fortitudinis et generosi animi communi consensu retulisset,*[3]) *luculentissimum adversus Marcionem librum composuit,*[4]) qui totus temporis injuria intercidit. Vixit Philippus Dionysio coaevus, regnantibus M. Aurelio et L. Commodo. — *Pinytus Cretensis Gnossiae episcopus,* qui eodem tempore vixit, pariter a Dionysio Corinthio litteras acceperat, quibus hic rogabat, ne grave jugum continentiae tanquam necessarium fidelibus suis imponeret, sed ejus quae in plerisque hominibus inest infirmitatis rationem haberet. Verebatur enim Dionysius, ne forte nimia severitate ad errorem Encratitarum accederet. Ad haec rescripsit s. Pinytus *epistolam in qua admiratione quidem ac laudibus imprimis effert Dionysium, sed tamen hortatur, ut solidiorem cibum tandem impertiat, et transmissis iterum perfectioris doctrinae litteris plebem sibi commissam alere velit: ne forte lacteis sermonibus perpetuo innutriti homines, in infantili quadam disciplina paulatim consenescant. Quae quidem epistola et rectam Pinyti fidem, et sollicitudinem de profectu plebis ipsi commissae, eloquentiam quoque et peritiam rerum divinarum, velut tabella quaedam picta egregie commonstrat.* Ita Eusebius, H. E., l. IV. c. 23. Sed epistola haec dudum periit.

Jam aliquanto prius (c. 130) floruit *Agrippa Castor, vir valde doctus, qui adversus viginti quatuor Basilidis hae-*

---

[1]) Euseb. H. E. II. 25 et IV. 23.

[2]) De s. Dionysio Corinth. cf. Ceillier II. 80. (ed. 2. I. 461). Tillemont Mém. II. Galland. Biblioth. T. I. Proleg. c. 23. Sprenger Saec. II. Diss. 16. Lumper P. III. p. 1 sqq. Fragmenta collegit Galland. T. I. p. 675. Routh Reliquiae sacrae I. 163.

[3]) Euseb., H. E. IV. 23.

[4]) Ibid. c. 25.

Modestus, Musanus aliique.

retici volumina validissimam scripsit confutationem.[1]) Insignes pariter contra haereticos scriptores fuere *Modestus*, qui Marcionis haeresim oppugnavit (Eus. L. V. c. 17), atque *Musanus*, qui Encratitas et Severianos refutavit. Ab Eusebio numeratur Musanus inter illos scriptores ecclesiasticos, *quorum libri sinceram apostolicae traditionis et verae fidei doctrinam continentes ad nos usque pervenerunt.*[2]) — *Sextus*, *Arabianus*, *Heraclitus*, *Candidus*, *Apion* et *Judas* versus finem saeculi secundi Commodi ac Severi temporibus diversi argumenti scripta ediderunt, inter quae varii commentarii in s. Scripturae libros commemorantur.[3])

Clarissimus eo tempore fuit *Rhodon* Tatiani discipulus, et post hujus defectionem et ex Urbe discessum scholae Romanae praefectus. Errores Tatiani is impugnavit, celebrem disputationem habuit cum Apelle Marcionita, *Commentarios in Hexaëmeron*, et Opus insigne adversus Phryges (Montanistas) conscripsit. Sed praeter fragmenta quaedam servata apud Eusebium, haec omnia perierunt.[4]) — Scripsit tunc etiam *Maximus*, quem censent eruditi fuisse Hierosolymarum Episcopum, varios libros; quaestiones famosas *Unde malum* et *Quod materia a Deo facta sit* ipse insigni volumine ventilavit.[5])

Serapion quoque Antiochenus Episcopus varios libros confecit, et scripta ad Carinum et Pontium epistola Montani haeresim impugnavit.[6]) — *S. Apollonius Senator* Romanus, sub Commodo principe a servo proditus quod Christianus esset et in judicium vocatus, insigni apologia in senatu recitata fidei suae rationem reddidit (c. a. 186). Glorioso dein martyrio coronatus est.[7]) — *Apollonius alter*

---

[1]) Euseb., H. E. IV. 7; cf. Hieron. de viris illustr. c. 21.

[2]) Euseb., H. E. L. IV. c. 21; cf. Hieron. de viris illustr. c. 32. 31.

[3]) V. S. Hieron. de viris illustr. c. 48 sqq. Ceillier T. II. Permaneder Biblioth. Patrist. II. I. p. 210 sqq.

[4]) V. Euseb. H. E. V. 13; s. Hieron. de viris illust. c. 37. Ceillier T. II. Migne P. G. T. V. p. 1331.

[5]) V. Euseb H. E. V. 27 S. Hieron. de viris illustr. c. 47.

[6]) V. S. Hieron. de viris illustr. c. 41. Migne P. G. V. 1373.

[7]) V. Euseb. V. 21. S. Hieron. de viris illust. c. 42. Lumper P. IV. 1. Tillemont Mem. II.

S. Victor aliique.

vir disertissimus insigne et longum scripsit volumen sub finem hujus saeculi, quo haeresim Montani et asseclarum ejus Priscillae et Maximillae refutavit.[1]) Episcopus Ephesinus a quibusdam eruditis hic Apollonius fuisse censetur. — Versus finem saeculi secundi, uti ait s. Hieronymus, *Victor tertius decimus Romanae Urbis Episcopus super quaestionem Paschae et alia quaedam scribens opuscula rexit Ecclesiam sub Severo principe annis decem.*[2]) Nota est illa de Paschate quaestio, de qua Victor varias epistolas scripsit; inter alias exstabat tempore Eusebii epistola Synodi Romanae, cui Victoris Episcopi nomen praefixum erat.[3]) Tum epistolae Victoris tum alia ejus opuscula interierunt. — Occasione de celebrando Paschate etiam alii quidam Episcopi epistolas scripserunt. Celebris est *Polycratis* metropolitae Ephesini epistola ad Victorem, qua vehementia quadam facunda de gloria ecclesiarum Asiae disserit, et morem celebrandi Paschatis ibidem observatum acrius tuetur. Duo majora fragmenta hujus epistolae Eusebius (V. 24) servavit. — *Palmas,* Amastridis in Ponto episcopus, videtur auctor fuisse epistolae de tempore Paschatis celebrandi, quae nomine Ponti episcoporum ad s. Victorem scripta est; praesedit enim ut antiquissimus ejus provinciae Episcopus synodo in Ponto habitae.[4]) — *Bachyllus* in Corinthi sede s. Dionysii successor, et ab Eusebio recensitus inter eos, qui rectae fidei doctrinam scriptis suis proditam nobis reliquerunt (H. E. V. 22), de Pascha ex omnium qui in Achaja erant episcoporum persona elegantem librum scripsit.[5]) Qui liber non alius esse videtur, ac epistola cujus Eusebius mentionem fecit dicens: *Seorsim vero Bachylli Corinthiorum Episcopi aliorumque complurium epistolae exstant* (H. E., V. 23). Sed libellus iste interiit. — *Theophilus,* pariter Caesareae in Palaestina Episcopus, eo tempore adversum eos qui XIV luna cum Judaeis Pascha

[1]) V. Euseb. V. 18. S. Hieron. de viris illustr. c. 40. Migne P. G. V. 1375. Tillemont Mem. II.

[2]) De viris illust. c. 34. Cf. Euseb. L. V. c. 23. 24. 28.

[3]) Euseb. H. E. L. V. c. 23. [4]) Euseb. H. E. V. 23.

[5]) S. Hieron., de viris illustr. c. 44.

faciebant, cum episcopis caeteris (Palaestinae) synodicam et valde utilem composuit epistolam.[1]) Etiam haec epistola deperdita esse videtur; quae enim nunc sub nomine Theophili exstant Acta synodalia de Paschate valde dubia sunt.[2])

S. Hegesippus.

Demum hoc loco silentio praetermitti non potest *s. Hegesippus*, cujus laudes Eusebius atque s. Hieronymus celebrant. Hegesippus videlicet vir antiquus et apostolicus, ex Hebraeis ad Christi fidem conversus, *omnes a passione Domini usque ad suam aetatem ecclesiasticorum actuum historias texens, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros* (memorabilia actuum ecclesiasticorum) *composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, eorum dicendi quoque exprimeret characterem.*[3]) Is sub Aniceto Papa Romam venit, ibique mansit usque ad Eleutherum qui a. 175 s. Soteri successit. In quo itinere plures adiit ecclesias, imprimis Corinthiacam, cum cujus Episcopo Primo familiariter collocutus est, et de illius ecclesiae statu sciscitatus, Corinthios in recta fide usque permansisse audivit. Sed et ad alias ecclesias quod attinet, in singulis Episcoporum successionibus et per singulas urbes eamdem fidem viguisse, eademque mansisse quae a Domino praedicata fuerunt, enarrat. *Haeresium quoque, ait Eusebius, quae sua aetate exortae sunt, initia exponit, . . . et sectas illas, quae quondam apud Judaeos invaluerunt recenset, . . . nonnulla item ex Hebraeorum Evangelio et Syriaco profert, . . . denique agens de libris qui apocryphi dicuntur, quosdam eorum sua aetate ab haereticis compositos esse scribit.*[4]) Opus hoc Hegesippi interiit; quaedam fragmenta apud Eusebium, Photium et Georgium Syncellum inveniuntur. Obiit autem s. Hegesippus, si Chronico paschali fides habenda est, anno 180.[5])

---

[1]) Euseb. H. E. V. 22. [2]) Cfr. Permaneder, II. p. 218.

[3]) S. Hieron., De viris illustr. c. 22.

[4]) H. E., IV. 22. cf. c. 8.

[5]) Cf. de Hegesippo, Galland. T. II. Prolegom. c. 2. Lumper P. III. p. 105. Möhler Patrol. p. 328. Ceillier II. 100 (ed. 2ª, I. 473.) Al-

Caput III.

De Patribus Saeculi III.

§. 61.

Conspectus hujus aevi et character Scriptorum generatim.

Conspectus aevi.

Gentilium superstitio, tota Imperii Romani potestate suffulta, cum virtutem religionis christianae recens exortae in dies magis persentisceret, omni modo eam reprimere et superare adnisa est. Persecutiones cruentae in asseclas religionis christianae identidem desaevierunt, initio hujus saeculi, et post quietem quadraginta annorum brevi vix tempestate interruptam, quae multorum Christianorum fortes et intrepidos animos emollierat ac fregerat, iterum medio hoc saeculo, denique sub initia saeculi IV. Gentiles etiam, quos latere non poterant progressus rei christianae, magna ex parte demonstrationibus de religionis christianae praestantia et veritate devicti, suam quoque superstitionem pulcre exornare ac rationi consonam ostendere conati sunt. Hinc Christiani, cum apologias optato successu frustrari satis cognoscerent, ferventibus persecutionibus suos ad fortitudinem et martyrii cupiditatem accendere debilesque erigere satis habuerunt, lapsisque ex diuturnae pacis assuetudine adjutricem porrexere manum. Neque amplius necesse fuit Christianorum innocentiam demonstrare ac semet defendere, sed

---

lemand-Lavigerie, De Hegesippo disquisitio historica, Paris 1850. Insignia aliquot Fragmenta quae ex Hegesippi Opere hodie adhuc reperire licet, collegit Galland. T. II. p. 59—67. Ap. Migne P. G. V. 1303. Item J. Schulthess, Hegesippus princeps auctor rerum christianarum Saec. I. et II. nunc primum seorsim recognitus et secundum Criticen histor. exploratus. Turici 1833. — De omnibus auctoribus hoc paragrapho memoratis conferri potest J. A. Fabricius Biblioth. Graeca Vol. VII. p. 139—183.

Character Scriptorum.

Christiani nunc ipsa adversariorum castra aggressi, potissimum idololatriae absurditatem, turpitudinem ac vanitatem et religionis christianae praestantiam manifestam declararunt. — Judaeos vero nonnulli Christianorum impugnarunt, ut eos ad veram fidem converterent, iisdem armis usi, quibus hucusque decertaverant. — Haereticorum autem variae tunc fuere sectae, veritatem fidei adulterantes. Gnostici, quos tanta vi debellaverant s. Irenaeus aliique saeculo II ad finem vergente, properabant ad interitum. — Montani asseclae et ipsi non in multam aetatem suos protraxere dies. — Antitrinitarii vero, tunc maxime florere coeperunt, quorum varii saeculo III. erant auctores, Noëtus, Praxeas, Sabellius et Paulus Samosatenus, qui vel unam solum in Deo personam agnoscebant, quae ipsa omnia Incarnationis et Redemptionis mysteria operata fuerit, vel varias a Deo profectas esse virtutes statuebant, quae in homine Jesu et cum illo aliquamdiu junctae eadem perfecerint mysteria, ita tamen, ut SS. Trinitatis mysterium semper ab iisdem fuerit negatum. — Denique hoc saeculo fere medio etiam Novatiani haeresis, ac Novati et Felicissimi schisma post Decii persecutionem emersit, in qua multi Christianorum a fide defecerant, *lapsi* idcirco dicti. Horum prior nimium in recipiendis lapsis rigorem prae se tulit, alter vero nimia in eos lenitate usus est; ambo autem, quod Ecclesiae hostibus, quamvis plurimum inter se dissidentibus, solemne est, mox contra Ecclesiam juncti ejus disciplinam subvertere, ejus unitatem disturbare, potestatem denique eidem a Christo datam angustioribus limitibus circumscribere praesumserunt. Contra perversos hosce et impios conatus aciem movit Ecclesia Romana et Carthaginensis, cujus strenuus dux erat s. Cyprianus. — Praeterea nunc quoque frequentiores de moribus ac virtutibus christianis Tractatus conscripti sunt, qui ob circumstantias illius temporis, vel propter Gentilium furorem, vel propter haereticorum, maxime Gnosticorum, hinc inde repullulantium perversas morum doctrinas magis necessarii videbantur.

Accedebat denique frequentior s. Scripturae inter-

pretatio. Cum enim Gnostici primum eam variis modis in alienos detorquerent sensus, necesse fuit regulas statuere, ex quibus verus illius sensus certo erui posset; necesse pariter fuit, eos libros, qui potissimum depravationem fuerant experti, recte interpretari, ne fideles tam facile in alienum sensum pertraherentur, vero istorum librorum sensu iisdem perspicue et dilucide ob oculos posito. Cum porro immediata veri sensus s. Scripturae perceptio altero labente saeculo, quo tempore relationes externae sensim haud parum immutatae fuerant, multaque olim omnibus cognita et perspecta nunc demum obsolescere et in oblivionem abire coeperant, magis in dies obliteraretur, ideo necessarium etiam fuit, ea in mentem revocare, quae ad sensum s. Scripturae rite assequendum opportuna videbantur. Illi tamen in s. Scripturis interpretandis dogmata maxime et mores respiciebant, atque ad exemplum Christi et Apostolorum typos in Veteri Testamento quaerebant atque allegorias sectabantur, de littera explicanda minus solliciti, quum ea tunc temporis minus adhuc obscura evasisset, nec adeo expositione indigeret. Character Scriptorum.

Cum vero Gentiles philosophiae assueti etiam in religione christiana sapientiam quaererent, Gnostici autem fidem transcendentes, scientiam se habere gloriarentur et simplicem fidem irridentes despicerent, multosque falsa scientiae promissae spe allicerent, etiam Christiani magistri, praesertim in schola Episcopali Alexandrina, qua in urbe tunc varii generis disciplinae maxime floruerunt, fidei tamquam basi certae et immobili scientiam quoque adjungere et superstruere coeperunt; ex philosophia gentili, quae veritati consona erant, transtulere in suam scientiam christianam; formas item demonstrationis similes Graecorum formis demonstrandi adhibuere; et ut omnem cavillationis ansam praeciderent, puriori et elegantiori linguae Graecae, quam antehac apud Scriptores e coetu Christianorum usu venerat, operam dederunt. Quae tamen initia Alexandriae tentata minus prospere cesserunt; quare etiam Clemens Alexandrinus et Origenes, antiqui certe testes fidei, sed non omnino fide digni, qui aliqua ratione

typum Ecclesiae orientalis praeformarunt, ab Ecclesia tamquam Patres non suspiciuntur. — Tunc quoque in Africa primum latina lingua ad usus ecclesiasticos in elucubrandis scriptis usurpari coepit a Tertulliano, quondam Rhethore, qui et ipse quodammodo in scriptis suis imaginem futurorum Ecclesiae occidentalis Patrum adumbravit.[1]) Ibi materiae practicae hisve proxime affines, utpote characteri populi Romani ac provinciae Africae et linguae latinae genio magis accommodatae, sat frequenter pertractantur. Ex his sequitur, Tertullianum et Clementem Alexandrinum ejusque discipulum Originem, quamquam non sint Ecclesiae Patres, paucis tamen hic esse pertractandos.

§. 62.

Tertullianus.

Fontes et Subsidia.

Fontes. Eusebius H. E. L. II. c. 2. (cf. Rufini versionem hujus loci). S. Hieronymus de viris illustr. c. 53. Auctor Praedestinati c. 86 cf. c. 26. (Ap. Migne P. L. T. LIII). S. Vincent. Lirinens. Commonitorium c. 18. Ipsius Tertulliani scripta.

Subsidia. J. Pamelii Vita Tertulliani praefixa ejusdem editioni Opp. Tertulliani. — Histoire de Tertullien et d'Origene par S. de la Motte. Paris 1675. — Tillemont T. III. — Dupin T. I. — Ceillier T. II. — Nourry T. II. Dissert. IV. — Lumper P. VI. — Noesselt, Dissertatio de vera aetate ac doctrina scriptorum quae supersunt Qu. Sept. Flor. Tertulliani, Halae 1757. (Exstat haec dissertatio ap. Lumper l. c. p. 30 sqq.) — Möhler Patrol. — Neander, Antignosticus, Geist des Tertullians ed. 2. Berlin 1849. — Hauck, Tertullians Leben und Schriften, Erlangen 1877. — Freppel Tertullien 2 vol. Paris 1864. — De chronologia vitae et operum Tertulliani recenter scripserunt Kellner Tübing. Quartals. 1870. 1871. Bonwetsch, Die Schriften Tertullians nach der Zeit ihrer Abfassung. Bonn 1878. — Cf. Chevalier s. v. Tertullien.

Q. Septimius Florens Tertullianus patre centurione natus est Carthagine post saeculi II medium c. an.

[1]) In eo veteres Patres „laudant ingenium, sed damnant haeresin", quippe cum „scriptis probabilibus subsequens error detraxit auctoritatem". S. Hieronym. adv. Rufin. lib. 3. n. 27. et ep. 84. n. 2. S. Hilar. Commentar. in Matthaeum c. 5. n. 1. Simile quid dicendum de Clemente Alexandrino et Origene.

160.[1]) Solerter inde a puero ingenium suum foecundum institutione et industria in variis disciplinis humanioribus exercuit, post eas vero jurisprudentiae potissimum incubuit. Fuit autem in ethnica superstitione educatus, nec a vitiis se immaculatum servavit. Invicta Martyrum crudelissimis in tormentis constantia, potestas Christianorum stupenda in daemones eorumque simulacra et oracula, denique metus judiciorum divinorum eum permoverunt, ut ad fidem Christi se converteret c. a. 190. Matrimonio adhuc post conversionem junctus erat. Cum divinis humanisque litteris apprime excelleret, Presbyter dein est ordinatus.[2]) Tertullianus jam Christianus quibus se occu- Tertulliani vita.

---

[1]) Pleraeque vitae Tertulliani circumstantiae satis obscurae, incertae, perplexae et intricatae sunt, maxime vero ejusdem chronotaxis in ancipiti haeret. Quoad antiquorum testimonia enim res fere omnis duobus locis s. Hieronymi innititur per se non admodum claris, de viris illustr. c. 53, et Euseb. Chron. a s. Hieronymo verso ad a. 16. Septimii Severi. Ex operibus Tertulliani varia quidem colligi possunt, sed non nisi subtili et ardua indagatione, quae usque ad dies nostros eruditos uti sollicitos ita et tenet discordes. — Ex s. Hieronymi textu haec citare juvabit. „Tertullianus presbyter, scribit de vir. ill. c. 53, primus post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur, provinciae Africae, civitatis Carthaginensis, patre centurione proconsulari. Hic acris et vehementis ingenii sub Severo principe et Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina, quae quia nota sunt pluribus praetermittimus . . . Hic quum usque ad mediam aetatem presbyter Ecclesiae permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad Montani dogma delapsus in multis libris novae prophetiae meminit. Specialiter autem adversus Ecclesiam texit volumina de pudicitia, de persecutione, de jejuniis, de monogamia, de exstasi libros sex, et septimum quem adversus Apollonium composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam aetatem, et multa quae non exstant opuscula condidisse.“

[2]) Contendunt alii, fuisse eum presbyterum ecclesiae Romanae, alii vero eum presbyterum ecclesiae Carthaginensis fuisse statuunt. Cf. Lumper l. c. p. 6—11. — S. Hieronymus, secundum textum citatum obvio sensu intellectum, videtur Tertullianum habuisse ut presbyterum ecclesiae Romanae. Tertullianum usque ad priores annos s. Zephyrini R. P. Romae multum saltem versatum fuisse, innuunt non pauca quae in ejus scriptis occurrunt. Cf. e. g. Apolog. c. 1. 6 25. 30—35. De praescript. c. 30. Adv. Praxeam. c. 1. — Sunt qui existimant Tertullianum non fuisse presbyterum, idque colligunt praesertim ex de orat.

Tertulliani vita.

pationibus totum dederit, scripta ejus palam faciunt; siquidem tractatus complures consummatissimo homine Christiano dignos adversus omnes haereticos, Judaeos atque Gentiles edidit, et quidem tam disertos, tam copiosos, omnique argumentorum genere refertos, atque e divinae Scripturae thesauro depromtos, ut christiana pietas eos semper plurimi fecerit[1]), nec hactenus admirari cesset. Sed egregios hos inter labores senioque jam propinquans turpissima tandem defectione in haeresin Montani prolapsus est, non multo post annum 200,[2]) ejusque errores non solum sibi adscivit, verum auxit etiam, tristissimum relinquens humanae fragilitatis, nimium de se praesumentis, exemplum. Decrepita jam aetate obiit, uti plures existimant c. a. 245; varii tamen anteriore tempore, c. a. 220 putant eum defunctum esse.[3])

Tertulliani Opera sedulo discernenda sunt, ut, quae haeresim defendunt vel sapiunt, nonnisi caute legamus et errores caveamus. Sunt autem Tertulliani opera partim

---

c. 20, et de exhortat. castitatis c. 7. Sed textus illi apte explicari possunt. Innuitur de anima c. 9 satis, Tertullianum fuisse presbyterum, et hac in re videtur s. Hieronymus antiquam traditionem referre.

[1]) Id quod de s. Cypriano scimus ex s. Hieronymo de viris illustr. c. 53.

[2]) De causis et tempore hujus defectionis optime disputat P. Corbiniamus Thomas Quaest. IV in Vitam Tertull. libro de praescript. praemissam. Salisburgi 1752. Cf. Lumper l. c. p. 14—17. — Lumper l. c. p. 16 et Noesselt ibid p. 34 jam c. a. 200 Tertullianum ad Montanistas transiisse existimant. Tillemont l. c. Art. VII cum defecisse censet a. 207. Pamelius anno fere 211 ejus defectionem collocandam esse statuit. — Tertullianus ipse in tertia Libri primi adv. Marcionem editione, quae incidit in a. 207 aperte ostendit, se Montanistarum sensa sequi. Incertum tamen est, utrum jam plene ab Ecclesia catholica se separaverit. Tendentiae quaedam rigoris Montanistici etiam in anterioribus scriptis occurrunt.

[3]) Sententiarum diversitas de anno defectionis Tertulliani similem discrepantiam de anno mortis inducit, quam anno 220 illigant, qui ejus defectionem prius contingisse censent; qui vero posterius, ad a. 245. vel circiter mortem ejus referunt, ut Ceillier (T. II. Ch. XXVIII. A. I.), et Tillemont (T. III. Tertullien A. XIII.). Censemus, hanc sententiam esse probabiliorem, eamque cum Tertulliani scriptis et cum eventibus vitae ipsius aptius componi.

apologetica, partim adversus Judaeos, partim adversus haereticos conscripta, alia de doctrina morali vel de Ecclesiae disciplina tractant, alia denique Ecclesiam catholicam impetunt. Tertulliani Opera.

I. Inter Opera, quibus religionem christianam contra Gentes tuetur eminet *Apologeticus*, summo semper in pretio habitus, in quo se ipsum Tertullianus styli elegantia, argumentorum vi ac multiplici eruditione vicit, nec solummodo cunctam saeculi disciplinam exposuit, sed et Ecclesiae causam plene perorasse videtur. In eo praesertim varia crimina Christianis objecta splendide diluit. — Idem fere argumentum continent *libri duo ad Nationes* (i. e. ad Gentiles), sed alio eoque meliore ordine; isti tamen duo libri, praecipue vero secundus, hiatibus et lacunis deformantur. — Tractatus brevis *de testimonio animae* pulchre ostendit, animam naturaliter et quasi invitam agnoscere, unum dumtaxat Deum esse, et Dei judicium ac retributionem futuram in altera post hanc vitam imminere, denique animam esse immortalem. — Tria haec opera eodem fere tempore, unum post alterum edita esse, ex argumentis internis colligitur. Ultimum opusculum fuit illud de testimonio animae. Duorum vero aliorum operum quale fuerit prius, controvertitur. Apologeticus ad senatores supremosque magistratus directus est, libri ad nationes destinati fuisse videntur omnibus gentilibus cultis. Apologeticum saltem ex parte Romae confectum esse, varia indicia interna ostendunt.[1]) Inter annos 197—202 scriptos esse hos libros, satis constat.[2]) — *Libro ad Scapulam*, qui Africae Praeses erat, Tertullianus libertatem cultus divini asserit, illiusque animum variis propositis rationibus a severa agendi in Christianos ratione revocare conatur. C. a. 211—213 hic liber scriptus esse censetur.[3])

---

[1]) V. c. 1. 5. 6. 25. 30—35. Cfr. De Rossi Bolletino IV 19. 11.

[2]) Cf. De Rossi l. c. Kellner, Tüb. Quartalschr. 1871. p. 587 sqq. Bonwetsch l. c. p. 13 sqq.

[3]) Cf. Tillemont T. III. p. 57. 99 (ed. Bruxell a. 1738). Kellner l. c. p. 601. Bonwetsch l. c. p. 57.

Tertulliani Opera.

II. *Liber adversus Judaeos* exponit, quae sit relatio Gentilium ad Judaeos, legis item Mosaicae positivae ad legem naturae moralem atque ad Evangelium. Jesum Christum vero Messiam esse a Judaeis exspectatum inde probat, quod vaticinia Prophetarum omnia de Messiae adventu in eo perfecte fuerint adimpleta; a Judaeis autem non fuisse agnitum addit, quod ejus postremum adventum gloriosum cum primo humili et abjecto confuderint.

III. Tertiam classem constituunt plurima Tertulliani Opera contra haereticos, in quibus primum facile locum occupat *Liber de praescriptionibus adversus haereticos.*[1]) Eo in Opere vere praeclaro, quod caeteris omnibus illius Operibus longe praestare inter omnes constat, veritatem fidei in Ecclesia catholica traditae seu Traditionis formalis probat ex Apostolica Ecclesiae origine, ex doctrinae in universa Ecclesia unitate et antiquitate; haereticos vero, quibus haec omnia veritatis criteria desunt, qui fallaci consilio nonnisi ad s. Scripturam provocant, quam suo privato sensu interpretantur, quos inter denique omnis disciplina vacillat atque negligitur, idcirco penitus esse rejiciendos ostendit. — Postquam ita „generaliter adversus haereses omnes“ egit, speciatim aliquot haereticos vel aliquos etiam haereticorum errores singulis Operibus aggressus est. Inter haec porro eminet *Opus contra Marcionem*, in quinque libros partitum, quod recte dici potest veluti thesaurus Theologiae antiquae. In hoc Dei unitatem demonstrat, doctrinam Ecclesiae de creatione et mysterium Incarnationis Jesu Christi exponit et demonstrat, ac de Veteri Testamento praeclare disputat; liber IV. et V. pro arte critica et interpretatione s. Scripturae permulta exhibent valde utilia.[1]) — Dei unitate contra Marcionem probata trium personarum distinctionem[2]) *libro contra Praxeam* tuetur, in quo Opere perspicue fidem Ecclesiae de Trinitatis et Incarna-

---

[1]) Editus est L. I. c. Marcionem a. 207 (v. c. 15); se Paracletum (Montani) jam agnoscere c. 29 significat.

[2]) Voce *Trinitatis* ipse primus usus est hoc in libro c. 2.

tionis mysterio exponit.[1]) — In *libro adversus Hermogenem*, qui aeternam docebat esse materiam, doctrinam de creatione accuratius discutit, ostendens, a Deo ipsam quoque materiam, ex qua mundum condidit, esse creatam. — In *libro contra Valentinianos* mordaci calamo multoque cum lepore satyram potius scribens, quam serium Opus, istorum haereticorum errores traducit. Tertulliani Opera.

Alia vero sunt Opera, in quibus errores haereticorum refellit Tertullianus, et catholicas tuetur veritates, quin contra haereticum quemdam speciatim sint directa. Huc pertinet *liber de carne Christi*, in quo probat, Christum Dei Filium veram assumsisse carnem humanam vereque ex Virgine natum esse. Huic Tractatui paulo post superstruxit *librum de resurrectione carnis*, in quo corporis humani dignitatem praeclare vindicat, et resurrectionem, non spiritualem animae per conversionem, sed veram carnis humanae aliquando futuram adstruit et solide probat. — *Liber de anima*, contra philosophos et haereticos scriptus, de animae natura ac qualitatibus, de illius origine ac de statu animae post mortem prolixe disserit. Erroribus tamen hic liber non omnino vacat, et a Tertulliano confectus est quum jam esset Montanista. — Demum contra Gnosticos, qui martyrium vilipendebant, exaratus est liber: *Scorpiace* (*σκορπιάκη ἀντίδοτος*), i. e. antidotum contra venenum haereticorum, scorpionibus similium, ubi contra Gnosticos cum martyrii necessitatem, tum ejusdem praestantiam defendit.

§. 63.

Continuatio Tertulliani.

IV. Sequuntur libri, qui ad disciplinam moresque pertinent aut exhortationes morales continent. — Itaque *liber ad Martyres* i. e. ex hodierno usu loquendi ad *Confesso-*

[1]) Disquisitionem quis fuerit Praxeus v. ap. De Rossi Boll. IV. 68 sqq. Hagemann Die Röm. Kirche, II. 13. Jungmann Dissert. T. I. 215 sqq.

res[1]) acris est exhortatio, qua eos ad pacem mutuam, ad constantiam in fide, alacritatem in perferendo carceris squalore et imminentibus suppliciis et generatim ad patientiam in tolerandis malis vehementer animat. Nihil hoc brevi sermone vehementius aut movendis animis aptius dici potest. Adhuc catholicus Tertullianus opusculum hoc conscripsit, dixeris eo tempore quo et Apologeticum confecit. — *Liber de oratione* rectum ejusdem modum docet, mox totam orationem dominicam explanat; in altera ejusdem parte agit de praeparatione ad orationem necessaria, de ritibus externis, loco et tempore orationis, demum de orationis effectu. Nulla Montanismi indicia in eo reperiuntur. — In *libro de spectaculis* expendit quaestionem, an Christianis liceat spectaculis (illius aetatis) interesse. Ostendit vero cum idololatria ac numinum cultu intime cohaerere spectacula, ac theatrum esse *privatum consistorium impudicitae* (c. 17.), atque adeo spectacula Christianis esse interdicta. Coronidis loco exponit, quaenam sint voluptates et oblectamenta, quae Christianos deceant. Stylo fervido et concinno opusculum hoc conscriptum est. Romae confectum esse dixeris, mentionem enim facit obelisci ex Aegypto allati, qui Romae in circo inveniebatur.[2]) Montanistam eum jam fuisse, quum hunc libellum scriberet, ut aliqui opinati sunt, non apparet; quaedam tamen nimis rigide et non satis solide profert.[3]) — Post tractatum de spectaculis[4]) alterum conscripsit Tertullianus libellum *de Idololatria,* in quo varios, si ita loqui fas est, conscientiae casus proponit, discutit et resolvit.

---

[1]) „Martyres designati" vocantur a Tertulliano ad Martyr. c. 1.

[2]) „Obelisci (in circo) enormitas, scribit, ut Hermateles affirmat, Soli prostituta: scriptura ejus, unde et census de Aegypto, superstitio est". c. 8. De Obelisco Plinius L. 36. c. 9: „Is autem obeliscus, inquit, quem divus Augustus in circo magno statuit, excisus a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, centum viginti quinque pedum et dodrantis praeter basim ejusdem lapidis. Is vero qui est in campo Martio novem pedibus minor a Sesostride."

[3]) V. c. 23, ubi omnem ludum scenicum ut *hypocrisim* proscribit.

[4]) V. de idololatria c. 13.

Demonstrat autem, non modo idolis sacra faciendo crimen idololatriae committi, sed et multis aliis rationibus, quas per singulas vitae humanae conditiones et munera sive publica, sive privata accurate prosequitur et sedulo fugere jubet. Quae velut generalia principia Tertullianus hic ponit fere omnia vera sunt, nimis rigidum autem passim se ostendit in applicatione principiorum.[1]) — *Liber de patientia,* praeclarum Tertulliani opusculum, adhortatio eximia est, multa cum eloquentia exponens rationes, quibus ad hanc virtutem moveri et adversus impatientiam praemuniri possunt Christiani. —

Liber de baptismo tractat de baptismi necessitate et efficacia, de sacramento confirmationis, quod antiquitus seu complementum baptismi considerabatur, de baptismo Joannis ejusque effectibus, de baptismi iteratione prohibita, de baptismo sanguinis, de baptismi ministro et tempore, demum de praeparatione ad baptismum. Negat Tertullianus c. 15 baptismum haereticorum esse validum; erronee sane, nisi velis restringere ejus verba ad haereticos qui invalido modo sacramentum administrabant. Rigorismo seductus etiam c. 18 suadet vehementer baptismum differre, ob pericula lapsus, usque ad provectiorem aetatem. — Celeberrimus est Tertulliani *de poenitentia* liber et valde utilis pro re theologica. In eo ab initio generatim de poenitentia tractat eamque necessariam adstruit „pro omnibus peccatis et delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis.“ Tum duo distinguit poenitentiae genera; prior est illa quae agitur ante baptismum; posterior est eorum, qui in peccata gravia post baptismum infeliciter lapsi inde exsurgunt operosa poenitentia. De hac deinde disserens poenitentiae publicae, Exomologesis dictae operosa depingit exercitia, ejusque necnon oralis peccatorum confessionis necessitatem demonstrat ac tandem eos acerrime objurgat, qui criminibus post baptismum admissis poenitentiam amplecti erubes-

[1]) Cf. e. g. c. 19, ubi militiam Christianis non licere contendit.

Tertulliani Opera.

cebant, eosque ideo misere perituros praedicit. Tractatus hic, uti et praecedens, a Tertulliano ante defectionem suam conscriptus est.

Libros porro duos *de cultu feminarum*[1]) scripsit Tertullianus, quibus eas a nimio cultu et ornatu retrahit, eisque potius humilitatem et castitatem inculcat. — *Libri duo ad uxorem* ad formam testamenti conscripti videntur, quo ultimam eidem declararet suam voluntatem (cf. L. I. c. 1.). Itaque libro primo eam totis viribus dehortatur, ne post ejus mortem superstes ad alteras nuptias transeat; posteriori autem ei praecipit, ut si rursus nubere velit, saltem Christiano nubat, et felicitatem matrimonii christiani egregie describit. Tota veterum Christianorum vitae domesticae ratio ex nullo fortassis antiquitatis ecclesiasticae monumento plenius meliusque perspicitur. Etiam haec duo opera a Tertulliano ante suam ad Montanistas defectionem edita esse, eruditi universim ex indiciis internis colligunt.

Tertulliani *liber de pallio,* quo probare conatur, merito se togam deposuisse, ut pallium indueret, opusculum est, quo magna cum eruditione ac stylo faceto et satyrico, pallii prae toga merita auctor describit. Obscurus tamen est nec quae ad theologiam pertinent in eo tractantur. Alii jam anno 193 brevi post suam ad religionem christianam conversionem librum hunc a Tertulliano scriptum esse, ex indiciis quibusdam temporis deducunt, alii ad a. 208—211 hoc opusculum referunt, dum indicationes easdem alia ratione exponunt.[2])

Libellus *de corona* speciali quadam occasione a Tertulliano conscriptus est. Quum donativum militibus erogaretur, ac caeteri ex more ad tribunum accederent caput laurea redimitum, unus coronam illam manu gestans accessit. Qui interrogatus, cur ita ageret, religionem chri-

---

[1]) Editores ante Rigaltium priorem librum *de habitu muliebri* inscripserunt, alterum *de cultu feminarum;* nunc isti duo libri communem gerunt inscriptionem: „De cultu feminarum.“ Cf. L. I. c. 4.

[2]) Cfr. Kellner Tubing. Quartals. 1870. p. 547 sqq. Bonwetsch l. c. p 50.

stianam sibi causam esse respondit, cur coronam capiti non imponat. Quare post ictus bene multos in carcerem detrusus est. Multi autem Christiani, ipsique commilitones militi facinus tanquam imprudenti et praecipiti exprobabant, ac mussitabant *tam bonam et longam sibi pacem periclitari* (c. 1.). Tertullianus pro aspero et rigido ingenio suo libro *de corona* scripto militis causam propugnavit. In eo absolute prohibitum esse Christiano contendit, caput redimire corona, idque conatur probare ex ratione, Traditione quam valde extollit et s. Scriptura. Montanismi indicia in illo rigore sane deprehenduntur. De tempore quo opusculum hoc scriptum sit disceptant eruditi. Nösselt e. g. anno 201 illud attribuit, Bonwetsch anno 202,[1]) Kellner anno 211. Sed tempore Severi *bonam et longam pacem* aliquando Christianis, etiam in Africa, fuisse, non nisi aegre dici potest. Videtur enim persecutio, etsi non semper eadem vehementia, usque ad mortem Severi Imperatoris durasse.[2]) Unde posteriori tempore potius liber conscriptus esse censendus est, quumque *praestantissimorum Imperatorum* mentio fiat, Tillemont existimat opusculum scriptum esse anno 235, quando Maximini duo, pater et filius, regnabant. Tunc vero bona et longa pax persecutionibus successerat.

V. Ultimo denique loco collocanda sunt Opera, quae ideo solum Tertullianus confecit, ut praecipua sectae Montanisticae capita proponeret et defenderet. Huc pertinet liber *de fuga in persecutione*, quam divina lege illicitam putat; *liber de jejuniis*, quae Montanistico rigore praescribit; *liber de monogamia* et alius *de exhortatione castitatis*, in quibus secundas absolute damnat nuptias ut fornicationem et adulterium; *liber de pudicitia*, quo contra Ecclesiam probare conatur, eidem non competere potestatem remittendi peccata fornicationis et adulterii; denique *liber de velandis virginibus*, quo ritum, ut virgines in ecclesia velato capite apparerent, tamquam praeceptum Paracleti mordicus defendit.

---

[1]) L. c. p. 71.

[2]) Cf. Allard, Histoire des persécutions T. II. Ch. III. II. p. 129 sqq.

Operum indoles.

Tertullianus acris et acuti erat ingenii, ad miraculum usque eruditus, et ardens. Imaginandi vis ampla atque prognata, inde ingenii ubertas se undique per exquisitas cogitationes, acutas sententias, imagines vivacissimas, per festivos sales et mordaces cavillationes, omneque dictionis genus diffundunt; his facultatibus raptim et tumultuarie multoties agitatis judicium non semel caespitat; unde ejus argumenta splendoris ac speciosi multum, ponderis vero et solidi parum saepe habent. Praeter facilitatem quibusque narratiunculis assentiendi haud infrequenter res in majus efferendo aut plane confingendo hallucinatur, sicque lectorem ipse abreptus secum rapit potius, quam ratione ad suas partes invitat; in rebus minimis quandoque exardescit et multa duriora, quam prout intelligi volebat ipse, profert. In falsis doctoribus et christianae doctrinae corruptoribus reprimendis acerrimus est, atque innato eos animi impetu, capitali odio, dicteriis et opprobriis liberali homine parum dignis persequitur. In morum doctrina haud raro nimium in rigorem deflectit; frequens hic et alibi in sacrarum litterarum usu, nec indoctus earundem interpres, sed parum ingenuus, suarum utpote opinionum ex iisdem eliciendarum plus aequo studiosus. In earum autem lectione ita versatus erat, ut varios haud raro in unica periodo locos sibi invicem attexuerit; graecum vero textum semper ob oculos habuit, quem ex propria versione latinum reddidit. Stylus ejus duritiem plus quam Africanam redolet. In verbis amplitudini et vi cogitatuum suorum respondentibus ubique auctoris singulare studium apparet. Ideae ideis, vocabula vocabulis condensantur, ut ex illa dictionis obscuritate sententia auctoris conjectando potius, quam probe perspiciendo eruatur. Voces obsoletae, aut recens formatae aut affectatae, constructiones verborum asperae, abusiones variae, stylus inaequaliter fluens, condensa brevitas, audaces metaphorae et hyperbolae, dictiones validae, ut „paene, quot verba, tot sententiae, quot sensus, tot sint victoriae“,[1]) Tertullianum ubi-

[1]) S. Vincent. Lirin. l. c.

que produnt. Habet tamen stylus Tertulliani majestatem quandam sibi propriam et grandem eloquentiam, sale et acumine plurimum conditam, quae simul legentis ingenium exercet et animum suaviter delectat. In suis scriptis, si paucas quasdam ipsi peculiares neque gravioris momenti sententias ac praesertim in scriptis posterioribus notissima Montani dogmata excipias,[1]) puram passim cum gravitate fidem catholicam proponit, ardore suo legentium animos ad virtutes accendit et inflammat, dubiamque, quam suis scriptis aspergit, lucem compensat copia et ubertate veritatum, quas sollicito scrutatori detegit, rerum sui aevi ecclesiasticarum testis locupletissimus. Inter ejus Opera pulchritudine et utilitate praestant: Apologeticus, liber de praescriptionibus, libri de baptismo, de poenitentia, de patientia et de oratione, demum exhortatio ad martyrium. Operum indoles.

Nota. Temporum injuria multa opera Tertulliani deperdita sunt, quae partim ipse Tertullianus in iis quae supersunt libris, partim s. Hieronymus commemorat. Et in illis quidem fuerunt, quos *graece* primum scripsit, libri *de baptismo, de spectaculis* et *de virginibus velandis*, qui nunc nonnisi latine exstant. Alia latino sermone conscripta opera, nunc deperdita, quorum Tertullianus meminit, fuerunt *de eo, quod Deus sit judex*, adversus eos, qui severitatem judicis secundum merita causarum congruentem pro saevitia exprobrabant;[2]) *de spe fidelium*, qui liber fusius de millenario Christi regno terrestri agebat;[3]) *adversus Apellem*, qui pariter ac Marcion carnis ignominiam adstruebat, et idcirco Christi incarnationem negabat;[4]) *de censu animae*, in quo libro Tertullianus contra Hermogenem disputat, qui animae originem ex materiae suggestu constare opinatus est, suamque sententiam, quod anima ex Dei flatu orta sit, defendit;[5]) *de fato*, ubi de Dei providentia, de necessitate et de arbitrii libertate disseruit;[6]) *de paradiso*, ad defendendum Montani de chiliasmo dogma.[7]) — Praeter hos s. Hieronymus alios complures recenset Tertulliani tractatus, scilicet: *De molestiis nuptiarum; de virginitate; de animalibus puris et impuris; de circumcisione; de Aaronis vestibus; de ecstasi libri* Opera deperdita.

---

[1]) De his cf. Paradoxa Tertulliani cum antidoto J. Pamelii praefixa ejus editioni Opp. Tertulliani. Cf. etiam de doctrina Tertulliani Lumper P. VI. c. 6. seqq. (p. 237 seqq.) et de erroribus ejusdem c. 11. (p. 709 seqq.).

[2]) Cfr. adv. Marcion. 11. 27.

[3]) Ibid. 111. 24.

[4]) De carne Christi c. 4.

[5]) De anima c. 1.

[6]) Ibid. c. 20.

[7]) Ibid. c. 55.

septem, quorum ultimus contra Apollonium scriptus erat. Praeterea in tabula codici *Agobardi* praefixa Tertulliano tribuuntur liber *de animae submissione;* liber *de superstitione;* liber *de carne et anima.* — Non pauca quoque sunt opera quae sub nomine Tertulliani circumferebantur, sed ab eruditis *supposita* habentur. Eo pertinent *haereticorum catalogus* libro de praescriptionibus subnexus, liber *de Trinitate,* epistola *de cibis Judaicis.* liber *de definitionibus fidei et dogmatum ecclesiasticorum.* Spuria quoque sunt quaedam opera poëtica uti *Carmen adversus Marcionem* quinque libris conscriptum, et carmina *de Genesi, de Sodoma, de judicio Domini, ad Senatorem, de ligno vitae, de Jona et Ninive.*[1])

Editiones.

Editiones: Opera Tertulliani primus ed. Beatus Rhenanus Basileae 1521. fol. Dein ed. J. Pamelius Antwerp. 1579. fol., ed. N. Rigaltius Paris. 1634. et auctius Paris. 1641. et 1664. fol. Venetiis 1701. et melius 1744. fol. — ed. J. S. Semler Halae 1770–76. 6 Voll. in 8°. (recus. ibid. 1824–29.) ed. Fr. Oberthür Wirceburgi 1780–81. 2 Tomi in 8°. — ed. Leopold (in Bibliotheca Patrum eccles. latin. selecta) Lipsiae 1839–41. 4 Voll. in 8°. — ed. Migne Patrolog. Cursus T. I. et II. Paris. 1844. — ed. Woodham Cambr. 1843 et 1850. — ed. Oehler, 3 T. 8°. Lipsiae 1853. Reliquis praeferuntur edit. Paris. 1664. Venet. 1744., Semleri editio, quae exstat ap. Migne P. L. T. I. II., et editio Oehleri. Cf. de variis Tertulliani editionibus Lumper P. VI. et Edit. recentiss. Lips. Oehleri. — Separatim prodiere insigni laude ornatae editiones: *Apologeticus* ed. Sig. Havercamp. Lugdun. Batav. 1718. in 8°. — ed. J. C. Orelli Turici 1827. — ed. J. Ritter Elberfeldae 1828. — *De praescriptionibus* ed. Christ. Lupus Bruxellis 1675. 4°. — ed. P. Corbinianus Thomas Salisburgi 1752. 4°. — Spiegazione ragionata del Libro delle Prescrizione (cum textu latino) scritta da un Pievano della diocesi di Brescia. Roma 1795. — Libri de baptismo et poenitentia Salisburgi 1755. 4°. — Libri de praescript. de bapt. de poenit. et de orationi junctim editi sunt Ingolstadii 1834. 8°. Liber de pallio ed. cum Notis Claud. Salmasius. Lugduni Batav. 1656. in 8°. — Libri de oratione, de patientia, exhoratatio ad Martyres, de poenitentia, de baptismo, de praescriptionibus, Apologeticus, ap. Hurter Opuscula selecta Patrum, I. IV. V. VII. IX. XIX. 1872. — Germanice: Tertullians sämmtliche Werke von Besnard. Augsb. 1837–38. 2 Bde.; maximam operum partem ed. Kellner Kempt. 1870–71.

---

[1]) Habentur haec supposita opera poëtica, et varia Fragmenta operum deperditorum ab antiquis servata, ap. Migne P. L. T. II in Appendicibus ad Opera Tertulliani. — Editionem quoque Actorum ss. Perpetuae et Felicitatis, ac sociorum, cum praefatione et relatione martyrii, probabiliter Tertulliano adscribi posse, varii eruditi existimant. Cf. Bonwetsch l. c. p. 75 sqq.

§. 64.

Clemens Alexandrinus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Euseb. Histor. Eccles. L. V. c. 11. L. VI. c. 6. 11. 13. 14. Praeparat. Evangel. L. II. c. 2. S. Epiphan. haeres. 32. n. 6. Phot. Cod. 109. 110. 111. et 118. S. Hieronym. de viris illustr. c. 38. et epist. 70. n. 4. S. Cyrillus Alex. c. Julian L. VI.

Subsidia: Clementis Vita ex Adriano Baillet praefixa T. I. edit. Venetae Opp. Clementis. — Nourry Apparat T. I. lib. III. Dissertationes tres, et ex illo Sprenger T. II. p. 420 seqq. et T. III. — Dupin T. I. p. 119—33. — Tillemont Mém. T. III. S. Clément (p. 181—96 et p. 650—54). — R. Ceillier T. II. Chap. XXVII. — Ph. Ittig Praef. ad Supplementum Operum Clementis Alex. Lips. 1700. 8°. — Lumper P. IV. Sect. II. (p. 55 seqq.) et P. V. — Migne P. G. T. VIII. IX. — Möhler, Patrol. p. 50. sqq. — Tribbechovii Dissertatt. tres de Clemente Alexandr. Halae 1706. 4°. — P. Hofstede de Groot Disput. de Clemente Alexandr. philosopho Christiano. Groningae 1822. — Reinkens, de Clemente Alex. homine, presbytero, theologo. Vratisl. 1850. — Freppel Clément d'Alexandrie. Paris 1865. — Cf. Chevalier s. v. Clément.

Clementis Alex. Vita.

Titus Flavius Clemens,[1]) ethnicis parentibus ortus, in domestica superstitione, atque in omnium quae apud Graecos, Aegyptios exterasque nationes obtinebant, profanarum scientiarum studio educatus est, eoque suos direxit conatus, ut omnia exploraret et cognosceret.[2]) In hoc ipsum prope immensum studium incumbenti veritatis lumen adfulsit. Ubi primum Clemens Christo nomen dedit, non minori studio doctrinae christianae penitius cognoscendae incubuit atque celeberrimos illius aevi magistros, Graecia, Italia, Oriente, Palaestina hunc in finem peragratis, convenit. Denique ut in verae theologiae scien-

---

[1]) Inter Sanctos referunt eum nonnulli, ut Tillemont, Adr. Baillet, A. Butler et Stolberg cum antiquo Usuardi Martyrologio; ast Martyrologium Romanum eum tamquam Sanctum non recipit, cujus rei rationes fusius exponit doctissimus P. Benedictus XIV. in sua Constitutione de nova Martyrolog. Romani editione praefixa suae Martyrolog. Rom. editioni n. 19—36. — De tempore et loco ejus nativitatis, quum alii eum Alexandrinum, alii Atheniensem jam olim dixerint, vid. Lumper P. IV. p. 58—61.

[2]) Euseb. Praepar. Evangel. lib. 2. c. 2.

Clementis Alex. Vita.

tia et in Traditionis cognitione magis magisque proficeret, Alexandriam perrexit ad s. Pantaenum, qui sacrarum in ea urbe litterarum doctor erat, ibique sedem posuit.[1]) Presbyter Alexandrinae ecclesiae factus post Pantaeni discessum eadem in urbe celebris scholae catecheticae tum ad Catechumenos seu Ethnicos, qui christianam religionem amplexuri erant, erudiendos, tum ad ipsos fideles profundiori christianae religionis notitia imbuendos institutae, rector creatus est;[2]) quo in munere non minora prudentiae et circumspectionis, quam insignis eruditionis specimina edidit. Inter ejus discipulos summa nominis celebritate inclaruerunt Origenes atque s. Alexander Episcopus Hierosolymitanus et Martyr.[3]) Cum persecutio Severi in Ecclesia grassari coepit, suo se munere abdicare et ipsa Alexandria excedere coactus est, qua nimirum in urbe, quae erat ejus apud Ethnicos nominis celebritas, tuto degere ipsi non jam licebat. Aegypto digressus secessit in Cappadociam, ibique indefesso studio Ecclesiam Dei plurimum confirmavit et amplificavit.[4]) Annus, quo obierit, non constat; probabiliter haud multo post a. 217. vita excessit.[5])

Clementis Opera.

Opera Clementis, quae ad nos pervenerunt, praecipue tria sunt, quae tamen nexu quodam interno inter se cohaerent.[6]) Cum enim illi propositum esset, ut Gentiles in perfectos Christianos transformaret, primo illis persuadere aggreditur, ut relicto simulacrorum falsorumque deorum cultu, sese ad veram religionem convertant, idque primo opere exsequitur, cui titulum praefixit: *Cohortatio ad Gentes* (*Λόγος προτρέπτικος πρὸς Ἕλληνας*). Hanc proxime

---

[1]) Clem. Strom. lib. I. c. 1. Cf. Euseb. lib. 5. c. 11.

[2]) Euseb. lib. 6. c. 6. S. Hieronym. de viris illustr. c. 38. et al.

[3]) Euseb. lib. 6. c. 14.

[4]) Euseb. lib. 6. c. 11. et S. Hieronym. l. c. c. 38.

[5]) S. Hieronymus enim (l. c.) et Photius (Cod. 111.) diserte testantur, eum Severi et Antonini Caracallae filii ejus († 217.) temporibus floruisse; unde recte inferre licet, eum circa a. 217. defunctum esse.

[6]) Nexum hunc ipse Clemens declarat Paedog. lib I. c. 1.

sequitur aliud Opus, quo bene et secundum Evangelii rectaeque rationis normam vivendi praecepta tradit; quod quia *pueris*, hoc est Christianis neophytis, vixdum e Gentilismi coeno emersis, necessariam doctrinam continet, *Paedagogi (Παιδαγωγός)* titulo exornat. Tandem *Stromatum libris (Στρώματα)*, quibus id nominis indidit propter multiplicem, qua contexti sunt, materiae varietatem, sublimiora christianae fidei dogmata plenius explicat, et diversa sentientes maxime Gnosticos refellit.

Cohortatio ad Gentes unico libro absolvitur, in quo totam ethnicae religionis, sive apud Graecos, sive apud Aegyptios, sive apud plebem, sive apud philosophos deprehensae superstitionem, turpitudinem et impietatem detegit atque refellit (c. 1—6), et Ethnicos non sine magna eloquentiae et eruditionis laude solidissimis rationibus ex Dei justitia ac bonitate, ex christianae religionis praestantia ipsiusque humanae naturae indole petitis excitat, ut relicto falsorum deorum et simulacrorum cultu unius veri Dei fidem amplectantur (c. 6—12.).

Paedagogus tribus continetur libris, quorum scopus est, Gentiles, qui Cohortationi benignas praebuissent aures et abjecto polytheismo ac idololatria ad Christum se convertissent, christiana vivendi ratione informare, quo animus eorundem purgaretur. Libro I. ostendit, ad quem finem tendat haec educatio, quales debeant esse educandi, quis sit educator seu Paedagogus, ipse scilicet Jesus Christus, Verbum Dei, demum quae sit hujus educationis excellentia, quae ejus ratio, quibusque illa utatur mediis; ac necessarias praemittit notiones. — Libro II. explicat *officia, quae pertinent ad corpus,* ubi de cibo potuque sumendo, de conviviis, de risu et sermone, de somno, de matrimonio et castitate, de vestimentis et ornatu agit. — Libro III. pergit dehortando a nimio ornatus studio tum feminas tum viros; dein de divitiis earumque recto usu disserit, voluntariam abnegationem commendat, utilitatem exercitationis corporalis exponit, praecepta de conversatione domestica et externa, de habitu, gestu et incessu proponit, varia quoque exagitat vitia tunc temporis inolita, vitio-

Clementis Alex. Opera.

rumque occasiones fugiendas monet, denique multa ex s. Scriptura de virtutibus christiano homine dignis subjungit.

Stromatum septem priores libri dubio procul Clementem auctorem habent; liber octavus a plerisque supposititius censetur.[1]) Libri vero inscribuntur *Stromata* ob varietatem argumenti; cum enim tam contra Paganos, quam contra haereticos agens ostendere vellet, in quo sita esset summa, ad quam semper Christianis contendendum, ejusdem christianae religionis perfectio, hunc in finem, quibus potest validioribus ex s. Scripturae atque Scriptorum tum christianorum, tum profanorum auctoritate petitis rationum momentis utitur. Ast sine ordine ab una materia ad aliam digreditur, quod eo quidem fecit consilio vir disciplinae arcani haud oblitus, ut haec doctrina Christianis quidem innotesceret, profanis autem maneret occulta.[2]) In his itaque postquam I. libro relationem philosophiae et fidei ad veritatem, quae utriusque finis est, accurate exposuit, plenam veritatem ex revelatione Dei petendam esse monet, adeoque philosophiam Hebraeorum, quae ex divina fluit revelatione, quavis philosophia Graecorum longe antiquiorem esse probat. Tum sequentibus quatuor (II—V.) libris ostendit, veritates omnes theoreticas in philosophia christiana et fide contineri, earundem scintillas partesque furto inde ablatas atque depravatas apud Gentiles quoque reperiri, qui etiam tractandi modum symbolicum ab Hebraeis mutuati fuerint. Libro VI. et VII. imaginem veri et perfecti Christiani, quem ipse Gnosticum vocat, delineat, ubi de ejusdem affectibus, scientia, sermone, precibus, amore erga Deum et erga veritatem, de

---

[1]) Cf. Phot. Cod. 111. ubi plenus Stromatum habetur titulus. Plura de hujus Operis titulo vid. ap. Lumper P. IV. p. 95—98. — De libro, quem vocant octavum Stromatum, vid. Nourry T. I. lib. III. Diss. III. c. 1. et Lumper P. IV. p. 114—16. Liber iste octavus non est nisi Logices breve compendium. Etsi vero non videatur esse Stromatum pars, opusculum tamen forte a Clemente confectum est, ac posteriore tempore passim in codicibus adjectum libris Stromatum et ut liber octavus designatum. V. Fessler, Freib. Kirchenl. s. v. Clemens Alex.

[2]) Cf. Strom. lib. 7. c. 18.

benignitate, sacrificiis et contemplatione agit, ac demum Ecclesiae veritatem contra haereticos adstruit. Clementis Alex. Opera.

Praeterea egregius exstat Clementis Alex. libellus, inscriptus: *Quis dives salvabitur? (τίς ὁ πλούσιος σωζόμενος;)*, qui per plura saecula interciderat, tandem inventus perperam Origeni tributus est, nunc vero recte Clementi Alex. vindicatur.[1]) Clemens duo potissimum in libro isto ostendit, primo divitibus spem salutis consequendae non esse praecisam (c. 1—26.); dein vero divitias, si bene collocatae fuerint, ad eam assequendam non modicum conferre posse (c. 27—42.).

Libri Clementis, praesertim Cohortatio et Stromata, immensa et vere admirabili eruditione referti sunt;[2]) multas ibi christianae religionis veritates egregie et dilucide auctor proponit, verum ab erroribus quibusdam gravioribus non est immunis.[3]) Philosophiae eclecticae addictus erat,[4]) Stoicorum tamen praecipue et Platonis amore ductus. In s. Scripturis interpretandis nimium allegoriarum studium sectatus est, Philonis saepe vestigia terens. Non solum has ob causas, verum etiam propter ordinis neglectum ac frequentes digressiones vocesque aliis minus usitatas ab ipso adhibitas, denique ob studium sedulo observandi disciplinam arcani, enata est magna hujus auctoris obscuritas, quae potissimum in libris Stromatum lectorem etiam perspicacem et eruditum haud raro implicat.

Nota: Opera illi adscripta quaedam dubia, seu potius spuria sunt, ut: *Excerpta ex Scriptis Theodoti et doctrinae, quae Orientalis vocatur, ad Valentini tempora spectantis Epitome;* porro *Eclogae ex Scripturis Prophetarum*, quae saeculo II. a Christo nato ex Valentini somniis consarcinatae videntur, de quibus videsis Nourry T. I. lib. III. Diss. III. c. 3. (p. 1310—18.). — Sprenger T. III.

---

[1]) Vid. Euseb. Histor. Eccles. lib. 3. c. 23. et lib. 6. c. 13. S. Hieronym. de viris illustr. c. 38. Phot. Cod. 111. Cf. Nourry T. I. lib. III. Diss. III. c. 2.

[2]) Vid. s. Cyrilli Alex. lib. VI. et VII. contra Julian.

[3]) De illius doctrinae dogmaticae et moralis praecipuis Capitibus fuse tractant Nourry T. I. lib. III. passim; Sprenger T. II. p. 481 seqq. et T. III. p. 116 seqq.; Lumper P. IV. p. 142 seqq. et P. V. — De ejus erroribus agit Lumper P. V. p. 428—562.

[4]) Strom. lib. I. c. 7.

p. 731—43. — H. Valesii Not. ad Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. c. 11. — Lumper P. IV. p. 116—21. — De ejus Operibus deperditis eorumque Fragmentis, inter quae *Hypotyposes* (seu Institutiones), atque *Adumbrationes in epistolas catholicas* maxime memoratu dignae sunt, cf. Nourry l. c. cap. 4. et 5. (p. 1318—40.) — Sprenger T. III. p. 743—71. — Lumper P. IV. p. 121—38.

Editiones.

Editiones: Editio prima prodiit cura P. Victorii Florentiae 1550. graece fol. Altera edit. graec. ex recens. Frid. Sylburgii Heidelbergae 1592. fol. — Edit. gr. et lat. praestantissima est J. Potteri. Oxonii 1715. fol. — recusa accurate et eleganter Venetiis 1757. II Tomi. fol. — iterum recusa sed absque Notis Potteri et Commentario Gentiani Herveti Wirceburgi (inter Opp. Patrum graec. polem). 1778—79. 3 Tomi in 8°. — dein recusa cum notis illis et Commentario aliisque adminiculis ap. Migne P. Gr. VIII. IX. — Denique Clementis Alex. Opera omnia graece tantum ed. R. Klotz. Lipsiae 1831—34. 4 Voll. in 8°. — Separatim prodiit libellus: Quis dives salvabitur? gr. et lat. cum Notis sub titulo: Clementis Alex. Opp. Supplementum (quo et Adumbrationes in aliquot Epistolas catholicas, Clementi Alex. vulgo tributae, continentur) per Th. Ittig Lips. 1700. 8°. — Clementis Alex. Liber, quis dives salutem consequi possit? cum Commentar. ed. Segaar, Ultrajecti 1816. Hanc porro edit. in usum scholarum accommodavit Olshausen Regiomont. 1831.

§. 65.

Origenes. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: S. Gregorii Thaumaturgi Oratio panegyrica in Origenem. — Apologia Origenis conscripta a s. Pamphilo et Euseb. Caesar. — Euseb. Histor. Eccles. L. VI. c. 2—4. 8. 16. 19. 20. 23—27. 30—39. L. VII. c. 1. — S. Hieronym. de viris illustr. c. 54. ep. 33. ep. 34. n. 1. ep. 36. n. 1. et 9. ep. 70. n. 3. et 4. ep. 84. — S. Vincent. Lirin. Commonitor. c. 17. (ed. Baluz.). — Phot. Cod. 118.; Collectiones et Demonstrationes, Qu. 9.

Subsidia: P. D. Huetii Origeniana, quae praemisit Origenis Commentariis in s. Scripturas editis Rothomagi 1668. fol. recusa in Opp. Origenis T. IV. Append. cum Notis Ruaei. — De la Motte, vid. supra inter Subsidia Tertulliani. — Tillemont T. III. Origène (p. 494—595. et p. 753—77.). — Dupin T. I. p. 190—229. — R. Ceillier T. II. Chap. XXXVIII. — Lumper P. IX. et X. — Möhler Patrol. p. 487—576. — G. Thomasius, Origenes. Ein Beitrag zur Dogmengeschichte des dritten Jahrhunderts. Nürnberg 1837. — Redepenning, Origenes. Eine Darstellung seines Lebens und seiner Lehre. Bonn 1841—46. in 2 Abtheilungen. — Al. Vincenzi. In s. Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam nova recensio etc. Romae 1864 sqq. 4 vol. 8°. — Freppel Origène. 2 vol. Paris 1868. — Cf. Chevalier s. v. Origène.

Origenis Vita.

Origenes, genere Aegyptius, Adamantius[1]) postea cognominatus, Alexandriae ex christianis parentibus natus est circa a. 185. A patre Leonida, qui sacris disciplinis apprime institutus postea virtutum cumulo martyrii gloriam adjunxit, jam inde a puero in divinis Scripturis fuit exercitatus, quas adeo in deliciis habuit, ut memoriter illas teneret et in studio explanationis earum diebus ac noctibus desudaret. Celeberrimis illius aetatis viris sacris et profanis, qui praecipua eruditionis laude florebant, Clemente Alexandrino et Ammonio magistris usus, brevi ad summum eruditionis fastigium pervenit. Dialecticam, Geometriam et Arithmeticam, Musicam, Grammaticam et Rhetoricam, omniumque philosophorum sectas ita didicit, ut saecularium quoque litterarum studiosos haberet sectatores, concursusque ad eum miri fierent; quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione saecularis litteraturae in fide Christi eos institueret. Post patris mortem (a. 202.), quem ad martyrium fortiter subeundum litteris datis exhortatus fuerat, ipse martyrii desiderio aestuans, Grammaticam aliquamdiu publice docuit. Mox Clementi Alexandrino praeceptori suo nondum 20. aetatis annum agens, fervente persecutionis Septimii Severi aestu successit in munere regendi scholam Aexandrinam,[2]) plurimosque Christo lucrifecit et sibi amicos conciliavit, quos inter fuit Heraclas, proximus Alexandriae Episcopus. In persecutione vero singularia fidei, pietatis ac constantiae specimina edidit, magnamque sibi inter Christianos famam et gratiam peperit, saepius apertissimo mortis periculo expositus ob sedula humanitatis atque benevolentiae officia, quae Martyribus omnibus, notis pariter et ignotis, promptissime ex-

---

[1]) Hoc cognomen tulisse fertur, vel propter mentis adamantinum robur, quae nullis in illustranda Scriptura et in scribendo laboribus defatigaretur, vel quod ejus rationes adamantinis stringerent adversarios vinculis, vel quia erroribus sicut adamas firmissimus resisteret.

[2]) Quomodo autem singulas disciplinas tradiderit, fusius ac pereleganter describit ipsius per multos annos discipulus s. Gregorius Thaumaturgus in sua Orat. panegyr. in Originem, quam videsis. Cf. Guerike de schola, quae Alexandriae floruit catechetica. Halae 1824.

Origenis Vita.

hibebat. Ad rerum divinarum studium, quo dies docendo, noctes legendo insumebat, accessit etiam virtutum omnium, quae Christiano essent dignae, assiduus usus; quo factum est, ut fama nominis ejus in dies cresceret totumque orbem personaret. Antiochiam idcirco vocavit ipsum (c. a. 218.) Julia Mammaea, Alexandri Severi mater, ab eo edocori cupiens; ex isto tempore Philippo etiam Arabi ejusque conjugi Severae per litteras innotuit. Romam quoque idem perrexit, cum in votis haberet, Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videre.[1]) Ut suo muneri perfectius inserviret, imprudenti zelo actus semetipsum evirare ausus est.[2])

Circa a. 228. vocatus est in Achajam, ut subveniret ecclesiis, quae pluribus haeresibus vexabantur. Eo in itinere per Palaestinam profectus Caesareae a Theoctisto Caesareensi Episcopo et Alexandro Episcopo Hierosolymitano Presbyter ordinatus est; eodemque in itinere familiaritatem cum Julio Africano junxisse videtur. E Palaestina profectus in Achajam summam existimationem atque protectionem Episcoporum illius provinciae sibi comparavit. Cum elapso biennio ex Achaja Origenes presbyter reversus esset Alexandriam, munus docendi iterum suscepit. Verum quia Origenes contra antiquos Ecclesiae canones presbyteri dignitatem adeptus fuerat, simulque in ejus libris *περὶ ἀρχῶν* tunc publicatis haud leves errores proponebantur, Demetrius Alexandriae Episcopus geminam adversus eum coëgit synodum, qua communione ecclesiae indignus judicatus, docendi munere et sacerdotii dignitate privatus est.[3]) In damnationem ejus ecclesia Romana ac totus fere orbis Christanus consensit. Origenes, quum in judicium vocaretur, jam capta fuga se receperat

---

[1]) Euseb. lib. 6. c. 14.

[2]) Euseb. lib. 6. c. 8. S. Hieronym. ep. 84. n. 8. Ipse Origenes tale factum postea valde improbavit Commentar. in Matthaeum Tom. XV. n. 1—5. praesertim n. 3., ubi factum istud a se ipso olim admissum satis aperte indicat et reprobat.

[3]) Phot. Cod. 118. Mansi Collect. Concil. T. I. col. 753—54. S. Hieronym. adv. Rufin. lib. II. n. 18.

ad amicum suum Theoctistum Caesareae in Palaestina Episcopum. Generatim quidem auctores referunt, inde ab illo tempore Origenem Caesareae docuisse. Animadvertendum tamen est, mortuo Demetrio, quum Heraclas Origenis discipulus illi in episcopatu succederet, hunc episcopum magistro permisisse, ut Alexandriam reverteretur, ac studuisse eum in recto tramite doctrinae retinere. Ex hoc reditu inferendum est, si praecesserat excommunicatio proprie dicta, hanc esse revocatam. Sed mox etiam Heraclas adactus fuit, ut propter doctrinas temerarias, quas jam aperte Origenes sermonibus miscebat, denuo ipsum a communione removeret, Alexandria pelleret et nullibi in Aegypto docere permitteret.[1]) — Caesareae dein Origenes in docendis litteris philosophicis et theologicis perseveravit, multique etiam ex remotioribus provinciis ad eum confluebant, inter quos celebrantur Gregorius Thaumaturgus ejusque frater Athenodorus. Satis difficile est judicium ferre, qua ratione quoad communionem cum Ecclesia Origenes se habuerit. Sunt qui existimant, schismatici partes eum egisse. Animadverti tamen potest, quum constet, ab Heracla initio episcopatus ipsius (c. 232) restitutum fuisse Originem, hac in re probabiliter implicitam fuisse reconciliationem cum ecclesia etiam Romana. Ex nova autem condemnatione et excommunicatione Origenis per Heraclam per se non sequitur, quod etiam ab ecclesia Romana excommunicatus haberetur. Haec ecclesia judicio suo jam ostenderat, improbari ab ipsa Origenis gesta et doctrinas; sed non invenimus, eum formaliter post novam Heraclae condemnationem denuo esse excommunicatum a Romano Pontifice. Remansit vero in communione cum pluribus episcopis qui cum Sede Apostolica communicabant, idque tolerasse videntur subsequentes Pontifices. Ad Alexandrinos Origenes litteras scripsit, in quibus sui

Origenis Vita.

[1]) Ita rem se habuisse, colligitur praecípue ex fragmento Photii, (cui fontes antiquiores historiae prae manibus erant), *Συναγῶγαι καὶ ἀποδείξεις, ἐρωτήμασι* 9°. Vide textum gr. ap. Fontani Novae eruditorum deliciae, Florentiae 1875, et Döllinger, Hippolytus u. Kallistus p. 264; lat. ap. Jungmann Dissert. T. I. p. 271.

Origenis Vita.

apologiam adversus sententiam latam fecit, errorem cujus accusabatur de daemonum salute improbavit, librosque suos ab haereticis depravari questus est. Praeterea vero Eusebius H. E. L. VI. c. 36 scribit: *Sed et ad Fabianum Romanae urbis Episcopum, et ad complures aliarum ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione epistolas scripsit.*

Disceptationes quae de Origene ejusque doctrinis jam ipso vivente exarserunt, etiam subsequentibus saeculis renovatae sunt. Certe in operibus ejus, uti in manibus habebantur, errores inveniebantur, atque vehementius etiam identidem invehebat Origenes in clerum et res ecclesiasticas. Ei tamen favent constans insectandi haereticos studium, servata semper cum catholicis Palaestinae et Arabiae Episcopis communio, litterae contestatoriae de corruptione librorum suorum et immunitas a pertinacia in defendendis erroribus contra Ecclesiam [1]) — Origenes sub Maximino et praesertim sub Decio urgente persecutione multis modis vexatus, atque in varia loca profugere coactus, denique obiit Tyri anno Christi 253 aut 254.

§. 66.

Origenis Opera.

Origenis Opera.

Origenes ingenii sui monumenta fere innumera posteritati reliquit, quorum tamen complura aevo jam Eusebii interciderant. Imo s. Epiphanius famam percrebuisse narrat, sex milia librorum ab eo fuisse conscripta, quod tamen pernegans s. Hieronymus vix tertiam partem (seu 2000) inveniri asserit.[2]) Opera ejus, quae hodie exstant, commode in duo genera dividuntur, cum alia ad s. Scripturam, cui indefessam operam navavit, alia ad Theologiam

---

[1]) V. Jungmann Dissert. T. I. p. 267 sqq. — Apologiam Origenis nostro tempore texit cl. Vincentius erudito opere citato: *In s. Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam.*

[2]) S. Epiphan. haeres. 64. n. 63. Rufin. lib. de adulteratione librorum Origenis (Opp. Origen. T. IV, Append. p. 54.) S. Hieronym. adv. Rufin. lib. II. n. 13. 16. 21. et 22. item ep. 82. n. 7.

sive theoreticam sive practicam pertineant. — Opera illius, quae s. Scripturam concernunt partim *critica* sunt, partim *exegetica*. Insigne primo meritum de re critica sibi comparavit per Opera critica, quae pro columnarum textuumque juxta se positorum numero vel *Tetrapla*, vel *Hexapla*, vel *Octapla* vel *Enneapla* nominari solent. Hoc in Opere, quod immenso propemodum labore atque singulari plane industria confectum est, graecum Septuaginta Interpretum textum ad fidem textus originalis hebraici reformavit atque integritati suae restituit, omnesque tunc exstantes versiones graecas adjecit, tum ut prudens lector ex multarum interpretationum collatione posset, quaenam verior explicatio esset, deprehendere; tum ut hebraicae linguae imperiti possent plurium inter se consentientium auctoritatem amplecti; tum ut hebraice docti pro ea, qua pollebant, hebraicarum litterarum peritia possent, quisnam interpres propius ad fontem accederet, intelligere; demum ut disputantes cum Judaeis Christiani, qui versione Septuaginta Interpretum uti consuevere, accurate scirent, quaenam in textu hebraico legerentur, quae vero secus.[1])

Origenis Opera.

Sequuntur Opera *exegetica*, per quae plerisque Graecorum Patrum facem praetulit. Licet enim non primus s. Scripturae interpretandae manum admoverit, hanc tamen explicandae Scripturae artem multum provexit, et primus varia explanationum genera Scripturae accommodavit. Nam vel diffusis *Commentariis*, quos ipse τόμους vocavit, nos *Volumina* possumus nuncupare, quidquid suppeditabant ingenium et doctrina, prolixe congessit; vel *Scholiis* seu *Excerptis*, quae breves erant notae enodandis

[1]) Opus hoc, quod ob nimiam molem nunquam fortasse totum descriptum fuit, una cum Bibliotheca Caesareensi, in qua asservabatur, periit, cum haec urbs a. 653. ab Arabibus expugnaretur. Fragmenta ejusdem apud Veteres passim obvia collegit et publici juris fecit B. Montfaucon sub titulo: Hexaplorum Origenis quae supersunt etc. ed. B. Montfaucon Paris. 1713. II Voll. fol. Novam editionem eodem titulo adornavit C. Fr. Bahrdt Lipsiae 1769. 2 Voll. 8°. De hujus Operis origine, indole, fatis, utilitate, vide Praeliminaria utrique editioni praefixa, in quibus prolixe et perquam erudite de his omnibus disputatur.

Origenis Opera.

locis intricatioribus et abstrusioribus sensibus eruendis, obscuriora quaeque illustravit; vel ad populi captum sese demisit, et selectas quasdam Scripturae pericopas minus accurate per *Homilias* seu *Tractatus* exposuit.[1])

Refert s. Epiphanius, Origenem totam s. Scripturam interpretatum esse.[2]) Ex his praeter Fragmenta minora, plerumque dubia,[3]) latine ex versione partim Rufini, partim s. Hieronymi nobis conservatae sunt Homiliae in Genesin, Exodum, Leviticum et Numeros; porro in libros Josue et Judicum; Homiliae duae in librum I. Regum, quarum altera de Engastrimytho etiam graece exstat. Quoad expositionem Psalmorum praeter Homilias in Psalm. 36. 37. et 38. a Rufino versas, etiam de Psalmorum auctoribus, inscriptionibus, et ordine notabiliora habentur Fragmenta, Psalmique priores (Ps. 1—36.) et posteriores (Ps. 118—150) paulo accuratius explicantur graece. In Canticum Canticorum duae Homiliae et pars prior Commentarii latine nobis servatae sunt, in quibus de hoc Cantico generatim agitur et duo priora ejusdem Capita fere integra explicantur. Homiliae quoque haud paucae in Isaiam, Jeremiam, et Ezechielem hodie exstant. — Porro Commentarius in Matthaeum majori ex parte adhuc superest;[4])

---

[1]) Cf. s. Hieronym. Prooem. in Matth. et Prooem. in Epist. ad Galat. Ejusdem Prolog. interpret. Homil. Origen. in Ezech. Rufin. Prolog. Interpret. Homil. Origen. in Numer.

[2]) S. Epiphan. haeres. 64. n. 3.

[3]) Ex ejus Operibus exegeticis alia graece, alia latine tantum ad nostram pervenerunt aetatem. Latine fere omnes Homilias debemus vel s. Hieronymo, vel Rufino interpreti. Graeca vel desumta sunt ex Philocalia, eaque auctoritatis minime dubiae, vel ex variis Catenis Graecorum Patrum, quae vocantur Selecta (ἐκλογαί), et sunt admodum sublestae fidei; alia demum, nec pauca habentur in Codd. Mss. graecis, ut Commentarii in Matthaeum et Joannem.

[4]) Scilicet a Matth. 13, 36. usque in finem hujus Evangelii partim graecus textus habetur (13, 36—22, 33.), partim vetus latina interpretatio, quam in Homilias sive Tractatus 35 librarii male feriati diviserunt. Feruntur etiam 7 Origenis in Matthaeum Homiliae, quae habentur inter eas, quas *In diversos* vulgo appellant; hae vero omnes spuriae sunt. Cf. Huet. Origeniana Append. ad lib. III. n. 5. (Opp. Origen. T. IV. Append. p. 325—26.)

Homiliae quoque in Lucam; nec non Commentarii in Joannem pars haud exigua, novem ejusdem Tomos non tamen continuos exhibens. Denique restat etiam Commentarius in epistolam ad Romanos.[1]) Origenis Opera.

Triplicem vero Scripturae sensum esse statuit, *litteralem*, *moralem* et *mysticum* seu allegoricum, ita tamen ut triplex iste sensus non ubivis Scripturarum reperiatur, sed in quibusdam locis solus litteralis, in quibusdam solus moralis, in quibusdam solus mysticus, denique in nonnullis litteralis simul et mysticus habeatur. Generatim quidem ad institutionem et aedificationem fidelium sensus litteralis sufficit. Verum et mysticus sensus indagandus est: nititur enim ille auctoritate Novi Testamenti et Traditione Ecclesiae, tum ipsomet Scripturarum fine, estque omnino necessarius, ut ab hostibus tuta maneat veritas et sanctitas Scripturarum, ipsaeque Deo dignae reddantur; ast difficillimum, quin etiam fere impossibile est, mysticos assequi sensus, quos in se complectitur Scriptura. Regulas autem, unde appareat, quibus in locis sensus mysticus sit inquirendus, statuit sequentes: a) totam legem caeremonialem ad sensum mysticum referendam esse; b) sensum litteralem deserendum, mysticum esse inquirendum, quotiescunque s. Scriptura secundum litteram intellecta prae se ferat inutilia, falsa, Deo indigna aut impossibilia; c) denique ubicunque sermo est de Jerusalem, de Aegypto, Babylone, Tyro aliisque terrestribus locis, totum illud referendum esse ad coelestia loca, quae animarum sint habitacula.[2]) — *Selectis* exigua fides est adhibenda; *Homiliae* magis ad populi captum accommodatae, et quoad partem

[1]) Pars haec Commentarii in Joannem graece exstat; Commentarius in epistolam ad Romanos nonnisi in versione Rufini aetatem tulit, quae vero Commentarium istum valde contractum et abbreviatum sistit. Excusa est haec versio separatim ea inscriptione: Origenis Adamantii Explanatio in epistolam Pauli ad Romanos D. Hieronymo interprete ed. J. B. Alouisianus. Venetiis 1506. fol.

[2]) Plura de Origenis methodo Scripturam interpretandi dabit Lumper P. X. p. 84—178. Cf. etiam J. Bochinger, de Origenis allegorica s. Scripturae interpretatione P. I—III. Argentor. 1829.

Origenis Opera.

saltem, ex tempore habitae, nec fideli semper versione translatae non adeo magnam sibi vindicant auctoritatem; maxime vero ejus ingenium et eruditionem comprobant *Commentarii*, qui adhuc saltem ex parte exstant; in his tamen errores Origeni peculiares, dum calamus liberius exspatiatur, frequentius emergunt. — Huc quoque pertinet *Epistola ad Julium Africanum*, qua Susannae historiam, quae in libro Danielis legitur, authenticam esse solide adstruit, et *Epistola ad Gregorium Thaumaturgum* ostendens, quando quibusve disciplinae philosophicae prosint ad ss. Scripturarum expositionem.

Reliqua Opera Origenis, quae modo exstant, quatuor sunt, scilicet:

1. *Libri octo contra Celsum.* Causa scribendi Celsus fuit, philosophus Epicureus, qui christianam religionem impugnaverat libro, cui titulum fecerat ἀληθὴς λόγος, quem Origenes, jam licet e vivis sublato Celso, confutandum suscepit. Summa argumentorum vi, quidquid ad christianae religionis defensionem et commendationem in medium proferri potuit, solide et eleganter in hoc opere exponit.

2. *Liber de Oratione* primo quidem de oratione generatim agit, cujus notionem, efficaciam, praeparationem, tempus et externas circumstantias, ac varia genera exponit; dein vero orationem dominicam explanat.

3. *Exhortatio ad Martyrium* vere aureum est opusculum, quo motiva omnia ad martyrium fortiter subeundum ferventi et gravi oratione amico suo in vinculis detento ob oculis ponit.

4. *Libri quatuor περὶ ἀρχῶν* systema quoddam universae Theologiae, qualis tunc erat, continent; liber quartus vero proprie circa Hermeneuticen s. Scripturae occupatur.[1]) In hoc tamen libro, quem juvenili adhuc aetate scripsit, errores Origeniani potissimum continentur.

---

[1]) Eundem fere, quem liber quartus περὶ ἀρχῶν, scopum praefixum habet Origenis *Philocalia;* liber iste delectum (ἐκλογήν) continet quaestionum et solutionum, quae pertinent ad s. Scripturam, et ex variis libris ab Origene elaboratis, praecipue ex libris contra Celsum et περὶ

Origenis errores.

Origenes multis in rebus aberravit a veritate fidei;[1]) illius autem errorum fons erat, studium, praecipuas Gnosticorum quaestiones, quarum falsa solutione systema eorum tamquam basi nitebatur, eo pacto solvendi, ut et quaestionibus eorum ac objectionibus fieret satis, et veritas christiana jam declarata non laederetur; verum isti conatui minime respondebat successus exoptatus. Postquam enim diu multumque per plura saecula de ejus doctrina fuerat ligitatum, ab Ecclesia catholica tanquam haereticus declaratus est;[2]) unde quamvis spectabili antiquitate et eruditione eximia commendetur Origenes, tamen caute admodum legendus est, ne simul cum veritate speciosus error, tanti viri nomine commendatus, imbibatur.

Nota: Ex Operibus deperditis nonnulla exstant Fragmenta, de quibus vide Lumper P. IX. p. 236—45. De ejus Operibus *spuriis* et *suppositiis*, quo pertinent: *Dialogus contra Marcionistas* seu *de recta fide in Deum*, *Commentarii in Job*, *Commentarius in Marcum*, *Homiliae decem in diversos*, *Scholia in Orationem Dominicam et varia Cantica*, et alia, vid. Lumper P. IX. p. 245—79.

Editiones. Editiones: Editio prima latina est J. Merlini Paris 1512. II Voll. fol. et saep. Altera edit. pariter latina est Genebrardi Paris. 1574. II Voll. fol. — Praestantissima editio est, quam ed.

ἀρχῶν, collectus est a sanctis Gregorio Nazianzeno et Basilio M. Vid. s. Gregor. Nazianz. ep. 115. — In hac collectione, quae proprie non est Opus Origenis, multa alias aut omnino, aut saltem textu graeco deperdita nobis fideliter asservata fuere. Edit. gr. et lat. cum Notis J. Tarini. Paris 1618. (et iterum 1624) 4°., ed. cum libris contra Celsum G. Spencer Cantabrigiae 1658. 4°., recus. ibid. 1677. Cf. J. A. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VII. p 221—22.

[1]) De Origenis doctrina vid. Lumper P. IX. p. 281 seqq. Ejus errores speciatim jam refert s. Hieronym. lib. contra Joannem Jerosolym. n. 7. et ep. 124. ac Justinian. Imp. Epist. ad Mennam (Mansi T. IX. p. 487—534); cf. s. Ambrosii lib. II. de Abraham n. 54. Fuse de illis disputat Huet. Origenian. lib. II. (Opp. Origen. T. IV. Append. p. 104—287), ubi etiam lites Origenianas, quae proprie ad historiam ecclesiasticam spectant, accurate exponit. — Cf. tamen A. Vincenzi l. c.

[2]) Vid. Concil. oecumen. V. (Constantinopolit. II.) Collat. V. et Can. IX. (Mansi T. IX. p. 272 et 384). Cf. Canones Concilii V. adversus Origenem (ibid. p. 395—400). Damnatio haec repetita est in Conciliis oecumenicis VI. VII. et VIII., in quibus omnibus Origenes inter haereticos ab Ecclesia condemnatos relatus est.

Car. et Vinc. de la Rue gr. et lat. Paris 1733—59. IV Voll. fol. (In ea vero non habentur Hexaplorum Fragmenta; nec Philocalia uno conspectu exhibetur). Hujus edit. tres priores Tomi recusi sunt Venet. 1743. III Voll. fol., ita ut omnia praeter textum graecum exhibeantur. Eadem editio Parisina recusa est, sed absque Praefat. et Notis, gr. et lat. Wirceburgi 1780. seqq. XV Voll. in 8°. — Plurimum quoque commendatur editio recentissima per Lommatzsch Berolini 1831—48. XXV Tomi in 8°. — Migne P. Gr. T. XI—XVII. — Opera ejus exegetica, quae graece exstant, ed. gr. et lat. D. Huetius Rothomagi 1668. II Tomi fol. — Origenes de Principiis gr. et lat. ed. Redepenning. Lipsiae 1836 in 8°. —

§. 67.

S. Hippolytus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Euseb. Hist. Eccles. lib. 6. c. 20. et c. 22. S. Epiphan. haer. 31. n. 33. — S. Hieronym. de viris illustr. c. 61 et saep. — Leont. Byzant. de Sectis Act. III. n. 1. (Galland. T. XII. p. 663.). — S. Isidor. Hispal. Etymolog. lib. 6. c. 17. — Phot. Biblioth. Cod. 121. et Cod. 202. — Nicephori Callisti Histor. Eccles. lib. 4. c. 31.[1])

Subsidia: Galland. T. II. Prolegom. c. 18. — G. Cuperus in Actis SS. Tomo IV. Augusti p. 504—13. — Ruinart Acta Martyrum T. I. p. 383—87. — Diatribe de Hippolyto in Steph. le Moyne Varia sacra. T. I. — Const. Ruggerii de Portuensi s. Hippolyti Ep. et Mart. sede Dissertatio posthuma Romae 1771. (recusa in Lumper P. VIII. p. 347—617.). — Simon de Magistris in Opere: Acta Martyrum ad Ostia Tiberina sub Claudio Gothico, Romae 1795; quibus quindecim Dissertationes praecedunt de s. Hippolyto ejusque Operibus. — Henr. Canisii Lectiones antiquae (ed. Jac. Basnage Amstelodami 1725.). Vol I. p. 2—12. — Ceillier T. II. Chap. XXVII. (p. 316—74.) — Lumper P. VIII. p. 1—191. J. Kimmel Dissert. de Hippolyti vita et scriptis Jenae 1837. — Haenell de Hippolyto Episcopo (Opus praemio insignitum) Gottingae 1838. 4°. — Döllinger Hippolytus u. Kallistus; Regensb. 1853. — De Rossi, Bolletino Ser. I. a. IV. 1 sqq. V. 57. Ser. III. a. I. III. V. VI. — Cf. Chevalier s. v. Hippolyte.

---

[1]) Fontibus etiam quodammodo accensere licet s. Hippolyti Statuam marmoream anno 1551. haud procul ab Urbe Roma inventam et Graecis utrimque litteris inscriptam, quibus Hippolyti Cyclus Paschalis ejusque Operum index paulisper mutilus exhibetur. Statua haec cum suis inscriptionibus accurate delineatur et illustratur in Fabricii Opp. s. Hippolyti Vol. I. inde a pag. 36. seqq. Cf. Kraus Real-Encyclop. d. chr. Alterth. T. I. p. 659 sqq.

Junximus quidem Clementi Alexandrino Origenem, eo quod illius hic fuerit discipulus et in eadem ecclesia Alexandrina floruerit; aetate tamen Origenem aliquantisper praecedit s. Hippolytus, vir apud antiquos celeberrimi nominis, etsi obscuriora sint quae ad ejus pertinent vitam. Haec de ipso habet l. c. s. Hieronymus: *Hippolytus cujusdam ecclesiae episcopus, (nomen quippe urbis scire non potui), rationem Paschae temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, et sedecim annorum circulum, quem Graeci ἑξ και δεκαετηριδα vocant, reperit, et Eusebio, qui super eodem Pascha canonem decem et novem annorum circulum, i. e. ἐννεα και δεκαετηριδα composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios, e quibus hos reperi: In hexaëmeron, et in Exodum, in Canticum Canticorum, in Genesim, et in Zachariam, de Psalmis, et in Isaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Saul et Pythonissa, de Antichristo, de Resurrectione, contra Marcionem, de Pascha, adversus omnes haereses, et προσομιλιαν de laude Domini Nostri Jesu Christi, in qua praesente se loqui Origene in ecclesia testatur. In hujus aemulationem Ambrosius, quem de Marcionis haeresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem in Scripturas commentarios scribere.* — De Hippolyto similia habet Eusebius, qui postquam inter celebriores scriptores commemoravit (H. E., VI. c. 20) Beryllum Bostrenorum in Arabia episcopum, *similiter,* scribit, *et Hippolytus alterius cujusdam ecclesiae episcopus;* ac dein c. 22 plura ejus opera recenset, sed haud tam complete quam s. Hieronymus. — Gelasius Papa (m. a. 496) in suo libro *de duabus in Christo naturis,* dum testimonia Patrum refert, citat Hippolytum hisce verbis: *Hippolyti episcopi et martyris Arabum metropolis in memoria haeresum.* A posterioribus scriptoribus dicitur episcopus Portus Romani in Italia ad ostia Tiberina,[1]) atque his concinnant martyrologia varia. S. Hippo-

S. Hippolyti vita.

[1]) Sic eum Anastasius Apocrisiarius (m. a. 666), Gregorius Syncellus (m. c. a. 812) et Joannes Zonaras (m. c. a. 1120) episcopum Portus Romani; imo Leontius Byzantinus (m. c. a. 600) et Nicephorus Constantinop. (m. a. 828) simpliciter Romanum episcopum vocant.

S. Hippolyti vita.

lytum Romae aliquandiu vitam degisse omnes conveniunt. S. Irenaei erat discipulus[1]) et floruit tempore Alexandri Severi Imperatoris (a. 222—235).

Rei porro christianae totum se dedit, ac Operibus facundiae laude celebratissimis atque eximia quadam gratia et caritate resplendentibus[2]) adeo clarum sibi nomen peperit, ut „sacratissimus et magnus Doctor veritatisque testis fidelis“ apud posteros audire meruerit.[3]) Non modo enim Judaeis atque Gentilibus veritatem fidei christianae persuadere omnibus studuit viribus, verum etiam summa caritate ac mansuetudine haereticos omnes ab errore retrahere conatus est, atque officia vitae christianae magna sollicitudine exposuit. Idem chronologiae et computi ecclesiastici admodum peritus diversa Opera pro inveniendo ac determinando Paschatis die composuit, eaque in materia facem praetulit Eusebio.[4]) Insuper explanandis s. Scripturis insignem operam navavit, ita ut in ejus aemulationem etiam Origenes Commentarios in s. Scripturas edere instituerit.[5]) Denique martyr obiit circa medium saeculi tertii.[6])

Haec fere de s. Hippolyto ex antiquis collecta, usque ad nostram aetatem, comperta habebantur. Quum vero post repertum (a. 1842) et publicatum (a. 1851) opus Philosophoumenon non pauci eruditi rati sint, Hippolytum auctorem esse hujus operis, ex eodem etiam varia collegerunt, quae ipsius vitam illustrant simul et opiniones hucusque vigentes aliquantisper modificant. Ex horum eruditorum sententia igitur Hippolytus fuit presbyter

---

[1]) S. Hippolytus ipse id testatur ap. Photium Cod. 121.

[2]) S. Hieronym. ep. 71. n. 6. Pseudo-Chrysostom. Serm. de Pseudo-Prophetis in Opp. Chrysostomi (ed. Maurin) T. VIII. Append. p. 79. (*γλυκύτατος καὶ εὐνούχατος*).

[3]) Anastas. Bibliothecarius apud Galland. T. II. p. 469.

[4]) De s. Hippolyti Cyclo Paschali vid. Simon de Magistris Acta Mart. ad Ostia Tiberina Dissert. VII.

[5]) S. Hieronym. de viris illustr. c. 61.

[6]) „Martyr“ vocatur a s. Hieronymo Praef. Commentar. in Matthaeum, et saepius ab eodem; item a Theodoreto Haeret. Fabul. lib. 3. c. 1. aliisque. Cf. Martyrolog. Roman. 22. Augusti.

Romanus, qui temporibus Zephyrini Pontificis jam scriptis suis et doctrinis celebre acquisiverat nomen. Sed in oppositione amara ac lucta versabatur contra Callistum Zephyrini archidiaconum. Is enim quoad doctrinam arguebat Hippolytum, quod quum Sabellianos impugnaret, Patris et Filii differentiam ita assereret, ut in ditheismi errorem incideret; Hippolytus vero rigorismi sectator, turbatae et relaxatae disciplinae ob plura quae Callisti influxu statuebantur, hunc vehementius incusabat. Post mortem s. Zephyrini in Pontificem creatus est Callistus, atque tunc Hippolytus factionis oppositae caput, schisma excitavit, ipseque ut antipapa Callisto oppositus est. Callistus vero tum sanam doctrinam tueri, tum congruo modo Ecclesiae disciplinam moderare perrexit, illudque schisma profundas non egit radices, imo non multo post exstinctum est, ita ut triginta post annis jam ipsa ejus memoria in ecclesia Romana periisset. Hippolyto tempore schismatis Philosophoumenon composuit opus, quo in Callistum vehementius invehit. Sed sub successoribus Callisti et ipse ad unitatem Ecclesiae rediit, et sub Imperatore Maximino (235—238) una cum s. Pontiano Pontifice ob fidei confessionem in Sardiniam exul transmissus est; videntur ad metalla damnati fuisse. Brevi ambo ibidem succubuerunt, atque ut martyres statim ab ecclesia Romana agniti et venerati sunt. Sub s. Fabiano Pontifice corpora eorum Romam translata sunt; s. Hippolytus depositus est via Tiburtina, ejusque memoria exinde magno in honore fuit. Testatur id celebris statua marmorea ei erecta, in qua etiam catologus operum ipsius insculptus est. — Hac igitur ratione s. Hippolyti vita concinnari potest, si ipse fuit auctor Operis Philosophoumenon. Quod nobis quidem non videtur posse admitti; satius tamen habuimus haec subjungere, quum multis suppositio illa arrideat.[1]) S. Hippolyti vita.

Plurima scripsit Hippolytus, ab Eusebio, Hieronymo, Photio aliisque memorata, sive in statua marmorea consignata. Quaedam eorum ad nos integra pervenerunt, pleraque vero injuria temporum interciderunt, aut eorundem fragmenta tantum supersunt. Monendum tamen est, vix unum esse Opus Hippolyti ex iis, quae hodie sive integra, sive ex parte supersunt, quod non ab uno alterove Eruditorum in dubium fuerit vocatum. Sunt autem ejus Opera: Opera.

1. *Demonstratio de Christo et Antichristo (Ἀπόδειξις περὶ Χριστοῦ καὶ Ἀντιχρίστου)*, quod, si argumentum inspiciatur (praesertim n. 5.), rectius cum s. Hieronymo inscribitur: *De Antichristo.*[2]) Ibi postquam exordio nonnihil

[1]) Cf. Nirschl Patrol. T. I. §. 69; Kirch. Lexic. ed. 2. s. v. Hippolytus. (Fechtrup.)

[2]) Ab hoc Opere genuino sedulo discernendum est aliud similis

S. Hippolyti Opera.

fusiori de Prophetarum munere disputavit, ex s. Scriptura fidelibus ostendit, qualis futurus sit Antichristi adventus et nomen, unde et quando oriundus sit, qua ratione semetipsum ut Deum clarificaturus, homines in errorem inducturus, Sanctos vero gravissima persecutione sit afflicturus; qualis denique ejus interitus; porro quomodo revelanda sit de coelis Domini apparitio, ac quae universi orbis consummatio per ignem; demum quale futurum sit Sanctorum gloriosum ac coeleste regnum cum Christo, ac quod iniquorum per ignem supplicium aeternum. Haec autem tota tractatio, in qua sensuum simplicitas ac vetustas apparet, genus vero dicendi clarum imprimis ac perspicuum deprehenditur,[1]) eo spectat, ut Antichristi ex Scripturis demonstratione fidelibus caveret, eosque Christo magis adjungeret, atque eum in finem amborum discrimen aperiret.

2. *Demonstratio adversus Judaeos* (*Ἀποδεικτικὴ πρὸς Ἰουδαίους*),[2]) in qua ex Davide (Ps. 68.) et Salomone (Sap. c. 2.) iisdem luculenter ostendit, calamitates omnes, quibus populus Judaicus obrutus est, originem suam unice trahere ex illa ipsa Judaeorum perversitate, qua Christum Dei Filium supplicio tam atroci interfecerint.

3. *Liber adversus Graecos, qui inscribitur adversus Platonem de causa universi*,[3]) cujus nonnisi Fragmentum sat

---

tituli spurium, scilicet: *De consummatione mundi ac de Antichristo et secundo adventu Domini,* quod olim Hippolyti nomine edidit gr. et lat. J. Picus Paris. 1557. in 8°. et quod deinceps in Bibliothecas Patrum transiit. Illud autem communi eruditorum calculo s. Hippolyto abjudicatur, utpote tanto viro prorsus indignum. Cf. Ceillier l. c. Art. IX. p. 350—61. Lumper C. 4. Art. I. p. 107—111.

[1]) Ita Phot. Cod. 202.

[2]) Opusculum hoc, ut suspicatur Fabricius in Opp. s. Hippolyti Vol. I. p. VI., videri etiam posset particula Commentariorum Hippolyti in Psalmos; totum enim est veluti paraphrasis Psalmi 68.

[3]) Opus istud haud obscure indicat s. Hieronymus ep. 70. n. 4.; diserte vero s. Hippolyto illud tribuit inscriptio statuae marmoreae, quae indicem texit librorum s. Hippolyti. Olim tamen hoc Opus Flavio Josepho ab aliis tributum est, ab aliis autem s. Irenaeo, vel Origeni, aut Cajo presbytero. Vid. Phot. Cod. 48. — Haud improbabilis vero

prolixum hodie exstat. In illo praeclare agitur de futuro animarum statu usque ad resurrectionem, de corporum resurrectione, de futuro judicio atque de aeterna retributione.

4. *Contra haeresim Noëti.* In hoc tractatu postquam Noëti fata et doctrinam paucis exhibuit, argumenta quibus haeresim suam ille fulcire conatus est, e s. Scriptura potissimum petita diluit (n. 1—8); deinde mysterium ss. Trinitatis et Incarnationis exponit solideque probat. — Argumentis sat firmis constat, tractatum hunc fragmentum et extremam partem esse *Operis adversus omnes haereses.*[1]) Eo opere s. Hippolytus a Dositheo ad Noëtum usque 32 numerabat haereses earumque instituebat confutationem ex s. Irenaei sermonibus, quorum compendium hoc se libro complexum esse ipse refert (apud Photium Cod. 121.) Praeter tractatum contra haeresim Noëti, tantum quaedam minora fragmenta hujus Operis servata sunt.[2])

5. His omnibus adjungi meretur *Explanatio in Danielem* seu Danielis et Nabuchodonosori Visionum solutiones, quibus omnes visiones in libro Danielis contentae breviter explanantur.[3]) Sat probabiliter quoque, etsi non

---

est conjectura, duo ejusmodi Opera exstistisse, unum s. Hippolyti, alterum vero Caji presbyteri.

[1]) Cf. Galland. T. II. Prolegom. c. 18. n. 6. Ceillier l. c. Art. V.

[2]) Dubium porro censeri debet, utrum etiam fragmenta octo seu *Excerpta ex Tractatu de theologia et incarnatione contra Beronem et Helicem* (seu Heliconem) foetus sint s. Hippolyti et ex eodem forsan Opere contra omnes haereses depromta, ut nonnullis visum est. Ibi contra haereticos istos, Eutychianorum proavos, duplicem in Christo naturam inconfusam et immutatam, et duplicem operationem, unicuique scilicet naturae propriam, adstruit. Cf. Lumper l. c. p. 46—56.

[3]) Haec explanatio visionum Danielis nec apud Fabricium, nec apud Gallandium exstat, sed in *Daniele secundum Septuaginta* (ed. Simon de Magistris) Romae 1772. fol. gr. et lat. exhibetur p. 93—122. Cf. Praefat. n. VII. Argumenta tam externa, quam interna sat gravia militant pro authentia hujus Operis recens ab Editore detecti. Accedunt plura Fragmenta ex isto s. Hippolyti Opere in Catena Graecorum Patrum in Danielem, quam primus dedit A. Majus in Collect. Nova Veterum Script. T. I. (Romae 1831.) P. III. p. 29. seqq. Cf. Maji Not. ibid. p. 29—30. et Praefat. p. XXXIV—V. Bardenhewer, Des heil. Hippolytus Commentar zum Buche Daniel. Freiburg 1877.

S. Hippolyti Opera.

plena certitudine, eidem pariter tribuitur tractatus brevis et luculentus *de Susanna*, ubi mysticum ejus historiae sensum declarat, juxta quem Susanna praefigurabat Ecclesiam, Joachim vero ejus maritus Christum, duo senes porro sunt gemini populi, Ecclesiae infensi, Judaei scilicet et Gentes. Praeterea Fragmenta ejusdem Commentariorum habentur in varios s. Scripturae libros, ex. gr. in Genesin,[1]) (ubi inter alia Jacobi patriarchae prophetiam de filiis suis explanat,) in Psalmos, in Proverbia, in Ecclesiasten, in Canticum Canticorum, et in Isaiam. — Demum nonnulla Fragmenta Homiliarum ejusdem, et epistolae ad reginam quamdam duo fragmenta exstant.

6. Ex Operibus ejus chronologicis in statua marmorea asservatus est *Canon Paschalis.*[2])

Ut unum saltem proferam locum dogmaticum ex hoc s. Patre, de sacramento Eucharistiae ita testatur: „*Sapientia proposuit mensam suam* (Proverb. 9. 2.) — venerandum sanctumque ejus corpus et sanguinem, quae in mystica et divina mensa quotidie perficiuntur et *sacrificantur* in memoriam primae illius et semper recolendae divinae coenae.“ Fragment. Commentar in Proverb. 9, 1—2.[3])

Opera dubia.

Nota 1. Inter scripta dubia s. Hippolyti primum commemorari merentur *Philosophoumena, sive omnium haeresium refutatio*, (*φιλοσοφούμενα ἢ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος*), quod opus decem libris continetur. Liber primus jam notus erat, et passim Origeni tribuebatur, sed a. 1842 Mynoides Myna codicem in monasterio montis Athos detexit, in quo integrum fere opus habebatur. Desunt quidem liber secundus et tertius; quae in eis continerentur

[1]) Notandum vero. Fragmenta Commentarii in Genesin e Catena arabica decerpta (in edit. Fabricii Vol. II. p. 33—44.) ab eruditis rejici tamquam spuria, vid. Ceillier l. c. p. 322. et Galland. Prolegom. c. 18. n. 8.

[2]) Canon iste Paschalis, quem utpote ab instituto nostro magis alienum chronologiae ecclesiasticae studiosis discutiendum relinquimus, cum virorum doctorum (Jos. Scaligeri, D. Petavii, Aeg. Bucherii, Fr. Blanchini, J. Vignolii etc.) Commentariis exhibetur in Fabricii Opp. s. Hippolyti Vol. I. p. 38—216. Migne P. G. T. X. p. 875 sqq. et 310 sqq.

[3]) Plura de ejus doctrina dabit Lumper l. c. p. 120. seqq Möhler Patrol. p. 599 sqq. (Vers. gall. T. II. p. 171 sqq.)

S. Hippolyti Opera dubia.

tamen ex recapitulatione quadam auctoris colligi potest. Primis quatuor libris videlicet agitur de erroribus antiquorum Graecorum et Indorum (I). Aegyptiorum et Chaldaeorum (II. III.), Babyloniorum aliorumque qui magiae et astrologiae operam dederunt (IV). Inde a libro quinto usque ad decimum de haereticis auctor agit eosque refellit, haereticisque libro nono accenset Callistum; ejus vitam acri stylo describit multasque in eum congerit accusationes. Libro decimo demum postquam paucis recollegit varias haereses, expositionem doctrinae suae auctor subnectit.[1]) — Qui censent, auctorem Operis esse s. Hippolytum hisce praecipue nituntur argumentis: 1° Quae de charactere auctoris ex ipso opere colliguntur, perbene Hippolyto applicantur. 2° Admissa hac sententia, diversa quae ab antiquis de Hippolyto traduntur illustrantur et explicari possunt. 3° Attribuunt antiqui scriptores Hippolyto ejusmodi de haeresibus opus, quo vel ipsa Philosophoumena designant, vel aliud opus minoris molis de haeresibus, quod pariter hic auctor in prooemio ad Philosophoumena se confecisse testatur. 4° Mentionem facit auctor (L. X. n. 32) libri ab ipso conscripti *Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας;* in catalogo autem qui habetur in statua marmorea s. Hippolyti etiam invenitur ejusmodi liber *πρὸς Ἕλληνας καὶ πρὸς Πλάτωνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντός.*[2]) — Inter

[1]) Philosophumena ediderunt: Miller (graece) Oxonii 1851. Lagarde (graece) Lipsiae et Londini 1858. Dunker et Schneidewin, Goetting. 1859, graece et latine, sed sine notis. Cruice, Paris 1860, graece et latine adjectis notis.

[2]) Cf. Nirschl. Patrol. T. I. p. 254. — Quae opponuntur, ad haec fere reduci possunt: 1° Incredibile est, virum adeo insignem, uti s. Hippolytus. Romanorum Pontificum adversarium, auctorem schismatis, et antipapam per plures annos fuisse, quin in ecclesia Romana ejusmodi oppositionis memoria viva remansisset, et scriptoribus antiquis id innotuisset. Origenis, Tertulliani, Cypriani aliorumque lites cum Romanis Pontificibus innotuerunt et ab antiquis relatae sunt; adeoque etiam s. Hippolyti oppositio non latuisset. — Jamvero 2° s. Hippolytus semper inter illustres s. Ecclesiae Patres recensitus est nullaque macula aspersus. Ipsius opera, orthodoxa catholicae doctrinae monumenta habita sunt; apud auctorem Philosophoumenon errores inveniuntur. — 3° Unum tantum opus contra haereticos s. Hippolyto ab Eusebio et s. Hieronymo tribuitur, hujusque fragmentum merito censetur qui superest tractatus Hippolyti contra Noëtum. Textus ex eo desumptus a Gelasio citatur ita, ut tribuatur Hippolyto *in Memoria haeresum.* Sed Philosophoumena non sunt citatum illud s. Hippolyti opus contra haereses. Nec alterum brevius opusculum de haeresibus quod sibi tribuit auctor Philosophoumenon, haberi potest ut Hippolyti opus cujus mentionem faciunt antiqui. — 4° S. Epiphanius de haeresibus c. 31 advertit, se in refellendis haeresibus plurimum usum fuisse operibus eorum qui jam antea haereticos refutaverant, uti Irenaeus, *Hippolytus* et alii. Ac revera multa profert ex Irenaeo, et de Noëtianis agit secundum ea quae habet Hippolytus in tractatu contra Noëtum. Sed nihil in eo in-

S. Hippolyti Opera dubia. Opera dubia praeterea referri meretur: *Sermo in s. Theophania*, quo omnes circumstantiae baptismi Christi exponuntur. Cf. Lumper l. c. p. 60—62. — Haud immerito etiam inter dubia recensetur: *De Charismatibus Spiritus sancti Apostolica traditio*, quae partem non exiguam libri octavi Constitutionum Apostolicarum efficit; cf. Lumper l. c. p. 56—60. Ceillier l. c. p. 357.

Nota 2. Spuria sunt praeter Opus de consummatione mundi et de Antichristo: Chronicon Hippolyti; item Genealogia SS. Mariae et Josephi ex eodem Chronico depromta; Tractatus de 12 Apostolis, et alius de 72 discipulis etc. — Cf. Lumper l. c. p. 107—119. — Ceillier l. c. p. 360—63. et p. 354—56.

Editiones: S. Hippolyti Opera gr. et lat. ed. J. A. Fabricius. Hamburgi 1716—18. Voll. II fol. in uno Tomo. — Galland. Biblioth. T. II. p. 408—530. — His addenda Fragmenta quaedam in A. Maji Collect. Nova Veterum Scriptorum T. I (Romae 1831.) P. III. p. 29. seqq. et T. VII. (Romae 1833) p. 14. 68 84. 134. — Omnia Opera et Fragmenta Migne P. G. T. X. et XVI.

§. 68.

S. Cyprianus. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia. Fontes: S. Cypriani epistolae. — Vita et Passio s. Cypriani per s. Pontium ejus diaconum scripta.[1]) — Eusebii histor. Eccles. L. VI. c. 43. et L. VII. c. 3. — S. Hieronym. de viris

---

venitur desumptum ex libro Philosophoumenon. Unde hoc opus non videtur s. Hippolyto posse adscribi. — Alii scriptori antiquo, uti Origeni, Cajo (cl. Fessler), Tertulliano, Novatiano, vel ignoto auctori Opus tribui posse, varii opinati sunt; sed quaestionem in ancipiti relinquimus. — De hac controversia, praeter alios, opportune consuli possunt: Döllinger, Hippolytus und Kallistus. Regensb. 1853. De Smedt, Dissert. T. I. Dissert. III. Funk, Ueber den Verfasser der Philosophumenen. Tübing. Quartalschr. 1881. p. 423 sqq. — De Rossi, Esame archeologico e critico della storia di s. Callisto etc. Bolletino a. IV. p. 1 sqq. cf. a. VI. p. 26 sqq. Jungmann Dissertation. T. I. Dissert. III. De auctore Philosophoumenon etc. — Armellini, De prisca refutatione haereseon etc. Romae 1862. Grisar, Bedarf die Hippolytusfrage einer Revision? Innsbr. Zeitschrift 1878 p. 505 sqq.

[1]) Pontii libellus vel eo saltem nomine plurimi ducendus est, quod ejus auctor testis *αὐτόπτης* fuerit, licet in rebus enarrandis stylo fortasse comtiori usus, qui panegyricum magis, quam historicum deceat. Hujus libelli jam meminit s. Hieronym. de viris illustr. c. 68. Cf. Lumper P. XIII. p. 45—51. et Acta SS. ad diem. 8. Martii. Exstat hic liber in fronte Opp. S. Cypriani et ap. Galland. T. III. p. 470—76.

illustr. c. 67. et saep. — S. Augustin. Sermo 309—313. et saepius, praesertim in libris de baptismo.[1])

Subsidia: Vita s. Cypriani per Prud. Maranum adornata in ejusdem edit. Opp. s. Cypriani. — Tillemont s. Cyprien T. IV. (p. 45—198. et p. 601—45.). — Ceillier T. III. Chap. I. (p. 1. seqq.). — Lumper Pars XI. et XII. — Constant. Suyskeni Commentarius de s. Cypriano (Acta SS. Septembris T. IV. p. 191. seqq.). — Ruinart Acta Martyr. P. II. p. 1. seqq. — J. Pearson Annales Cyprianici, additi editioni Opp. S. Cypriani Oxoniae 1682. — Peters, Der h. Cyprian. Regensb. 1877. — Fechtrup, Der h. Cyprian, sein Leben u. seine Lehre B. I. Münster 1878. Cf. Chevalier s. v. Cyprien.

S. Cypriani vita.

Thascius Caecilius Cyprianus circa initia saeculi tertii nobilissimo in Africa genere oriundus, primum quamdiu Ethnicae superstitioni addictus erat, gloriose Rhetoricam Carthagine docuit, exinde suadente presbytero Caecilio, a quo et cognomentum sortitus est, circa a. 245. Christianus factus[2]) statim continentiae se lege obstrinxit atque omnem substantiam suam pauperibus erogavit; imo generatim quidquid praeclare factum Scripturae auctoritate comprobatum vidit et laudatum, imitatione assequi conatus est.[3]) Post baptismum omne tempus s. Cyprianus insumsit in s. Scripturis legendis, in scriptoribus ecclesiasticis evolvendis, inter quos Tertullianum maxime in deliciis habuit,[4]) iisque omnibus meditandis et colligendis, quae postea in luce et oculis totius Ecclesiae depromsit. Ob eximios in virtute progressus non multo post baptismum in presbyterum electus et paulo post anno 248. vel 249. mortuo Episcopo Carthaginensi communi totius po-

---

[1]) S. Gregorii Nazianz. Or. 24. (in laudem s. Cypriani) et Prudentii *περὶ στεφάνων* Hymn. 13. ideo inter fontes non recensentur, quod uterque Cyprianum Carthag. cum s. Cypriano martyre Antiocheno confuderit.

[2]) In epistola 1. (ad Donatum) egregie describit s. Cyprianus hanc suam conversionem factamque exinde sui ipsius mutationem internam. — Citantur epistolae sec. edit. Maurin. et Migne P. L. T. IV.

[3]) S. Pont. n. 2. 3. 4. S. Hieronym. l. c. et Comment. in Jonam c. 4. v. 6. seqq.

[4]) S. Hieronym. de viris illustr. c. 53. et ep. 84. n. 2. „Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut ejus scripta probant.“

S. Cypriani vita.

puli et cleri suffragio ad istam sedem evectus est (ep. 40. et ep. 55.). Quamvis autem Episcopatus invito et fugienti impositus fuerit, non defuerunt tamen, qui illius electioni, facta conjuratione intercederent; inter hos quinque potissimum presbyteri eminebant. Exarsit plebis indignatio in obtrectatores Cypriani; verum ille nihil praetermisit, ut exulceratas mentes ad sanitatem revocaret, „amicissimos eos et inter necessarios computans mirantibus multis“ (Pont. n. 5.). At quinque illi presbyteri conceptum venenum medullis aluerunt (ep. 40.), quod post aliquot annos conflato schismate violenter erupit.

Statim ab initio Episcopatus sui Cyprianus eam sibi legem sponte praefixit, ut nihil sine consilio presbyterii sui et consensu plebis privata sententia gereret (ep. 5.). Prima autem ipsius cura fuit, emendationi morum gregis sibi commissi incumbere, ac leges disciplinae haud parum collapsae instaurare omnique vigore tueri[1];) qua in re ita cum severitate junxit mansuetudinem et caritatem, „ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur“ (Pont. n. 6.). Verum s. Cyprianus in pace Ecclesiae electus unum nonnisi annum in hoc tranquillo rerum statu traduxit. Circa initium anni 250. efferbuit persecutio Decii saevissima, quam excitavit odium Decii in Philippum, et Romanarum superstitionum, quarum ruinis christianam religionem superstrui videbat, desiderium. Tum vero statim Cyprianus Carthagine quaesitus et populi clamoribus aliquoties expetitus est, ut leonibus objiceretur; verum is a Deo jussus in locum abditum secessit, idcirco proscriptus tanquam Ecclesiae catholicae Episcopus.[2]) Habuit haec persecutio illud singulare, ut omnes omnino Christianos saltem Carthagine comprehenderet, nec quisquam ex ea, nisi aut Christi confessor egregius, aut simulacrorum perfidus cultor

---

[1]) Huc probabiliter pertinent s. Cypriani ep. 61. 62. 65. et 66. Cf. ep. 55. „in quiete serviens disciplinae“.

[2]) Vid. ep. 5. ep. 14. ep. 55. ep. 69. ep. 9. *Pont. n.* 7. et 8., qui ex professo ejus fugam in persecutione defendit. Caeterum quam ferventi ipse desiderio anhelaverit martyrium, satis ostendit ep. 8. nec non ep. 37.

(lapsus) vel denique libellaticus[1]) discederet. Dira autem haec tempestas Christianos per diuturnam quietem vitiis infectos et debilitatos adeo concussit, ut tum Carthagine magna fidelium pars a fide deficeret Christumque abnegaret, tum et ubique fere terrarum res Christianorum misere prostratae jacerent.[2]) His in rerum angustiis Cyprianus sic abfuit, ut animo et sollicitudine omnibus rebus interesset, nec ullas Episcopi partes praetermitteret. Discedens omnibus rebus providerat, pecuniam apud Clericos distribuerat, ut haberent plures, unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possent (ep. 5. 6. et 36.); in secessu haud raro coetus collegit et obtulit sacrificia (ep. 15. et 37.); insuper ablegatis Episcopis aliis, ordinatisque presbyteris et clericis indefessam ecclesiae suae curam habuit (ep. 33. 34. 35. et 38.); denique de omnibus, quae Carthagine ipso absente gesta fuissent, illico certior factus, nihil interim omisit, quod ad pauperes sublevandos, ad confessores cohortandos ac interdum etiam castigandos, ad lapsorum ruinas reparandas, ad disciplinae observationem et Ecclesiae pacificationem pertineret (ep. 14.). S. Cypriani vita.

Persecutionis furori novae accesserunt turbae, cum scilicet lapsorum permulti mox post gravem ruinam rursus ad ecclesiam concurrerent atque cum ea reconciliari non tam rogarent supplices ac poenitentes, quam postularent superbi et arrogantes. Hanc levitatem presbyteri nonnulli fovebant, lapsosque temere, pace data et communione restituta, ad SS. Eucharistiam percipiendam admittebant; tandem et confessorum complures meritis suis imprudenter confisi et justo plus elati, suam pro lapsis intercessionem adhibuerunt, eamque tantum valere petierunt, ut tali suffragio adjutis ecclesiae aditus absque ulla mora aperiendus esset. His omnibus Cyprianus toto mu-

---

[1]) *Libellatici* vocantur, qui securitatis libellos a magistratibus impetraverant ea lege et conditione, ut in actis publicis, fortasse etiam in ipsis libellis, scriberetur, eos sacrificasse et Christum negasse, quamvis neutrum revera commisissent. Vid. ep. 31. et ep. 52. Cf. Prud. Marani Vita s. Cypriani n. VI.

[2]) Vid. Lib. de lapsis, ep. 5. ep. 26. ep. 31.

S. Cypriani vita.

neris Episcopalis vigore restitit, contendens, Dominum tali ruina graviter laesum longa et continua satisfactione esse placandum (ep. 40), lapsorumque causam non paucorum temeritate et arrogantia, sed Episcopi auctoritate, imo communi totius Ecclesiae consilio esse definiendam (ibid. et ep. 52.); interim solis infirmis, qui in articulo mortis essent constituti et a primo lapsus die poenitentiam agere non destitissent, pacem et communionem dandam esse (ep. 52.). Nemini quoque ex lapsis tunc communicavit, quamdiu persecutio adhuc fervens iisdem reparandi certaminis occasionem dabat (ep. 52.). Tum vero quinque illi presbyteri dudum Cypriano infensi (ep. 40.), in quibus erant *Novatus* (ep. 49.) et *Fortunatus*, cum *Felicissimo* quodam laico (ep. 55.) variis sceleribus contaminato, quem postea Novatus propria auctoritate diaconum constituit (ep. 49.), aperte in illum insurrexerunt, statuentes, lapsos sine ulla poenitentia in Ecclesiae communionem esse recipiendos.[1]) Hos itaque disciplinae ecclesiasticae repugnantes a communione ecclesiastica separavit (ep. 38. 40.), lapsos ad poenitentiam et patientiam hortatus est, confessoribus modestiam et humilitatem sedulo inculcavit, plebem vero suam paterno affectu monuit, ut in altera hac persecutione non minus fortes schismatis periculum declinarent, et Ecclesiae tam firmiter, quam ipsi Christo adhaererent (ep. 40.). Mox persecutione sopita Cyprianus e secessu Carthaginem rediit[2]) paulo post Pascha anni 251.

§. 69.

Novatiani schisma et haeresis.

Alia tunc temporis Ecclesiae calamitas exorta est. Romae scilicet, postquam sedes Pontificia ultra annum vacaverat, medio anno 251., cum persecutorum furor non-

[1]) Ep. 55. ep. 40.

[2]) Quanto gaudio redux eorum, qui fidem constanter professi fuerant, multitudinem omnis sexus et aetatis conspexerit, ipse pulcherrime describit initio libri de lapsis.

nihil remissius ageret, de eligendo novo Pontifice agebatur. „Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de Clericorum paene omnium testimonio, de plebis, quae tunc affuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio“ (ep. 52.). Id vero aegre tulit Novatianus quidam, Stoicae olim philosophiae addictus, postea Romanae Ecclesiae presbyter, tumore superbiae inflatus ac invidia stimulatus,[1]) qui contra Cornelii ordinationem aperte disputavit, eamque ut illegitimam abrogare conatus est, asserens, „illum libelli labe maculatum esse, et cum Episcopis, qui sacrificaverant, communicationem sacrilegam miscuisse“ (ep. 52.). Pellexit in factionem suam quosdam e Confessoribus Romanis (ep. 46.) obtentu severioris disciplinae, praesertim in lapsos; nonnullos quoque presbyteros, et partem plebis Romanae ad se pertraxit. Eam occasionem Novatus, qui praesidii adversus Cyprianum quaerendi gratia Romam sese contulerat, rebus suis opportunam ratus Novatiano se mancipavit (ep. 46. 49. 52.). Igitur ut pro viribus promoveret ejusdem partes, id technis suis est consecutus, ut Novatianus a tribus Episcopis, quos rudes et simplices ab exigua et vilissima Italiae parte ad hoc exciverat, ordinaretur in Pontificem; unde tum primum Antipapae nomen, a constituta Christi religione incognitum, audiri coepit. Ordinationem suam datis litteris missisque legatis Africanae atque Orientali ecclesiae significavit Novatianus. Cyprianus vero, ubi primum cognoverat ex litteris tum a Cornelio, tum a Novatiano perceptis, Cornelii elec- S. Cypriani Vita.

[1]) Ep. 52. ep. 57. Euseb. lib. 6. c. 43. (ubi tamen pro Novato semper legendus est Novatianus). S. Paciani ep. 2. n. 4. 7. 8. (in Galland. Biblioth. T. VII. p. 260–61). — Idem ille Novatianus praeter epistolam ad s. Cyprianum, cleri Romani nomine scriptam, quae est inter Cyprianicas epistola 30. (cf. s. Cypriani ep. 52. et s. Paciani ep. 3 n. 3. et 5.), alia scripta reliquit, quae recenset s. Hieronym. de viris illustr. c. 70. Praeter librum *de SS. Trinitate*, et alterum *de cibis Judaicis*, qui in Galland. T. III., in Oberthür S. Cypriani Opp. T. II. et in Migne Patrolog. Curs. T. III. p. 885—970. exhibentur, reliqui omnes ejus libri penitus intercidisse videntur; cf. Galland. T. III. Prolegom. c. 4. et Lumper P. XI. Sect. II. (p. 20—58).

S. Cypriani Vita.

tionem impugnari a nonnullis, minime quidem dubitavit, Cornelium legitime electum verumque esse Pontificem; sed ut illius adversariis omnem perturbandae Ecclesiae causam praecluderent, ipse cum compluribus Episcopis, qui in unum convenerant, litteras Episcoporum, a quibus ordinatus fuerat Cornelius, desiderarunt legatosque miserunt, qui has litteras referrent et totam rem diligenter exploratam narrarent. Dum haec fierent, legati a Novatiano missi Carthaginem venerunt nuntiantes, Novatianum factum esse Episcopum; quo comperto statim Cyprianus ejusque collegae a communione eos, utpote schismaticos Ecclesiae unitatem lacerantes, cohibendos esse censuerunt, refutatis interim ac retusis eorum calumniis (ep. 41.). Mox vero ex legatorum, quos Cyprianus Romam miserat, relatione et ex litteris collegarum Cornelii de legitima istius ordinatione certissime constitit; abhinc Cyprianus omni conatu adlaboravit, ut triste schisma reprimeret (ep. 41.). Quapropter et ipse retulit ad Cornelium Pontificem de rebus ecclesiae suae agendique rationem hucusque servatam coram eo purgavit; reliquos per universam Africam Episcopos de legitima Cornelii ordinatione et Novatiani schismate certiores reddidit: tandem confessores Romanos Novatiano adhaerentes a diro schismate revocare studuit tam litteris ad eos datis, quam libro de Unitate Ecclesiae idcirco composito et ad eos transmisso; id quod ex animi voto ipsi cessit (ep. 41—52.). Damnatus et rejectus toto orbe Novatianus animum non despondit, sed per plurimas civitates novos apostolos suos misit (ep. 41.), ut quaedam recentia institutionis suae fundamenta constitueret, et super legitimos Episcopos crearet alios pseudo-episcopos, adeoque Ecclesiae unitatem scinderet (ep. 52.). Hos inter Maximus quidam pseudo-episcopus in Africa ab istis schismaticis constitutus est (ep. 55.). Interim Novatianus, ut invidiam Cornelio conflare pergeret, ac sibi auctoritatem quodam disciplinae fuco compararet, docere coepit, ea potestate carere Ecclesiam, qua lapsorum, quos inter et libellaticos numerabat, crimen dimitteretur, cum tamen, eosdem ad poenitentiae opera exhortandos esse, neutiquam

negaret. Cui statim Cyprianus Ecclesiae catholicae doctrinam opposuit, „a poenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi“ (ep. 52.) Cum vero Novatiani asseclae acriter premerentur a s. Cypriano et aliis Patribus, qui non sine summa injuria, quam veniam atrocioribus peccatis, homicidio et adulterio, concedebant, illam solis lapsis negari demonstrabant (ep. 52.), eo denique compulsi sunt, ut peccata omnia contenderent aeque esse irremissibilia. Puduit tamen eorum sectatores hujus amentiae; postea enim non defuere, qui hanc sententiam ad sola graviora crimina restrictam vellent. Secta haec, quamvis statim ab initio a s. Cypriano strenue impugnata et a numerosis conciliis tam Romae, quam Carthagine habitis damnata,[1]) non tamen penitus extingui potuit, ac vanissimum sibi *Καθαρῶν*, i. e. mundorum nomen a principali suo dogmate arrogavit. Haec fere contigerunt anno 251. et 252.

S. Cypriani Vita.

§. 70.

S. Cypriani agendi ratio erga lapsos. Novati ac Felicissimi schisma.

Interim causa lapsorum singulari prudentia et circumspectione a s. Cypriano tractata est. Itaque Carthagine „concilio frequenter acto,“ i. e. saepe repetito, ita ut quibusdam Episcopis Carthagine abeuntibus, quibusdam succedentibus continuatum quodammodo videri posset, primo quidem pace Ecclesiae restituta (a. 251.) decretum est, „ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu poenitentia et rogaretur dolenter paterna clementia et examinarentur

[1]) Euseb. lib. 6. c. 43.

S. Cypriani Vita.

causae et voluntates et necessitates singulorum," ad justam singulis poenitentiam imponendam. Itaque examinatis causis singulorum libellatici, qui hucusque poenitentiam egerant, statim in ipso concilio communioni restituti sunt, sacrificatoribus autem „poenitentia plena", quae peccati gravitati circumstantiis omnibus sedulo ponderatis responderet, imposita est, ita tamen, ut si ante hoc tempus elapsum periculum mortis urgeret, statim acciperent pacem;[1]) justis etiam martyrum petitionibus, seu libellis aliquid honoris causa, ut ferebat Ecclesiae consuetudo, delatum fuisse videtur. Praeterea decretum est, Episcopos lapsos ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi (ep. 68.). Lapsis demum, qui poenitentiam plenam agere detrectarent, aut morbo tantum correpti reconciliationem quaererent, tamquam indignis pax et Ecclesiae communio denegata est (ep. 52.). Felicissimum vero et quinque presbyteros nuper ab Ecclesia profugos Episcopi congregati excommunicarunt (ep. 55. et ep. 42.). Sententia haec Romam transmissa et a Cornelio ejusque concilio confirmata est (ep. 52.). — Rebus ita constitutis, rejectus a concilio Carthaginensi Privatus Episcopus haereticus dudum condemnatus cum quatuor aliis Episcopis pessimo nomine notatis et jam olim excommunicatis ob apostasiam, haeresin aliave crimina, Fortunatum pseudo-episcopum ordinavit Carthagine, quin tamen iis ob exiguum asseclarum numerum scelus ex animi votis successerit; pauci enim sacrificati vel male sibi conscii novum hunc coetum schismaticum constituerunt (ep. 55.). Illi jam per legatum suum Felicissimum diaconum plurimis sceleribus maculatum, Romam se verterunt, „ad Ecclesiam scilicet principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est",[2]) ut Cornelium vel blanditiis, vel minis et terroribus in partes suas pertraherent. Cornelius primo quidem eos fortiter repulit, postea vero minis eorum perterritus paulisper anceps hae-

[1]) Ep. 51. et. 52. ep. 54. et 55.

[2]) Ep. 55.

sit, rerum in Africa gestarum haud satis gnarus; mox autem a s. Cypriano de omnibus certior factus et animo confortatus (ep. 55.), schismaticos constantissime repudiavit. Abhinc plerique a schismate ad Ecclesiae unitatem redierunt, quos s. Cyprianus „cum poenitentia revertentes et peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes promta et plena dilectione amplexus est“ (ep. 55.). Ea ratione schisma Novati et Felicissimi, quorum ille se junxerat Novatiano, post biennium (a. 251—52.) fere exspiravit. — Hunc vero disciplinae rigorem tam necessarium, quam salutarem ita caritate temperavit s. Cyprianus, ut lapsos, qui humana potius fragilitate, quam improbitate et animi levitate Christum negaverant, vi tormentorum superati, triennio poenitentiae elapso in Ecclesiae communionem admittendos esse suaderet (ep. 53.). Mox tamen iterum causa lapsorum, quorum salus s. Cypriano assidue cordi erat et tamquam suprema lex obversabatur (ep. 52.), ejus curam et sollicitudinem exigere coepit. Sub Gallo et Volusiano Imperatoribus, qui sub finem anni 251 imperandi initium fecerant, horrenda pestis orbem Romanum devastabat, quae per quindecim annos obtinuit.[1]) Novi Imperatores aliquamdiu nihil durius in Christianos statuere, usque ad autumnum anni 252. Tum vero, ut iram deorum averterent, sacrificia edicto proposito celebrare populus jubebatur (ep. 55.): non multo post subsecuta sunt Imperatorum Galli et Volusiani adversus Christianos edicta. Ea persecutione imminente s. Cyprianus concilium copiosum Carthagine coëgit; et Episcopi congregati „Spiritu S. suggerente“, relaxato decreti prioris rigore, statuerunt: „lapsis, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed poenitentiam agere et Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, illico pacem dandam esse eosque sic ad proelium imminens armari et instrui oportere“ (ep. 54.). Spem eventus non fefellit; lapsi enim, quibus modo pax data est per indulgentiam,

s. Cypriani Vita.

[1]) Euseb. lib. 7. c. 22. De hac peste vid. Pagi Crit. ad a. 252. n. 24. 25. 26.

S. Cypriani Vita.

in hac persecutione fortes steterunt et gloriosa confessione restituti sunt (ep. 57.).

Primo statim hujus persecutionis initio s. Cornelius, Romanus Pontifex, a Gallo Imperatore in exilium missus est Centumcellas, ubi eodem adhuc anno martyrio coronatus est.[1]) S. Lucius, qui Cornelio successit, eodem fere tempore sacerdotii et exilii gloriam adeptus est, sed paulo post Romam revocatus martyr obiit mense Martio anni 253.[2]) Eo interim tempore s. Cyprianus, qui hac in persecutione neque secessit, nec pulsus aut proscriptus fuit, tam plebem suam, quam aliarum per Africam civitatum fideles ad martyrium accendit, atque etiam ss. Pontificibus Cornelio et Lucio de confessionis et exilii gloria gratulatus est. Praesertim vero peste horrendum in modum grassante Cypriani caritas in ipsis Ethnicorum oculis enituit et ad summam reipublicae utilitatem redundavit; tum enimvero plebem suam uno in loco congregatam vivido hortatu adduxit, ut pietatis officia non solum in domesticos fidei, sed in ipsos etiam Ethnicos conferrent, atque infensissimos Christiani nominis hostes in sui admirationem raperent (Pont. n. 9. 10.). Cypriani hortatibus accensa plebs Carthaginensis libenter arripiebat, si qua se daret occasio caritatis exercendae. Quod tum maxime declaravit, cum octo Numidiae Episcopi gravissimo casu

---

[1]) S. Cornelius P. plures reliquit epistolas, sollicitudinis Apostolicae monumenta, tam ad s. Cyprianum, (quarum hodie nonnisi duae supersunt, scil. ep. 46. et 48. inter Cyprianicas), quam ad Fabium Episcopum Antiochenum, (unde luculentissimum excerptum nobis ab Eusebio lib. 6. c. 43. servatum est); cf. Galland. T. III. Prolegom. c. 6., Lumper P. XI. Sect. I. (p. 1—19.) et Migne Patrolog. Curs. T. III. p. 675—98. Spuria est ea epistola acris ac vehemens, quae in edit. Maur. post epistolas s. Cypriani inter dubias recitatur, velut a Cornelio ad Cyprianum de non rebaptizandis haereticis data; item spuria alia perbrevis epistola ad Lupicinum Viennensem Episcopum, quae habetur in Baronii Annal. ad a. 255. n. 47. Cf. Lumper l. c. p 14—15. et Pagi ad a. 252. n. 11. S. Cornelii scripta exhibet Routh. Reliq. sacr. Vol. III. p. 3—65. P. Coustantius in Epistolis Rom. Pontificum T. I. Galland. T. III. p. 333—61. Migne Patrolog. Curs. T. III. p. 699—848.

[2]) Cf. Pagi ad a. 252. n. 12—17. n. 22—23. et ad a. 253. n. 2—4.

perculsi, quod plures Christanos e Numidia, in his virgines Christo dicatas, barbari abduxissent, opem Cypriani implorarunt. Tunc enim summo moerore et commiseratione tacti Carthaginenses omnes certatim magnam pecuniae vim ad redimendos captivos collatam eis miserunt, id unum rogantes, ut sibi vicem boni operis in sacrificiis et precibus referrent (ep. 60.). Tantopere Carthaginenses persecutione expurgati et curis ac laboribus Cypriani fuerant immutati. S. Cypriani Vita.

§. 71.

Controversia de baptismi extra Ecclesiam collati validitate. S. Cypriani mors.

Non multo post s. Lucii martyrium Pontifex Romanus electus est s. Stephanus, vir paulo ferventioris animi. Sub hoc Pontifice, cum persecutio Galli et Volusiani desiisset, et motus, quos Novatianus in Oriente excitaverat, sedati fuissent, lites in Ecclesia de baptismo haereticorum[1]) exortae sunt. Ac primo quidem Stephanus Pontifex de hac quaestione cum Episcopis Orientalibus decertavit,[2]) qui jam pridem Iconii convenientes confirmaverant, „repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum“ (Firmil. epist.). Tum vero anno 254. vel 255. initium hujus controversiae in Africa ortum est. Ibi enim congregati Episcopi Numidiae, synodum tunc Carthagine habitam consulendam duxerunt de iis, qui apud haereticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quae una et vera est, venientes baptizari debeant.“ Cyprianus et alii Epis-

[1]) De hac controversia vid. Prud. Marani Praefat. Opp. s. Cypriani n. IV—VI. et vita s. Cypriani n. XXIX—XXXII. Alio ordine eam controversiam disponit Pagi Crit. ad. a. 255. n. 9—16. et ad. a. 256. n. 3—17. Cf. etiam Natalis Alexandri Histor. Eccles. Saec. III. Dissert. 12. 13. et 14. Lumper P. XII. Cap. 2. Art. III. et alios quos inferius citamus.

[2]) Euseb. lib. 7. c. 5. Firmiliani epist. (inter Cyprianicas ep. 75.) Cf. Prud. Marani Vita s. Cypriani n. XXIX.

S. Cypriani Vita.

copi 31, penes eum congregati hanc tenendam esse regulam statuerunt, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum (ep. 70); baptismum, extra unam et veram Ecclesiam collatum, plane invalidum esse et nullum, adeoque eos, qui foris extra Ecclesiam apud haereticos et schismaticos profana aqua tincti fuerint, ad Ecclesiam venientes Ecclesiae baptismo baptizari et sanctificari oportere, proinde tales „non rebaptizari, sed baptizari“ (ep. 71. et 73.) Censuit itaque, praeter membra verae Ecclesiae ministrum sacramenti baptismi esse neminem posse, eumque nonnisi validum esse baptismum asseveravit, qui „plena et tota fide et dantis et sumentis accipiatur“ (ep. 76.). Praxin hanc, quae in Africa inde a quinquaginta fere annis obtinuit[1]), s. Cyprianus non ex traditione derivavit, sed argumentis solum internis, quae ex rei natura repetebat, atque testimoniis s. Scripturae, quae sibi favere existimabat, roboravit et communivit. Porro totam hanc rem solummodo ad disciplinam spectare judicavit, adeoque salvo pacis et unitatis vinculo cuivis liberum esse, aliter de ea sentire aliterve agere.[2]) Hanc itaque sententiam suam non modo reliquis per Africam Episcopis significavit, eamque probavit ac defendit, verum etiam novo frequentiori concilio 70 Episcoporum confirmavit, quo insuper statutum fuit, presbyteros aut diaconos, qui vel in Ecclesia catholica prius ordinati ad haeresin postea desciverint, vel apud haereticos a pseudoepiscopis ordines receperint et exercuerint, revertentes nonnisi ea conditione suscipiendos esse, ut ad laicorum communionem redigantur. Haec omnia ad Stephanum Pontificem transscripsit, ut ab eo confirmarentur (ep. 72.). Quae cum Stephanus reprobasset provocans ad traditionem Apostolorum, quam nefas esset deserere,[3]) excommunicationem quoque intentavit Afri-

---

[1]) Vid. ep. 71. 73. Cf. S. Augustin. de bapt. contra Donat. lib. II. n. 12. 13. 14.

[2]) Vid. ep. 76. et ep. 72. fin. Cf. Pagi ad a. 215. n. 2.

[3]) S. Cypr. ep. 74. et Firmil. epist. 75. Cf. Euseb. lib. 7. c. 3.

canis Episcopis et omnibus, qui erroneam istam sententiam non dimitterent tenerentque contrariam, quam scilicet ipse de fide esse censebat.[1]) Eam vero Stephanus de baptismo haereticorum sententiam statuebat, „non esse quaerendum, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi possit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti.[2])“ His litteris acceptis s. Cyprianus ad Firmilianum, Caesareae in Cappadocia Episcopum, se vertit, ut resciret, utrum vere traditio Apostolica sibi adversaretur. Firmilianus autem, non satis discernens, quid proprie Apostoli tradidissent, et animo concitatiori sat acerbe invectus in s. Stephanum, magis adhuc s. Cyprianum in errore confirmavit.[3]) — Aliud quoque Concilium eo tempore s. Cyprianus coëgit et celebravit, in quo de eadem quaestione iterum deliberatum est, ac Cyprianus et 85 Episcopi congregati in sua sententia perstiterunt.[4]) — Etsi porro s. Cyprianus istam sententiam correxisse non inveniatur, haud incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod

s. Cypriani Vita.

---

[1]) S. Cypr. ep. 74. et Firmil. epist. Euseb. Histor. Eccles. lib. 7. c. 5.

[2]) Firmil. epist.

[3]) Extat adhuc ea Firmiliani ad s. Cyprianum epistola, sed latine tantum, estque inter Cyprianicas ep. 75., ab ipso s. Cypriano, ut styli similitudo suadere videtur, e graeco in latinum versa. Cf. Prud. Marani Vita s. Cypriani n. XXXI. Ceillier T. III. p. 304—6. Lumper P. XIII. p. 19—25.

[4]) Hujus Concilii tertii hac de causa Carthagine a. 256. habiti hodiedum inter Opera s. Cypriani supersunt Acta, quae inscribuntur: *Sententiae Episcoporum 87 de haereticis baptizandis* (adfuerunt ex Africa, Numidia et Mauritania 85 Episcopi, vel etiam 87, si numerentur duo absentes, qui vices suas procuratori commiserant), ubi singuli Episcopi proferunt suffragia, quibus adstruerent suam opinionem, baptismum haereticorum nullum esse et invalidum. Has sententias discutit singulas s. Augustinus in Op. de bapt. contra Donat. libris 6. et 7., qui proinde conferri debent, ut istarum errores perspiciantur. Utrum vero hoc Concilium ante vel post Stephani R. P. litteras receptas celebratum sit, non omnino liquet. Ante illas litteras receptas hanc Synodum habitam esse, gravibus rationibus probare conatus est Grisar, *Cyprians Oppositionsconcil gegen Papst Stephan,* Innsbr. Theol. Zeitschrift 1881. p. 193 sqq.

S. Cypriani Vita.

correxerit et fortasse suppressum sit ab iis, qui hoc errore nimium delectati sunt et tanto velut patrocinio carere noluerunt.[1])

Quodsi autem s. Cyprianus errore humano deceptus de baptismo haereticorum aliter sentiebat, quam se res habebat, quae postea demum pertractata et diligentissima consideratione firmata est, ac nihilominus in catholica unitate permansit, illius certe error et caritatis ubertate compensatus, et passionis falce purgatus est.[2]) Nova enim persecutio et Stephanum et postea Cyprianum sustulit. Valerianus quippe Imperator (inde ab anno 253.), cum Ecclesiae statim pacem reddidisset et Christianos per aliquot annos privatim ac publice omni humanitate fovisset, postea (a. 257.) Macriani artibus inductus christianam religionem vehementer persequi coepit (Euseb. lib. 7. c. 10.). Initio hujus persecutionis s. Stephanus Romae martyrium subiit et s. Sixtus in ejus locum subrogatus est, qui et ipse post annum fere integrum martyrii gloria coronatus est, superstite adhuc s. Cypriano. Eodem anno (257.) s. Cyprianus omnium primus in Africa persecutionis impetum excepisse videtur (ep. 78.); et postquam Christum summa animi fortitudine coram Proconsule confessus erat, exul deportatus est in abditum et abstrusum locum, qui Curubis dicebatur, comitante eum Pontio diacono. Anno sequenti ab exilio revocatus in hortis suis manere jussus

[1]) Ita s. Augustin. ep. 93. n. 38. Vide etiam, quid in hujus erroris excusationem afferat s. Augustinus ep. 93. n. 38—40. ep. 108. n. 9. De bapt. contra Donat. lib. 2. n. 5—6. et saep. — De tota controversia cf. A. Sandini Disput. histor. ad Vitas Pontiff. Rom. Disput. VII. Palma Praelect. Hist. eccles. T. I. P. I. Cap. 20. De Smedt Dissert. T. I. Dissert. V. Jungmann Diss. T. I. Dissert. IV. Peters, Der h. Cyprian B. VII.

[2]) S. Augustin. de bapt. contra Donat. lib. I. n. 28. Cf. Hieronym. adv. Lucifer. n. 25. et n. 23. qui etiam testatur: „Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.“ Quod tamen, si veritati consonum est, non ante Xystum seu Sixtum, qui s. Stephano proxime successit, contigisse recte inde derivatur, quod Xystus a Pontio „bonus et *pacificus* sacerdos“ vocatur, (Vita s. Cypriani n. 14.). Cf. Euseb. lib. 7. c. 5.

est, dum sententia de illo ferretur. Ubi autem perlatum est ad s. Cyprianum, frumentarios missos esse, qui eum Uticam perducerent, ut ibi sententiam mortis acciperet, consilio carissimorum consensit, atque de hortis suis in abditum aliquem locum secessit, eo quod committere noluerit, ut in aliena civitate, non coram plebe sua, accepta super confessione sententia exinde martyr ad Dominum proficisceretur (ep. 83.). Neque tunc plebis suae curam dimisit, sed hortatus est fideles Carthaginenses, ut quietem et tranquillitatem tenerent, nec quisquam tumultum moveret, aut *ultro se gentilibus offerret* (ep. 83.). Mox cum rediisset Carthaginem Proconsul, rediit Cyprianus in hortos suos, carnificem exspectans: nec mora, comprehensus s. Cyprianus Christum publice confessus et gladio percussus martyrii coronam adeptus est 14. Septembris 258.[1]) S. Cypriani Vita.

§. 72.

Opera S. Cypriani. A. Epistolae.

Scripta, quae s. Cyprianus reliquit, commode in duo genera dispesci possunt: *Epistolas* scilicet et *Opuscula*. *Epistolae 83* in editionibus plerisque s. Cypriani exhibentur,[2]) quarum tamen nonnisi 66 s. Cypriani sunt, reliquae vel ad ipsum Cyprianum, vel ad clerum Carthaginensem S. Cypriani Opera.

---

[1]) Vid. Pont. n. 11—19. et Acta Proconsularia (de quibus vid. s. Augustin. c. Gaudent. lib. I. n. 40.) ap. Ruinart. P. II. p. 43—48. et in Maurin. edit. Opp. S. Cypriani p. CXLIII—VI. item in Galland. T. III. p. 447—78. Notari quoque meretur, tantam inde ab antiquissimo tempore etiam in Ecclesia Romana fuisse s. Cypriani existimationem, ut ipsius nomen etiam in Canonem Missae, inter SS. mysteria cum sanctis Apostolis paucisque aliis recitandum, fuerit relatum, et ubique terrarum pia memoria quotidie recolatur.

[2]) Advertendum est, in editione recentiori critica (Opera s. Cypriani ed. Hartel 1868 in Corp. scriptor. eccles. T. III.) recenseri 81 epistolas; in aliis editionibus solent 83 afferri. Sed epistola ad Donatum ap. Hartel congrue Tractatibus accensetur; Epistola porro quae 1ª est apud Pamelium apocrypha est; in Regaltii autem editione et Maurina incuria quadam n. 23. omissus fuit.

S. Cypriani Epistolae.

sunt directae et ad historiam illius temporis pertinent.[1]) Plurimas et gravissimas hae epistololae materias pertractant, quod ex brevi earundem conspectu patebit.

I. Prima est s. Cypriani *epistola ad Donatum*[2]) amicum mox post conversionem scripta, insigni elegantia et summo artificio composita, in qua egregie describit, qualis ante baptismum fuerit, et quid in eo baptismi gratia operata sit; atque ut beneficii a Christo accepti magnitudinem et gratiae divinae efficaciam commendet, saeculi vitia et pericula graphice depingit.

II. Reliquae epistolae omnes in Episcopatu scriptae sunt. In his autem boni Episcopi munere omni ex parte defunctus est, dum scilicet vel sanae fidei conservandae, vel emendandis suorum moribus et disciplinae ecclesiasticae legibus tuendis sedulam navaret operam,[3]) dum sollicitudinem pastoralem ad ecclesias etiam extraneas extenderet ibique fidelium saluti non minus aeternae, quam temporali prospiceret (ep. 60.).

III. Maxime autem enituit viri sanctitas, prudentia ac sedula cura pro grege sibi commisso in tribus gravissimis persecutionibus, quae durante illius Episcopatu Christi Ecclesiam afflixerunt, Decii scilicet, Galli et Volusiani, ac denique Valeriani. Ad has porro major epistolarum illius pars spectat. In hisce epistolis

---

[1]) Epistolae s. Cypriani apud varios vario ordine exhibentur; olim in quinque libros erant distributae; a nobis eo modo numerantur, quo editio Maurina eas exhibet. — Tres epistolae, quae in editione mox laudata post epistolam 83. subjunguntur, una Cornelii P. ad Cyprianum, altera Cypriani ad plebem Carthaginensem, tertia Cypriani ad Turasium presbyterum, tamquam spuriae rejiciendae sunt; cf. Prud. Marani Vita s. Cypriani p. XXXV.

[2]) Haec epistola ab aliis inscribitur: *liber de gratia Dei ad Donatum*, et inter Tractatus refertur. De hac epistola cf. s. Augustin. de doctrin. Christ. lib. 4. n. 31. et Ejusdem Serm. 312. n. 2.

[3]) Huc pertinent *ep.* 59. de baptismo infantium; *ep.* 63. de usu vini aqua mixti in ss. Eucharistiae sacrificio; *ep.* 62 de honesta conversatione virginum, quae continentiam professae sunt; *ep.* 66. de presbytero tutore constituto; *ep.* 65. de diacono, qui Episcopo suo obedientiam denegavit; *ep.* 61. de histrione, qui post conversionem ad fidem Christi artem suam pristinam continuavit.

S. Cypriani Epistolae.

a) rationem exponit, cur ingruente Decii persecutione fugiens in secessum abierit,[1]) et postmodum cur in Valeriani quoque persecutione aliquamdiu se absconderit (ep. 83.).

b) In ipso secessu gregis sui curam vere paternam gessit, litteris frequenter tam ad clerum, quam ad plebem datis, in quibus presbyteris et diaconis martyrum et confessorum curam sedulo commendat (ep. 5. et 37.); iisdemque larga manu assignat et transmittit pecunias, quibus succurrant indigentiis captivorum pauperum, infirmorum et peregrinorum (ep. 4. ep. 6. ep. 36.). Hortatur etiam fideles ad prudentiam in visitandis captivis „ne ex hoc ipso invidia concitetur et introeundi aditus denegetur“ (ep. 4.). Denique cum interim aliquot confessores aliosque viros probatos ordinasset et in clerum cooptasset, ordinationes istas a se factas clero et plebi significat (ep. 24. 33. 34. 35.).

c) Praeterea frequenter confessorum animos accendit ad martyrium pro Christi nomine constanter perferendum, eorum laudes plena manu extollit, iisque de confessionis gloria exultans gratulatur.[2]) Simul tamen eosdem hortatur, ut confessionis gloriam laudabili vita tueantur, nonnulla vitia, quae eorum quibusdam imprudentibus obrepserant, reprehendit, et virtutes, quae confessorem maxime decent, monstrat et inculcat (ep. 5. ep. 6.).

d) Denique summopere dolet ob gregem suum ex parte prostratum atque dejectum persecutionis furore; hujus tanti mali causas indicat, et ad Deum precibus et jejuniis placandum admonet, interim vero persecutionis quoque utilitatem demonstrat (ep. 7.).

IV. Alia insuper epistolarum classis ex ipsa persecutione originem traxit. Mos erat in Ecclesia, ut lapsis, qui libellos a martyribus impetrassent, aliquid de poenis

---

[1]) Ep. 3. 5. et 14. (cf. ep. 2.) ep. 40.

[2]) Ep. 8. plane egregia; ep 15. et 25. ep. 56. admodum praeclara; ep. 57. 58. et 77. (cf. ep. 78. 79. et 80.) ep. 81. et 82.

S. Cypriani Epistolae.

canonicis Episcoporum judicio remitteretur, iique citius ob ejusmodi intercessionem ad communionem ecclesiasticam admitterentur. Ejusmodi autem libellos non quilibet confessores dabant, sed ii tantum, qui capite damnati erant, aut saltem aliquos cruciatus perpessi fuerant.[1]) Sed varii in persecutione Decii abusus circa hanc rem invalescere coeperunt, minime tolerandi, quippe qui omnem Ecclesiae disciplinam funditus evertissent. Plures enim confessores, praecipue Lucianus quidam (de quo vid. ep. 22.), non suo tantum, sed aliorum quoque, imo etiam defunctorum nomine passim istiusmodi libellos dederunt (vid. ex. gr. ep. 21.). Istorum porro libellorum forma auctoritati Episcopi derogabat (vid. ex. gr. ep. 16.); nec ullo habito poenitentium delectu plurimis simul dati sunt libelli.[2]) Denique etiam alii, personarum respectu habito, in beneficiis martyrum aut gratificabantur, aut illicitae negotiationis nundinas aucupabantur (ep. 10.). Presbyteri vero quidam, officii sui immemores, novum et antehac plane inauditum facinus ausi sunt, dum inconsulto Episcopo lapsos, qui libellos a martyribus vel confessoribus afferrent, temere in communionem ecclesiasticam admitterent iisque Eucharistiam praeberent. Lapsi denique, freti libellis acceptis, importune communionem ecclesiasticam efflagitabant quasi rem sibi debitam (ep. 29.), acerbe de Episcopo conquesti, qui sibi pacem, quam in coelis jam se habere gloriabantur, intoleranda duritie et pertinacia adhuc denegaret.[3]) His in difficillimis rerum circumstantiis ita mediam viam tenuit s. Cyprianus, ut nec antiquam et laudabilem consuetudinem, dandi libellos, infringeret, nec jura sua violari in perniciem animarum permitteret, adeo ut lapsis nec severitas disciplinae ad tristitiam salutarem, nec boni pastoris benignitas ad solatium vere poenitentium deesset. Hinc litteras tum dedit ad Confessores, quos omni vigore, caritate et mansuetudine

---

[1]) Cf. ep. 9. ep. 20. et 22.

[2]) Ex. gr. „Communicet ille cum suis“ ep. 10. (p. 37.)

[3]) Haec omnia ipse Cyprianus describit in ep. 22.

S. Cypriani Epistolae.

adhortatus est, ut datis libellis nec poenitentiae fervorem atque rigorem enervarent, nec limites suos excederent atque in jura Episcoporum involarent.[1]) — Presbyteros quoque suos graviter admonuit, ut memores officii lapsorum impetum reprimerent, sanctum Domini corpus indignis praebere non amplius auderent, atque Episcopo suo honorem debitum deferrent;[2]) iis autem, qui salutari huic et necessario Episcopi mandato obedire detrectarent, excommunicationem minatur (ep. 28.). Etsi porro generatim statuerit, lapsorum causam eo usque differendam esse, donec quiete Ecclesiae restituta, commune de iis consilium capere liceret, aegrotos tamen graviter decumbentes mitius habendos esse censuit, unde presbyteris facultatem concessit, tales, si libellos a martyribus accepissent, cum Ecclesia in articulo mortis reconciliandi (ep. 12, et. 13.). Denique ad ipsos quoque lapsos scribens jura episcopalia strenue tuetur, eorum audaciam acriter reprehendit, eisque omni mansuetudine ostendit, qua ratione pro tanto delicto debite satisfacere ac Deo et Ecclesiae digne reconciliari possint (ep. 27.). — Praeterea tam ad plebem suam, quam ad clerum Romanum, et ad Episcopos Africae atque etiam ad ecclesias extraneas frequenter litteras misit, ut decreta ista robur nanciscerentur, ut vigor disciplinae ecclesiasticae de lapsis ubique illaesus conservaretur, et communi consilio res tanti momenti ad felicem exitum perduceretur.[3])

Postmodum vero disciplinae ecclesiasticae rigorem mitigandum esse censuit pro iis, qui post diuturnam demum tormentorum perpessionem lapsi fuerant et diu abhinc poenitentiam egerant (ep. 53.). Insuper Concilio congregato decrevit, proxime instante nova persecutione omnibus, qui in priore (Decii) persecutione fuerant lapsi, et abhinc

---

[1]) Huc pertinet ep. 10. (cf. ep. 25.)

[2]) Huc spectat ep. 9. et 17.

[3]) Huc pertinent ep. 11. (ad plebem suam), ep. 19. (cf. ep. 18.), ep. 22. et 29. (cf. ep. 30. et 31., quibus ecclesia Romana s. Cypriani sententiam tuetur), ep. 32. et 59. (ex parte), ep. 64. et 68. (quae duae epistolae agunt de quibusdam Episcopis in persecutione lapsis).

S. Cypriani Epistolae.

seriam poenitentiam egerant, indulgentiam generalem esse concedendam (ep. 54.).

V. Deinde presbyteros nonnullos et laicos ecclesiae suae, sceleribus dudum contaminatos, qui hac arrepta occasione litium de lapsis recipiendis eo usque audaciae devenerant, ut Ecclesiam scinderent et in apertum schisma prorumperent, ut calumniis s. Cyprianum peterent et pseudoëpiscopum sibi Carthagine constituerent (vid. supra §. 70.), a communione ecclesiastica exclusit, eorum flagitia poenamque inflictam aliis ecclesiis, praesertim Romano Pontifici, denuntiavit, schismatis generatim et istorum in specie schismaticorum quanta sit malitia, accurate descripsit, ac omni modo schisma illud reprimere studuit.[1])

VI. Porro cum Romae orta esset dissensio in eligendo summo Pontifice, et primus Antipapa *Novatianus* a quibusdam constitutus esset, qui etiam nimio rigore erga lapsos usus eosdem in perpetuum ab Ecclesiae communione arcendos esse dictitabat, s. Cyprianus partes s. Cornelii Pontificis, quam primum de electione et ordinatione ejus legitima certior factus fuerat, constanter tenuit strenueque defendit. Ad Confessores quoque Novatiano adhaerentes litteras dedit, eosdem commonefaciens, ut ne Ecclesiae unitatem diro schismate disturbarent, ac demum audito eorundem ad Ecclesiae unitatem reditu summopere gratulatus est;[2]) (vid. supra §. 70.).

VII. Denique mota quaestione, utrum baptismus ab haereticis collatus validus esset, ipse cum reliquis Episcopis Africae eam sententiam amplexus est, et pluribus epistolis omni virium conatu defendit, argumentis tam ex rei natura, quam ex s. Scriptura petitis, baptismum sci-

---

[1]) Ep. 38. (cf. ep. 39.), ep. 40. et 42. (ex parte), ep. 49. 55. et 69.

[2]) Ep. 41—52. et 67. (de Marciano Arelatensi Episcopo). De authentia hujus epistolae (67.) quidam dubitare praesumserunt, sed defensores plurimos eosque doctissimos nacta est, Steph. Baluzium, Thom. Ittig, J. Fellum, Nat. Alexandrum, Tillemont, El. Dupin. Cf. Pagi ad a. 255. n. 3—8. „Hanc epistolam Cypriano Launojus abjudicavit, sed ejus opinio sic inter Eruditos explosa est, ut actum agat, qui eam refellere velit," inquit Lumper P. XI. p. 346.

licet quemcunque ab haereticis vel schismaticis collatum nullum esse ac invalidum, adeoque ex quacunque haeresi reversos ad Ecclesiam in ea baptizari debere;[1]) (vid. supra §. 71.). S. Cypriani Opuscula.

§. 73.

B. Opuscula sive Tractatus S. Cypriani.

I. Adversus Gentiles et Judaeos.

Inter libros, quibus religionem Gentilium impugnavit et Christianos defendit, referendi sunt:

1. *Liber de idolorum vanitate,*[2]) in quo probatur, idola non esse deos, nec ab his regna tribui, augeri vel defendi, quae potius acceptum tempus certo fine custodiunt; sub statuis autem atque imaginibus consecratis malos spiritus delitescere. Manifestissime dehinc probat, unum tantummodo esse Deum, rerum omnium creatorem et gubernatorem, de quo praeclare disserit; denique palam omnibus facit, quae genuina sit Christianorum de Christo doctrina, succincta relatione historica docens, quomodo per Christum salus credentibus a Deo data sit.

---

[1]) Huc pertinent ep. 70—76. Commentarium catholicum epist. 70 71. 73. et 74. vid. in s. Augustin. de Baptismo lib. 3—5. De veritate controversiae saeculo III. excitatae circa iterandum baptismum ab haereticis collatum, seu de authentia epistolarum s. Cypriani et Firmiliani, quae ad hanc controversiam pertinent, saeculo proxime elapso acriter disputari coeptum est; nihilominus hodie communis Eruditorum sententia easdem pro genuinis habet. Vid. Lumper P. XII. Append. II. p 547—684. et Jungmann Dissert. T. I. Diss. IV. p. 352 sqq. Cf. Acta et Monumenta celeberrimae de baptismate haereticorum disputationis recentiumque Dissertationes ad eam rem spectantes in Migne Patrolog. Curs. T. III. p. 1009—1478.

[2]) Cf. S. Hieronym. ep. 70. n. 5. S. Augustin de unico bapt. adv. Petilian. n. 6. De bapt. contra Donat. lib. 6. n. 87. Erasmus Roterod. existimat, hunc librum esse tantum fragmentum majoris Operis, quia incipit ex abrupto. Vid. in Erasmi edit. Opp. s. Cypriani (Basileae 1520) Annotat. praemissas ad fol. 174. De hoc libro perquam fuse et erudite tractat Nourry Appar. T. II. Dissert. V. Cap. V. et VI. (p. 1627—42).

S. Cypriani Opuscula.

2. *Liber ad Demetrianum*[1]) (scriptus in persecutione Galli et Volusiani).[2]) Contra hunc Demetrianum, qui erat Sophista gentilis et cum aliis Ethnicis tot malorum, quibus tunc orbis Romanus infestabatur, causam refundebat in Christianos, Cyprianus demonstrat, calamitates istas non inde oriri, quod Deum Christani colant, sed quod eum Gentiles non colant, imo ejus cultores omni cruciatuum genere injustissime torqueant, aliisque plurimis et gravissimis sceleribus Deum atrocissime offendant; quamvis autem hae calamitates ipsos etiam Christianos afficiant, eas tamen solis Gentilibus nocere ostendit, non vero Christianis, quos ad aeterna gaudia perducant. Denique Gentiles summo caritatis fervore hortatur, ut Deum verum tandem aliquando agnoscant ac venerentur.

Ast non solum Gentiles, verum etiam Judaeos aggressus est s. Cyprianus, quem in finem

3. *Testimoniorum libri tres adversus Judaeos*[3]) ab eo conscripti sunt *ad Quirinum*. His in libris theses quasdam breves proponit, statimque singulis divina testimonia e s. Scripturis depromta confirmationis gratia subjungit. Libro I. ostendit, reprobationem populi Judaici dudum praedictam justissimis ex causis contigisse, successisse vero

---

[1]) Lactant. Instit. divin. lib. 5. c. 4. S. Hieronym ep. 70. n. 3. Cf. in edit. Maur. Venet. S. Cypriani p. 505—6. Not. Demetrianum quem s. Cyprianus refellit, alii Proconsulem Africae, alii unum ex judicibus fuisse opinati sunt. Prud. Maranus censet, unum aliquem ex Sophistis fuisse; idque satis persuadent crebrae cum Cypriano disputationes, calumniae in Christianos, et criminationes, quas ei exprobat Cyprianus, nequaquam indicans, potestatem cum mala hac mente conjunctam fuisse. Verba s. Cypriani, quibus Demetrianum nonnunquam alloqui videtur, non ad Demetrianum proprie spectant, sed generatim ad omnes Ethnicos, quos, ut fieri solet in ejusmodi orationibus, nunc singulari numero, nunc plurali alloquitur. Praeclare itidem de hoc adversus Gentiles libro disputat Nourry T. II. Dissert. V. cap. I—IV. (p. 1591—1627).

[2]) Cf. Prud. Marani Vita s. Cypriani n. XXVII.

[3]) De his cf. s. Augustin. contra duas epistolas Pelagian. lib. 4. n. 21. et 25. Op. imperfect. c. Julian. lib. VI. c. 18. et lib. de corrept. et gratia n. 12. S. Hieronym. Dialog. contra Pelagianos lib. I. n. 32.

in eorum locum Christianos fide Dominum promerentes, et de omnibus gentibus ac de toto orbe venientes; hinc consequenter vetera omnia instituta, ut circumcisionem, legem et testamentum, baptisma et pastores, templum, sacrificium et sacerdotium ex praedicatione prophetarum cessasse, nova omnia facta esse; itaque Judaeos ea demum via salutem consequi posse, si sanguinem Christi occisi baptismo ejus abluerint, et in Ecclesiam ejus transeuntes *praeceptis ejus* obtemperaverint. Liber II. „continet *Christi* sacramentum, quod idem venerit, qui secundum Scripturas annuntiatus est, et gesserit ac perfecerit universa, quibus intelligi et cognosci posse praedictus est“ (Prooem. lib. I.); et haec quidem apta sunt ad prima fidei lineamenta formanda. Denique liber III. breve et salubre compendium est praeceptorum, quae in s. Scripturis continentur ad mores Christianorum formandos et officia vitae christianae inculcanda; quorum lectio, ipso s. Cypriano monente, frequenter iteranda est.

§. 74.

II. S. Cypriani Tractatus morales, qui ab externis vitae ejus circumstantiis dependent.

Reliqua s. Cypriani Opera vel ad disciplinam Ecclesiae vel ad mores fidelium praecipue spectant. Horum quaedam intime cohaerent cum vitae circumstantiis, in quibus degebat s. Cyprianus, cujus generis sunt:

1. *Liber de lapsis*,[1]) scriptus statim post persecutionem Decii, antequam Concilia fuissent habita de causa eorum, qui in hac persecutione lapsi erant. Ibi post insignes laudes, quibus celebravit gloriam Confessorum,

[1]) De hoc Opere ipse s. Cyprianus ep. 51. Pont. n. 7. S. Augustin. ep. 98. n. 3. De fide et operibus n. 35. Idem liber, quemadmodum a s. Augustino l. c. *Epistola*, ita ab aliis etiam vocatur *Sermo de lapsis*. Generatim hic notari meretur, libros et tractatus abhinc sequentes nunquam non a s. Augustino appellari epistolas, ob eorum formam externam, eo quod scilicet ad unum pluresve dirigi consueverint.

S. Cypriani Opuscula.

intimum animi dolorem exprimit ob magnum lapsorum numerum; dein tantae hujus stragis causas indicat, sceleris commissi gravitatem ob oculos ponit, severe increpat lapsos qui importunitate reditum in Ecclesiam sibi aperire studebant, et graviter conqueritur de presbyteris, qui nimia facilitate lapsos recipiebant. Ipsos denique lapsos, qui libellos a Confessoribus acceperant, ad agnitionem magnitudinis criminis admissi, ad patientiam, moderationem, et longam plenamque poenitentiam, ad confessionem atque satisfactionem sedulo hortatur.

2. *Liber de Unitate Ecclesiae*[1]) (seu de simplicitate Praelatorum)[2]) scriptus est, cum Novatiani studiis in Ecclesia Romana schisma obortum esset et pars Confessorum eidem adhaereret; idcirco directus est hic liber ad Confessores Romanos, ut a schismate et haeresi eos dehortaretur atque in unitate Ecclesiae seu in una sola vera Ecclesia conservaret. Itaque liber iste exhortatio est, ut fideles, maxime vero Confessores, unam solam Ecclesiam, extra quam nulla salus datur, quam Christus Dominus super Petrum fundavit, quam unam fore, nec plures, jam in Veteri Testamento Spiritus S. praedixit, cujus unitatem Christus et Apostoli significarunt, variique typi Veteris et Novi Testamenti praefigurarunt, non deserant, ac ut schismata auctore diabolo, qui perniciem humani generis semper molitur, exorta atque extremis poenis digna fugiant. Porro schismaticorum falsas ratiocinationes, quibus separationem suam tueri conabantur, destruit, sive petitae fuerint a martyrio per gregales suos aliquando fortiter tolerato, sive a multitudine eorum, qui coetus schismaticos constituebant, sive a qualitate eorum, qui schismati addicti erant, scilicet Confessorum. Denique hortatur schismati

[1]) Hujus libri ipse s. Cyprianus meminit in ep. 51. fin. et s. Pontius in Vita s. Cypriani n. 7, item s. Augustin. contra Crescon. lib. 2. n. 42. et ep. 108. n. 9. Cf. s. Chrysostom. Homil. XI. in Epist. ad Ephes. n 4

[2]) Hoc titulo allegatur a s. Fulgentio De remiss. peccat. lib. I. c. 21., atque in vetustis etiam editionibus, ex. gr. Erasmi Rotterodami ita inscribitur.

addictos, ut ad unam veram redeant Ecclesiam, fideles autem sedulo monet, ut hanc unitatem conservent bonis operibus vocatione sua dignis.

3. *Liber de mortalitate*, „multis ac paene omnibus, qui ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notus,“[1]) scriptus est sub imperio Galli et Volusiani. Cum enim peste grassante animadvertisset, quosdam e plebe sua vel imbecillitate animi, vel sexus mollitie, vel quod gravius est, veritatis errore minus stare fortiter, nec pectoris sui divinum atque invictum robur exserere, eorum animos dejectos erigere statuit. Hinc ut mortis timorem eorum animis excuteret, luculenter ostendit, nec propriam mortem esse timendam, nec aliorum, qui nobis vinculis aut carnis aut spiritus juncti sunt, amissionem sive metuendam esse Christiano, sive lugendam: imo potius „bonis fidelibus gratulandum esse morientibus demonstrat, quando hujus vitae tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri.“

4. *Epistola ad Fortunatum de exhortatione martyrii.*[2]) Cum persecutio Valeriani instaret in Africa, Fortunatus Episcopus Cyprianum rogavit, ut ad praeparandas et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componeret. Cui libenter obsecutus s. Cyprianus scripsit librum de exhortatione martyrii, totum pene ex Scripturae testimoniis compositum.[3]) Itaque ostendit, idola non esse deos, neque ea fas esse colere, sed Deum solum colendum esse; subjungit autem, multo minus redemtos et vivificatos Christi sanguine, ereptos de faucibus diaboli et de laqueis saeculi liberatos, qui nihil Christo praepo-

---

[1]) S. Augustin. de praedestinat. Sanctorum n. 26. Cf. Opus imperf. contra Julian. lib. 6. n. 14. et ep 217. n. 22. Item s. Pont. in Vita s. Cypriani n. 7.

[2]) S. Pont. n. 7. S. Hieronym. ep. 48. n. 19.

[3]) Hujus libri indolem sic ipse describit: „compendium feci, ut propositis titulis, quos quis et nosse debeat et tenere, capitula dominica subnecterem, et id, quod proposueram, divinae lectionis auctoritate solidarem, ut non tam tractatum meum tibi videar misisse, quam materiam tractantibus praebuisse.“

S. Cypriani Opuscula.

nere possint, debere denuo ad saeculum reverti; insistendum potius esse et perseverandum in fide et virtute, et coelestis ac spiritalis gratiae consummatione, ut ad palmam et coronam possit perveniri. Denique demonstrat, persecutiones metuendas non esse, quia per illas probemur, et quia persecutio semper fuerit sors Sanctorum et a Domino suis praedicta, demum quia magna merces maneat justos et martyres post conflictationes hujus temporis et passiones. Finem imponit brevis et fervens adhortatio.

§. 75.

III. Reliqui S. Cypriani Tractatus morales. IV. Opera dubia.

III. Sunt et alii tractatus s. Cypriani, quorum nexus cum externis relationibus vitae s. Cypriani haud liquet. Huc pertinent:

1. *Liber de Oratione Dominica.*[1]) Ibi s. Cyprianus primum Orationem hanc multis titulis commendat: et postquam ostendit, quo animi corporisque habitu ad precationem accedere oporteat, ipsam Orationem Dominicam per singulas ejusdem petitiones decurrens pie et accurate exponit. Deinde Christum tamquam vere orantis exemplum proponit; subjungit, quomodo mens orantis debeat esse composita, scilicet unitati praesertim studens, a distractionibus libera et bonis operibus dedita; tempora denique orationis assignat, monens tamen, vero Christiano semper orandum esse.

2. *Liber de opere et eleemosynis.*[2]) Hoc in libro praeclare ostendit, „quantas vires habeat misericordia, et qui-

[1]) S. Pont. n. 7. 8. S. Hilarii Commentar. in Matthaeum c. 5. n. 1. S. Augustin. contra duas epist. Pelagian. lib. 4. n. 25. et contra Julianum Pelag. lib. 2. n. 6. ep. 215. n. 3. ep. 217. n. 2. et saep.

[2]) S. Pont. n. 7. S. Augustin. contra duas epist. Pelagian. lib. 4. n. 27. et contra Julianum Pelag. lib. 2 n. 25. S. Hieronym. ep. 66. n. 5. „*Opus*“ in hujus libri titulo juxta mentem s. Cypriani designat „misericordiae opera“, quibus subvenitur egenis et pauperibus, quo in sensu „operari, operatio et operarius“ frequentissime in isto libro oc-

bus donanda sit praemiis;“ opera misericordiae et eleemosynas summo fervore commendat, plurima effata atque exempla s. Scripturae proferens, ac vanas ab hoc officio excusationes scite solideque destruit.

3. *Liber de patientia* seu *de bono patientiae.*[1]) Ibi primum vera Christianorum patientia a falsa philosophorum sedulo discernitur; tum patientia commendatur ab origine sua, quae est ex Deo, et ostenditur, quam utilis ac necessaria sit patientia et tolerantia; e contra quid mali afferat impatientia, exponitur. Denique breviter omnia patientiae commoda comprehendit atque ob oculos ponit sicque ad eam sectandam fideles hortatur.

4. *Liber de zelo et livore.*[2]) In toto isto Opere livorem de venenata invidiae malignitate venientem cohibet et acriter perstringit. Postquam ibi a diaboli, hostis semper vigilis, insidiis fideles monuit, ostendit, quantum sit malum invidere melioribus, quod ut omnibus patefiat, docet, hujus mali originem ab ipso diabolo exstitisse; tum demonstrat, quanta sit invidiae malitia interna, porro quam funestas sequelas sive in alios, quibus invidetur, sive in ipsum invidum producat, quantum denique genio Evangelii adversetur, adeo, ut verus Christianus, caritate scilicet animatus, nunquam possit esse invidus; quapropter omnes adhortatur, ut tanto malo e cordibus expulso caritatem, quae ex Deo est, sincere amplectantur.

---

currunt, ut operari idem sit ac eleemosynas distribuere. Amat autem s. Cyprianus duo ejusmodi synonyma, qualia in hoc titulo habentur, conjungere ad unam eandemque notionem exprimendam. Aliud exemplum vide infra sub 4.

[1]) S. Cyprian. ep. 73. fin. S. Pont. n. 7. S. Augustin. contra duas epist. Pelagian. lib. 4. n. 22. Cyprianus quidem l. c. occasionem, qua liber hic a se scriptus fuerit, indicat; ast quum in toto hoc libro generalibus tantum monitis utatur, quin unquam ad scribendi ansam respiciat, eum in altera hac tractatuum moralium classe collocare visum est opportunum.

[2]) S. Pont. n. 7. S. Augustin. de baptism. contra Donat. lib. 4. n. 11. S. Hieronym. Commentar. in Epist. ad Galat. c. 5. v. 21.

S. Cypriani Opuscula.

5. *Liber de habitu Virginum.*[1]) Ibi Virgines, quarum propositum summis laudibus extollit, docet, neque in cultu et ornatu, neque in pulchritudine corporis esse gloriandum, ac vanos quarundam praetextus explodit; ornamentorum ac vestium insignia et lenocinia formarum severe iisdem interdicit; denique monet, cautam et honestam esse debere Virginum conversationem, ac eximia adhortatione librum claudit.

Opera dubia.

IV. Operibus hisce genuinis alia quaedam subjungi merentur, de quibus inter Eruditos non convenit, utrum s. Cypriani vere sint, nec ne. Et proxime quidem ad genuina accedit

a) *Epistola de disciplina et bono pudicitiae.*[2]) cui sola fere styli diversitas quaedam obstare videtur. Illius auctor ad servandam pudicitiam, cujus laudes fuse prosequitur, lectores enixe hortatur, ejus praecepta tum matrimonio junctis, tum Virginibus, quas summopere extollit, inculcat, atque exemplum ejusdem in Josepho Aegyptiaco et in Susanna proponit; demum qua ratione pudicitia conservari possit, docet.

b) *Liber de laude martyrii.*[3]) Hic post turgidam introductionem, ex qua difficile est verum sensum expiscari, tria ostendit, scilicet, quid sit martyrium, quantum sit, et cui rei prosit; sicque Confessores, quos hic alloquitur, ad cruciatus omnes forti animo subeundos excitat.

c) *Liber de spectaculis,* Opus Cypriano haud indignum, sive eloquentiam spectes, sive evangelicum vigorem. In hoc autem libro Christianos dehortatur a spectaculis Gentilium visitandis, tum ob consortium idololatriae, tum ob eorum turpitudinem et vanitatem; futiles vero excusationes a Christianis afferri solitas evertit.

---

[1]) S. Pont. n. 7. S. Hieronymi ep. 130. n. 19.

[2]) Ad hanc fortasse spectant verba s. Pontii n. 7., quibus testatur, s. Cyprianum „Virgines ad congruentem *pudicitiae disciplinam*" instituisse easque coërcuisse.

[3]) Locum quemdam ex hoc libro (edit. Venet. p. 731) s. Cypriani nomine allegare videtur s. Augustin. lib. I. contra Gaudent. n. 34.

d) *Tractatus ad Novatianum haereticum*, quod lapsis spes veniae non sit deneganda. Hic ab initio in Novatianum acerbe invehitur; tum ex typo arcae Noë ostendit, lapsos esse recipiendos; dein ex multis s. Scripturae effatis et exemplis probat, lapsorum poenitentiam veniam a Deo promereri; denique lapsos ad seriam poenitentiam agendam plurimum instigat.[1])

e) *Exhortatio ad poenitentiam.*[2]) Hoc in libello eadem, qua in libris Testimoniorum utitur s. Cyprianus, adhibetur methodus, nuda Scripturae testimonia allegandi et contexendi, demonstratur autem unica solummodo thesis, aetati s. Cypriani omnino congruens, quae in fronte libri ita exprimitur: „Per poenitentiam posse omnia peccata dimitti ei, qui ad Deum toto corde conversus sit.“ Porro ad hanc thesin confirmandam et inculcandam praeter textus s. Scripturae ne unicum quidem verbulum additur.

Nota. Denique plurima Opera *spuria* sub nomine s. Cypriani circumferuntur et in vetustioribus editionibus improvido lectori exhibentur, quorum nonnulla hic nominasse sufficiat, cujusmodi sunt: Tractatus de aleatoribus; De montibus Sina et Sion; Liber de cardinalibus operibus Christi, 12 Sermones complexus, qui de praecipuis vitae Christi mysteriis tractant (est Arnoldi Bonavallensis); De singularitate Clericorum („liber insignis et utilis“); Tractatus adversus Judaeos, qui insecuti sunt Christum; Tractatus de revelatione capitis Joannis Baptistae; De duplici martyrio ad Fortunatum; Tractatus de duodecim abusionibus saeculi; Coena seu Dispositio Coenae; Confessio seu Poenitentia s. Cypriani, et Oratio bina ejusdem s. Cypriani (Antiocheni); Carmina quaedam, etc. Cf. Prud. Maranus in Vita S. Cypriani n. XXXV—VII. Ceillier T. III Chap. I. Art. IV. §. IV. (p. 160—63.). Lumper P. XI. p. 366—77.

---

[1]) De his quatuor Operibus dubiis cf. St. Baluz. in Nota singulis praemissa; Prud. Maranus in Vita s. Cypriani n. XXXV; C. Bellarminus et Labbe in lib. de Scriptor. Eccles. Ceillier T. III. Chap. I. Art. IV. §. II. (p. 152—56); Lumper P. XI. p. 354—63.

[2]) Hoc opusculum, quod in edit. Maurina desideratur, primo lucem aspexit in sequenti Collectione: S. Cypriani, Hilarii et al. Opuscula nunc primum edita studio J. Chrysost. Trombellii. Bononiae 1751. 4°. Inde recusum est in edit. Wirceburg. Opp. s. Cypriani T. II. Plura de illo vide in edit. modo laudata T. I. Praefat. p. XVII. seqq. et in Lumper P. XI. p. 363—65.

§. 76.

Character et doctrina S. Cypriani.

S. Cypriani character et doctrina.

S. Cyprianus, Episcoporum decus atque perfectum exemplar, non solum dogmata omnia accuratissime tenebat et luculenter explanabat, verum etiam moribus fidelium ad normam Evangelii efformandis sedulo intentus erat.[1]) In rebus fidei, modo excipias ejus sententiam de baptismo extra Ecclesiam collato, prorsus immunis est ab omnibus erroribus etiam levissimis, et usitatis apud aliquot trium primorum saeculorum scriptores. Praesertim nihil circa mysteria Trinitatis vel Incarnationis dicit, quod aliquam patiatur difficultatem, aut benigna explicatione indigeat. Idem quoque fere omnia dogmata catholicae Ecclesiae, quae ab haereticis recentioribus impugnantur, clare et diserte adstruit. Unde et merito factum est, ut a s. Augustino „doctor egregius“ dictus fuerit,[2]) multaque alia Ecclesiae nostrae lumina, ex. gr. s. Hieronymus, s. Carolus Borromaeus, ejus scripta summo in pretio habuerint, denique s. Gelasius Pontifex Romanus cum numeroso Episcoporum Concilio definierit: „S. Cypriani Opuscula in omnibus esse recipienda.“[3]) Etsi vero frequenter dogmata

[1]) Vid. epistolam Confessorum ad s. Cyprianum (ep. 78. inter Cyprianicas), ubi s. Cyprianus vocatur „omnibus hominibus in tractatu major, in sermone facundior, in consilio sapientior, in patientia simplicior, in operibus largior, in abstinentia sanctior, in obsequio humilior et in actu bono innocentior“.

[2]) S. Augustin. contra Julian. Pelag. lib. 2. n. 6. Alibi quoque idem s. Pater miris laudibus praedicat s. Cyprianum. ex. gr. contra duas epist. Pelagian. lib. 4. n. 21. 24. 26. 27.

[3]) Gelasii P. Decretum de libris recipiendis et non recipiendis editum in Concil. Roman. I. (a. 494.), apud Mansi T. VIII. p. 148 et in Corp. Juris Canonici Dist. 15. c. 3. §. 2. Et jam pridem s. Hieronymus tale consilium dederat: „Cypriani opuscula semper in manu teneat“ ep. 107. n. 12. Cf. s. Hieronym. de viris illustr. c. 67., ubi testatur, „sole clariora esse ejus Opera“. Item s. Paulinus Nol. Carm. 27. v. 141—43.

S. Cypriani character et doctrina.

inspergit et substruit tractatibus suis, praecipue tamen versatur in exhortatione virtutum et disciplinae custodia; qua in re severitatem et vigorem legi Evangelicae omnino accomodatum summa caritate et benignitate temperavit. Disputans de virtutibus aut vitiis magnos motus excitare et quaecunque vult persuadere valet; ubique solide et praeclare, fere semper ex divinis Scripturis ratiocinatus, sive consoletur, sive exhortetur, sive dissuadeat aut increpet, tantam adhibet vim, ut fieri non possit, quin lectores se sublevatos, vel accensos, vel commotos sentiant. Os ejus ex abundantia cordis verba profert; et quemadmodum veritates christianae ejus animo alte erant infixae, eas nobiliter et fortiter eloquitur. „Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere non queas, utrum ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.“[1]) Hinc recte inter eloquentissimos Ecclesiae catholicae Doctores collocatur, et merito a s. Augustino appellatur „Doctor suavissimus“.[2])

Subjungimus quaedam doctrinae dogmaticae specimina:

1. Praeter doctrinam de Ecclesia,[3]) de peccato originali et de baptismo infantium (ep. 59.), *liberum hominis arbitrium* disertis verbis adstruit: „Homo libertati suae relictus et in arbitrio proprio constitutus sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.“ ep. 55. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 1. et can. 5.

---

[1]) Lactant. Institut. divin. lib. 5. c. 1. Cf. s. Hieronym. ep. 58. n. 10. et ep. 70. n. 3. S. Augustin. de doctrina christiana lib. 4. n. 31. 45. 47. 49. 50.

[2]) S. Augustin. de doctrina christiana lib. 2. n. 61.

[3]) De hac prolixe disserit in libro de Unit. Ecclesiae, unde haec potissimum dogmata manifesta redduntur: *Ecclesiam*, quae a Christo per Apostolos fundata est, omnibus conspicuam ac *visibilem* esse; eam *nec perire*, nec ullo errore aut schismate *corrumpi* posse; denique ita unam esse Ecclesiam, ut quaecunque ab ea sectae discesserunt, quemadmodum a vera Ecclesia, ita etiam *ab aeterna salute alienae* sint. Cf. ep. 73.

S. Cypriani doctrina.

2. *Praeter fidem etiam bona opera esse necessaria,* quae justificationis incrementum praebent, docet: „Credere se in Christum, quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit?“ (De Unit. Ecclesiae.). „Plane eadem gratia spiritalis, quae aequaliter in baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur.“ (ep. 76.) Martyrium „fidei nostrae *incrementa* consummat.“ (De exhort. martyr.) Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 10. et can. 19. 20. et 24.

3. De *sacramento Confirmationis* ita aperte testatur explicans Act. Apost. 8, 5—17.: „Quia (baptizati a Philippo diacono) legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo, *quod deerat,* id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita *invocaretur et infunderetur* super eos Spiritus Sanctus. *Quod nunc quoque apud nos geritur,* ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur et signaculo Dominico consummentur“ ep. 73. cf. ep. 72. Concil. Trid. Sess. 7. De confirmat. can. 1.

4. De sanctissima *Eucharistia* ita docet: „Si Jesus Christus Dominus et Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit; utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, et *sacrificium verum et plenum* tunc *offert in Ecclesia* Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.“ —

„Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?“ ep. 63. Cf. ep. 54. et lib. de lapsis. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. et can. 1. Sess. 22. cap. 1. can. 1. et 2.

5. De *confessione peccatorum* statuit hunc in modum: „Quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam de hoc vel cogitaverunt, *hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes,* exomologesin conscientiae

faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.“ — „Confiteantur singuli . . . delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti *confessio* ejus potest, dum *satisfactio et remissio facta per sacerdotes* apud Dominum grata est.“ Lib. de lapsis. Concil. Trid. Sess. 14. cap. 3. 5. et 6. can. 4. 6. 7. 8. 9. S. Cypriani doctrina.

6. Denique etiam *intercessiones pro defunctis*, adeoque implicite *purgatorium* agnoscit: „Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, *non offerretur pro eo*, nec *sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare.“ Ep. 66. Concil. Trident. Sess. 22. cap. 2. et can. 3. item Sess. 25. Decret. de Purgatorio.[1])

Editiones: Parisiis 1512. fol. — iterum ed. Erasmus Basileae 1520. fol. — ed. Paulus Manutius Romae 1563. fol. (quae editio nuncupata est s. Carolo Borromaeo.) — ed. G. Morellius Paris. 1564. fol. — ed. Jac. Pamelius Antverpiae 1568. (melius disposito epistolarum ordine, quas priores editiones inde ab anno 1512. libris quatuor exhibuerant, Manutius librum etiam quintum adjecerat.) — ed. Rigaltius Paris. 1648 fol. — ed. Priorius Paris. 1666. fol. — ed. J. Fellus Oxoniae 1682. (quae editio multis laudibus digna est, eidem annales Cyprianicos addidit J. Pearson) recusa Bremae 1690. (aucta H. Dodwelli Dissertationibus Cyprianicis) et Amstelodami 1699. — Demum secuta est editio omnium praestantissima cura et studio Steph. Baluzii, quam absolvit Prud. Maranus. Paris. 1726. (recusa Venetiis 1728. et iterum 1758.) fol. — Eandem absque Vita et Notis rursus ed. Oberthür Wirceburgi 1782. II Tomi 8°. — ed. Goldhorn Lipsiae 1838. II Voll. in 8°. — ed. Migne Patrolog. Curs. T. III. IV. Paris 1844. — Demum edition. crit. textus curavit Hartel, Opp. omnia Cypriani Vindobonae 1868. Corp. Script. eccl. T. III. — Cf. de editionibus hujus s. Patris Lumper P. XI. p. 373. seqq. Schoenemann Biblioth. histor. liter. Patrum latin. T. I. p. 102—131; edit. Lipsiensis passim; et Migne Patrolog. Curs. T. III. Praefat. p. LXIV—LXXXVIII. Editiones.

[1]) Ita etiam ep. 37. commemorationes sanctorum Martyrum in sacrificio eucharistiae fieri solitas testatur; cf. Trid. Sess. 22. cap. 3. et can. 5.

§. 77.

S. Dionysius Alexandrinus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Euseb. Histor. Eccles. lib. 6. c. 35. seqq. et lib. 7. (cf. Rufini Histor. Eccles. lib. 6. c. 26. seqq. et lib. 7.) — Euseb. Praeparat. Evangel. lib. 14. c. 22—27. — S. Athanas. de decretis Nicaen. n. 25., de sentent. Dionysii n. 1. 2. — S. Basilius M. ep. 188. c. 1. et ep. 9. n. 2. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 69. et ep. 70. n. 4. — Theodoret. Haeret. Fabul. lib. 2. c. 8. 9. lib. 3. c. 5. 6. — Stephanus Gobar apud Phot. Cod. 232.

Subsidia: Simon de Magistris Commentarius de Vita et scriptis s. Dionysii Alexandr. in sua edit. Operum ejusdem s. Patris (p. LXV—CXXXIX.) — Galland. Biblioth. Patrum. T. III. Prolegom. c. 11. — Tillemont T. IV. p. 242—88. et p. 657—63. — Ceilllier T. III. Chap. IX. (p. 241—79.) — Ruinart T. I. p. 396—422. — Fabricii Biblioth. Graeca Vol. VII. p. 278—84. — J. H. Ostermeyer Dissert. historica de Dionysio Alexandr. Episcopo. Rostock 1736. in 4°. — Foerster, de doctrina et sententia Dionysii Magni Ep. dissert. Berolini 1865. — Dittrich, Dionysius der Grosse von Alexandrien, Freiburg 1867. — Cf. Chevalier s. v. Denys.

S. Dionysii Alex. Vita.

S. Dionysius Alexandrinus, qui a s. Athanasio *catholicae Ecclesiae magister*[1]) vocatus est, a s. Basilio autem aliisque posteris *Magni* nomine decoratus,[2]) a Rufino *nobilissimus Patrum* appellatus,[3]) nobili prosapia oriundus versus a. 190 natus esse videtur. In superstitione ethnica educatus, dum singulas variarum sectarum sententias diligenti examini subjiceret, et veritatem sedulo perquireret, ad Christi fidem conversus est, Origenis imprimis, cujus et ipse discipulus erat, doctrina non parum adjutus et confirmatus. Presbyter Alexandrinus factus, postquam Heraclas Demetrio mortuo illius urbis Episcopus constitutus est, a. 231 scholam catholicam obtinuit regendam, ac demum a. 247 Heraclae defuncto in sede episcopali successit. Exorta persecutione Deciana (a. 250), Sabinus Aegypti

---

[1]) Epist. de Sent. Dionys.
[2]) Epist. 1. canon. ad Amphilochum.
[3]) Hist. Eccels. l. 7. c 1.

praefectus misit qui Dionysium Episcopum catenis vinctum adducerent. Sed ope divina servatus manus persecutorum effugit, et in locis desertis variis cum sociis usque ad persecutionis finem delituit. Hinc ecclesiae semper curam gerere, epistolas scribere et sacerdotes qui fideles confortarent dirigere, non destitit. In subsequentibus etiam persecutionibus sub Gallo et Volusiano, atque sub Valeriano maxima discrimina subiit, Christi partes viriliter defendit, et propter generosam confessionem circa a. 257 Cephrum in finibus Libyae primum abire compulsus est; dein in Coluthionis regione ad lacum Mareotidem degere eum jussit Aemilianus praefectus, ut quando voluisset ipsum capere posset. Post triennale exilium a. 261 Dionysius Alexandriam rediit, ac grassante saevissima lue, maxima cum sollicitudine gregi commisso providit. Obiit Alexandriae a. 264 vel 265, postquam per septemdecem annos ecclesiae Alexandrinae praefuit. S. Dionysii Alex. Vita

Tanta fuit Dionysii Alexandrini ob vitae sanctitatem eximiamque doctrinam auctoritas, ut per omnem fere qua late patebat Ecclesiam gravissima negotia litteris datis vel publicatis scriptis componeret, schismata oborta extingueret, haereses tunc pullulantes reprimeret. Sic ut schisma Novatiani (a. 251) sedaretur, non Romae solum verum etiam multis aliis in locis, praesertim vero in Aegypto, Palaestina et Armenia prospero cum eventu operam suam interposuit.[1]) Mota postea controversia de baptismo, veram quidem ipse sententiam, uti videtur, amplexus,[2]) quantum potuit tamen apud Stephanum et Sixtum Pontt. egit, ut pax ecclesiarum conservaretur. Per idem tempus mediante saeculo tertio Nepos in civitate quadam Aegypti Episcopus, edito libro beatae vitae pollicitationes, quae in Scripturis leguntur, praesertim vero in Apocalypsi, transtulit

---

[1]) Euseb. lib. 6. c. 44. 45. 46. lib. 7. c. 5.

[2]) Vid. Euseb. lib. 7. c. 5. 7. et 9. Basilius M. ep. 188. c. 1. Contrariam sententiam tradit s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 69, ast, ut videtur, minus recte. Cf. Simonem de Magistris. Vita Dionysii n. 19—22. Prud. Maran. Vita s. Cypriani n. XXIX. Dittrich l. c. p. 82 sqq.

S. Dionysii Alex. Vita.

ad praesentem vitam, Chiliastarum somniis irretitus; ac falsa interpretatione Scripturarum eo usque pervenit error, ut Apocalypsi excepta Evangelium aliosque libros Novi Foederis nonnulli contemnerent. Nepote jam defuncto ubi primum intermisso persecutionum aestu, Dionysio licuit Aegyptum peragrare, ad Arsinoiticam praefecturam se contulit, in qua maxime error increbuerat, et Coracio quidam agminis ductor versabatur; ibique publica disputatione per tres continuos dies habita, in qua summa cum humanitate egit Dionysius, Coracio tandem victus argumentis Dionysii ejusque virtute, errorem suum abjecit. Eumdem errorem ut penitus exstirparet Dionysius, etiam Nepotis librum quem fere ut divinum ejus asseclae venerabantur, confutare aggressus est.

Nova etiam Noëti et Sabellii haeresis eo tempore sese in Aegypto dilatavit. Sabellius videlicet, qui Romae jam sub Pontificibus Zephyrino et Callisto suos errores sparserat, inde quum ex Ecclesia ejectus esset discessit, atque in Asia et in Aegypto suam haeresim propagavit, ac praesertim in Pentapoli Licyca asseclas non paucos nactus est. Docebat, unam hypostasim esse Patrem, Filium et Spiritum sanctum, seu unam triplicis nominis personam, eumdemque nunc Patrem vocari, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum, ac in Veteri quidem Testamento ut Patrem legem tulisse, in Novo autem ut Filium esse incarnatum, et ut Spiritum sanctum super Apostolos descendisse.[1]) Huic errori ut occurreret, praeter complures epistolas, peculiares quoque libros ad confutandas Sabellii doctrinas conscripsit.[2]) Cum vero in epistola quadam contra Sabellium protulisset nonnulla, quibus in suspicionem venerat quod veram divinitatem Filii ejusque cum Patre aequalitatem non admitteret, quidam ex Ecclesia fratres, quin a Dionysio uti decebat explicationes petiissent, Romam se contulerunt, illumque apud cognominem Diony-

---

[1]) Theodoret. Haeret. Fabul. lib. 2. c. 9. Cf. S Epiphan. haeres. 62. S. Augustin. de haeres. c 41.

[2]) Euseb. lib. 7. c. 6. et 26. S. Athanas. de sentent. Dionys. n. 5.

sium Romanum Pontificem accusarunt. Is porro misit ad Alexandrinum praesulem litteras, indicans qua de re apud ipsum accusatus fuisset,[1]) hic vero quam primum scripta apologetica composuit quibus sese purgavit, ac litteris quoque ad Pontificem scriptis magno cum vigore accusationes in eum latas diluit.[2]) — Paulo post Dionysius oppugnavit errores Pauli Samosateni, qui ecclesiam Antiochenam regebat. Is Jesum purum hominem fuisse blasphemavit, cui adfuerit λόγος divinus; hunc vero λόγον non personam divinam, sed insitam Deo sapientiam dicebat.[3]) Dionysius litteris datis Antiochenos contra illos errores praemunivit; ipso praesertim movente contra Paulum plura Antiochiae concilia habita sunt, atque Paulus depositus est. Antequam tamen causa haec ad finem esset adducta, s. Dionysius ex hac vita decessit. S. Dionysii Alex. Vita.

§. 78.

S. Dionysii Alexandrini Scripta.

S. Dionysius scripsit valde multa (s. Basil. ep. 9. n. 2), quorum tamen pars longe maxima interiit. Pauca vero,

---

[1]) S. Dionysius Romanus Pontifex ab a. 259—269., „vir eruditissimus planeque admirabilis“ (prouti eum vocat s. Dionys. Alexandr. apud Euseb. lib. 7. c. 7. n. 3.) praeter hanc epistolam ad cognominem Dionysium, quae integra excidit, scripsit etiam contra Sabellii sectatores, cujus scripti unicum, at insigne hodie exstat Fragmentum, servatum a s. Athanasio (de decret. Nicaenae Synodi n. 26), in quo simul ostendit, non eundem esse Filium ac Patrem, neque etiam tres esse deos, nec denique Filium factum esse aut creatum, sed genitam ab aeterno; et prorsus singulari prudentia haereses sibi invicem contrarias non modo cavit, verum simul etiam debellavit. Cf. Lumper P. XIII. p. 194—214. Galland. T. III Prolegom. c. 12. Ceillier T. III. p. 326—28.

[2]) S. Athanas. de sentent. Dionys. n. 13. 14. cf. n. 4. 5. item de Synod. n. 43—44. De decret. Nicaenae Synodi n. 25. S. Basil. M. ep. 9. n. 2. Cf. Sim. de Magistris Vita Dionys. n. 29—32. et n. 42.

[3]) Theodoret. Haeret. Fabul. c. 8. S. Epiphan. haer. 65. S. Augustin. de haeres. c. 45. S. Dionys. Alex. (?) Respons. ad Pauli Samos. Quaest. IV.

S. Dionysii Alex. Scripta.

quae ad nos pervenerunt, scriptorum ejus fragmenta eximiam in hoc Patre fuisse prudentiam et animi moderationem testantur. Scripta ejus commode possunt distingui in libros et epistolas.

I. Librorum vix unus integer exstat. Sunt autem sequentes:

1. *Commentarius brevis in principium Ecclesiastae,*[1]) scilicet in cap. 1 — cap. 3. v. 11. Explanatio isthaec continet brevia Scholia ad illustrandos eos versus, in quibus lector imprudens offendere queat, ita ut haberi possit tanquam clavis ad aperiendum hujus libri sensum.

2. *Liber de martyrio ad Origenem,*[2]) in persecutione Decii compositus est. Sed praeter nomen, nihil de hoc opere nobis est notum. Fragmenta enim quae in editionibus Operum Dionysii afferuntur, merito hodiedum ab eruditis habentur spuria.

3. Scripsit etiam *libros de Natura* ad Timotheum, discipulum suum.[3]) In fragmentis prolixioribus hujus Operis, quae nobis asservavit Eusebius, disputat adversus Epicureos, qui et providentiam tollebant et individuis corporibus seu atomis universa tribuebant, eosque confutat ex ordine pulcherrimo totius mundi, et maxime ex ipsius hominis natura, ostendens etiam, mundi creationem Deo nec laboriosam, nec molestam esse, dummodo recta Dei notio habeatur.

4. Praeterea *duos libros de Promissionibus* contra Nepotem, Episcopum Aegypti, exaravit,[4]) in quibus illius

---

[1]) Euseb. lib. 7. c. 26. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Suidae Lexicon s. v. *Διονύσιος* (ed. L. Küster T. I. p. 601—2.)

[2]) Euseb. lib. 6. c. 46. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Stephanus Gobar apud. Phot. Cod. 232. Cf. Dittrich l. c. p. 33 sqq.

[3]) Euseb lib. 7. c. 26. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Euseb. Praepar. Evangel. lib. 14. c. 22—27. Cf. Simon de Magistris Praefat. n. V. et Vita s. Dionys. n. XII.

[4]) Opus hoc inscripsit: *περὶ ἐπαγγελιῶν*, quia in ipso ostendit, quemadmodum *praemia justis promissa* in s. Scripturis intelligi debeant, non Judaico scilicet, sed Christiano more. Vid. Euseb. lib. 7. c. 24. 25. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. item Commentar. in

eruditio et acerrimum judicium maxime elucent. In fragmentis, quae superant e secundo libro, tum de Nepote ejusque erroribus plura affert, et disputationem suam cum presbytero Coracione fusius describit, tum de Apocalypsis germano auctore accuratam disquisitionem instituit.

5) His accedunt *libri contra Sabellium quatuor,*[1]) quorum unicum exstat fragmentum, sat prolixum, ubi contra Sabellium, qui ab Hermogene somnium de materia aeterna acceperat, totus est in refellendis materiae assertoribus, quasi Deo sit illa aequalis minimeque creata, demonstrans, materiam ortu non carere.

6. *Elenchus et Apologia ad Dionysium Romanum* Episcopum libris quatuor absolvitur.[2]) Delatus etenim, quod in scriptis contra Sabellium Patre minorem Filium indicasset, eumque creaturam vocasset, hosce libros composuit, quibus Romano Pontifici se purgavit accusatorum discussa calumnia, suaque recta de fide sententia eximie propugnata. Hujus libri non pauca fragmenta, ex quibus s. Dionysii sana de Trinitate doctrina abunde cognosci possit, nobis s. Athanasius in libro *de sententia Dionysii* transmisit.[3])

II. *Epistolae* s. Dionysii vel integrae, vel ex parte nobis ab Eusebio servatae sunt; multae etiam interciderunt. Ex his praccipue memorandae veniunt: *Epistolae canonicae,* et *Epistolae Festales:*

A. *Epistolae canonicae* generatim veluti tabulam sistunt, in qua lapsorum varia genera accurate describuntur, ita, ut pro diversis circumstantiis singuli admissae

---

Isai. Praefat. in lib. 18. Cf. Simon de Magistris Vita Dionysii n. XXIV—V.

[1]) Euseb. Praepar. Evangel. lib. 7. c. 18. et 19. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. et adv. Rufinum lib. 2. n. 17.

[2]) Euseb. lib. 7. c. 26. S. Athanas. de sentent. Dionysii n. 13—14. S. Basil. de Spiritu Sancto n. 72. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Cf. Galland. T. III. Prolegom. c. 11. n. 2—4. Simon de Magistris Praefat. n. VIII. et Vita s. Dionys. n. 29—30.

[3]) De doctrina et orthodoxia s. Dionysii cf. Jungmann Dissert. T. I. p. 360 sqq.

S. Dionysii Alex. Scripta.

culpae gradus sedulo discernantur, et pro cujusque criminis gravitate poena in Ecclesia luenda statuatur.[1]) Epistolae s. Dionysii canonicae, quae de lapsis in persecutione agunt, perierunt; verum exstat alia epistola ejusdem Dionysii, etiam canonica dicta, ad Basilidem Episcopum, cui respondet, qua hora diei Paschae solvendum sit jejunium, ubi et Evangelistas de resurrectione Domini scribentes inter se conciliat. Eam quoque solvit quaestionem, utrum liceat conjugibus a se invicem mutuo consensu abstinere; demum statuit, quaenam immunditia naturalis ab ingressu templi et perceptione sacrae eucharistiae hominem christianum arceat.

B. Insuper Dionysius primus *Epistolas Festales (ἑορταστικαὶ)* seu *Paschales* composuit, quibus vel absens ecclesiae suae, vel aliis Episcopis indicaret, quo die festum Paschatis celebrandum, et jejunium antepaschale inchoandum esset, simulque panegyricos sermones de Paschali festo contexens animos excitaret ad festum illud digne et cum laetitia spirituali peragendum.[2])

C. Reliquae epistolae sancti hujus Episcopi ad praecipuos istius temporis eventus referuntur, scilicet:

a) Gravissimas tunc exortas Christianorum persecutiones aliasque illius aevi calamitates graphice depingit ac Christianorum, praesertim vero martyrum Alexandriae, fortitudinem et magnanimitatem describit; porro quid sibi in istis persecutionibus acciderit, enarrat, et suam

---

[1]) Hujusmodi tabulam, seu epistolam canonicam primus confecit lapsorum in persecutione censor eximius s. Dionysius; vid. Euseb. lib. 6. c. 46. cf. c. 41. n. 4—5, item s. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Idcirco etiam a s. Basilio „vir canonum peritus" (*κανονικὸς*) vocatur in ep. 188. c. 1. S. Cyprianus quoque eodem fere tempore similem tabulam seu „libellum", quem ipse vocat, confecit, et aliis Episcopis transmisit; vid. Cypriani ep. 52.

[2]) Euseb. lib. 7. c. 20. 21. 22. S. Hieronym. de viris illustr. c. 69. Vid. etiam s. Leonis M. ep. 121. c. 1. Harum epistolarum nonnisi fragmenta quaedam supersunt apud Euseb. l. c. Plane similes sunt hae epistolae litteris encyclicis, quibus hodiedum Episcopi nostri suis dioecesanis jejunium quadragesimae denuntiare solent.

in persecutione fugam contra obtrectatorem quemdam vindicat, ep. 2. 4. 5. 11. 12. 13. et 14.

b) Novatianum enixe rogat hortaturque, ut a schismate tam ipse recedat, quam sequaces suos retrahat; porro errores ejusdem exponit et impugnat, atque demum de pace restituta laetatur, ep. 3. 4. 5. 6. 9.

c) Plures quoque *de baptismo haereticorum* epistolas dedit, quibus homo pacis amans et unitati caritatique summopere studens, ut res isthaec caute moderateque tractaretur, egit, atque dubia sua Romano Pontifici proposuit, ep. 7. 8. 10. cf. Euseb. lib. 7. c. 2. 5. 7. 9.

d) Duae aliae ipsius epistolae (quarum una inscribitur *de gymnasio*) nonnulla exhibent, quae formandis moribus inservire possunt, ep. 15. et 16.

D. Denique dubiae saltem auctoritatis est *Epistola adversus Paulum Samosatenum,* Episcopum Antiochiae, una cum responsionibus ad Pauli Samosateni decem quaestiones.[1]) Ostendit ejus auctor, non duos esse Christos, nec in Christo homine ob eximias ejus virtutes Deum inhabitasse; eum vere jam ante Incarnationem exstitisse, ipsumque Verbum aeternum, Dei Filium, vere hominem esse factum, adeoque unum esse Christum. Deinceps quaestiones, seu potius objectiones Pauli Samosat., desumtae ex variis s. Scripturae locis, de eadem re proponuntur, quarum singulis subjungitur responsio, plerumque tamen parum apta.

Editiones: Galland. Biblioth. T. III. p. 479—537. et T. XIV. Append. p. 110—115. — S. Dionysii Alexandrini Episcopi, cognomento Magni, Opera omnia, quae supersunt, gr. et lat. ed. D. Simon de Magistris. Romae 1796. fol. Routh Reliq. sacrae T. III. — Migne P. G. T. X. P. L. T. V. — Fragmenta quaedam exhibet A. Majus in Collect. Nova Veterum Scriptorum T. VII. p. 96. 98. 99. 102. 107—8.

---

[1]) De hac fortassis intelligendus est Eusebius lib. 7. c. 30 n. 3. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 69. Theodoret. Haeret. Fabul. lib. 2. c. 8. Hanc epistolam, quam supposititiam censuerunt H. Valesius (Not. ad Euseb. l. c.) et Ceillier l. c. p. 276—78., genuinam esse multis evincere conatur argumentis Simon de Magistris Praefat. n. X—XXIV. Cf. Pagi Crit. ad a 264. n. 3. Harduin in Opp. selectis. Amstelodami 1709. fol. p. 241 et 256. Dittrich l. c. p. 124 sqq.

§. 79.

S. Gregorius Thaumaturgus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius Gregorii Thaumat. Panegyricus in Origenem. — S. Gregorii Nysseni Oratio de Vita s. Gregorii Thaumaturgi. — Euseb. Histor. Eccles. L. VI. c. 30. L. VII. c. 14. et 28. (adde Rufin. Histor. Eccles. L. VII. c. 25.) — S. Basilius de Spiritu S. n. 74. item ep. 28. ep. 204. n. 2. ep. 207. n. 4. ep. 210. n. 3. et 5. — S. Hieronym. de Scriptor. Eccles. c. 65. — Socrat. Histor. Eccles. L. IV. c. 27. — Theodoret. Haeret. Fabul. L. II. c. 8.

Subsidia: Galland. T. III. Prolegom. c. 9. — Lumper P. XIII. Sect, V. p. 251—342. — Tillemont Mem. T. IV. p. 315—41. et p. 668—70. — Ceillier T. III. Chap. XVII. p. 307—25. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 249—60. — Pitra Analecta sacra T. IV. p. XVIII—XXIII. — Nic. Mar. Pallavicini Vita S. Gregorii Thaumat. Romae 1640. in 8°. — J. L. Boye Dissert. de S. Gregorio Thaumaturgo Jenae 1709. in 4°. — V. Ryssel Gregorius Thaumaturgus, sein Leben und seine Schriften. Leipzig 1880. — Cf. Chevalier s. v. Grégoire.

S. Gregorii Thaum. Vita.

S. Gregorius, antea Theodorus dictus, primus Neocaesareae in Ponto Episcopus, ob signa atque miracula, quae cum multa ecclesiarum gloria perpetravit, *Thaumaturgus* appellatus est.[1]) Hunc ejusque fratrem Athenodorum, Graecis Romanisque disciplinis excultos ac philosophiae studio impense deditos, nec non morum integritate conspicuos, Origenes Caesareae in Palaestina primis fidei rudimentis imbuit et ad rerum divinarum meditationem traduxit.[2])

---

[1]) Euseb. lib. 6. c. 30. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 65. et ep. 70. n. 4. Miracula ejus, quae vix non omnem fidem superant, fusius narrantar a s. Gregorio Nysseno in Orat. cit. et a Rufino Histor. Eccles. lib. 7. c. 25. Cf. s. Basil. de Spiritu S. n. 74. Thaumaturgus vocatur in inscriptione Orat. s. Gregorii Nysseni et a Liberato diacono in Breviar. c. 10. ap. Galland. T. XII. p. 134. (cf. Sozom. Histor. Eccles. lib. 7. c. 27. et Theodoret. l. c.) Facund. Hermian. Pro defens. trium Capitul. lib. 10. c. 6 (Galland. T. XI. p. 778.) Evagr. Histor. Eccles. lib. 3. c. 31. S. Eulog. Alexandr. ap. Phot. Cod. 230.

[2]) S. Gregor. Nyss. Orat. cit. Euseb. lib. 6. c. 30. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 65.

Elapso quinquenio[1]) in patriam redux Gregorius recessit in solitudinem. Verum haud multo post (circa a. 240.), invitus licet, modo plane mirabili Neocaesareae in Ponto Episcopus est constitutus.[2]) Is porro omni virtutum genere, nec minus philosophiae, quam doctrinae christianae cognitione, insigni denique miraculorum dono ornatus, ut omnibus admirationi esset, atque etiam „alter Moses“ appellatus fuerit, „tantam quoque sermonis gratiam accepit ad obedientiam fidei inter gentes“, ut, paucissimis in sua sede repertis fidelibus, omnem illius regionis populum ad fidem Christi perduxerit.[3]) Ecclesiam vero sibi commissam, quamvis gravissimos inter persecutionum aestus, sedulo studio ac summa sollicitudine pastorali diutissime gubernavit.[4]) Obiit circa annum 270.[5]) S. Gregorii Thaum. Vita.

Porro quatuor sunt Opera, quae tum Veterum auctoritate, tum recentiorum eruditorum consensu s. Gregorium, Neocaesariensem Episcopum, auctorem agnoscunt, scilicet: Scripta.

1. *Oratio panegyrica in Origenem,* quae a magno Gregorio Thaumaturgo, dum adolescens adhuc esset, Caesareae in Palaestina circa a. 239. ad Origenem pro gratiarum actione conscripta ac coram eo in magna hominum frequentia recitata est, cum ab eo in patriam reditum pa-

---

[1]) Euseb. lib. 6. c. 30. et s. Hieronym. l. c. Alii ejus commorationem apud Origenem ad annos octo extendunt, quibus ipse Gregorius Thaumat. favere videtur Panegyr. in Origen. n. 1. Cf. Bengel in edit. Panegyr. p. 135. Fabric. l. c. p. 250., Ryssel l. c. p. 12 sqq.

[2]) S. Gregor. Nyss. Orat. cit.

[3]) S. Basilius de Spir. S. n. 74. item ep. 207. n 4. S. Gregor. Nyss. Orat. cit.

[4]) S. Gregor. Nyss. Orat. cit.

[5]) Quo demum anno diem supremum obierit, non satis liquet. Illud quidem constat, ipsum inter eos Patres maxime eminuisse, qui ob Pauli Samosat. haeresin anno 264. vel 265 Antiochiae primum convenerunt (Euseb. lib. 7. c. 27. et 28.) Inter Episcopos porro synod. Antiochenae anni 269 commemoratur Theodorus (Euseb. l. c. c. 30.), quo nomine Gregorius forte subscripsit, quum etiam hoc nomen ei proprium esset. Suidas autem refert, Gregorium imperante Aureliano (270—275) vita excessisse. Cf. Galland. l. c. n. 1. Lumper l. c. p. 277—79. Ryssel l. c. p. 17.

S. Gregorii Thaum. Scripta.

raret.[1]) Hic Gregorius Deo primum, deinde Origeni plurimas agit gratias, totamque Origenis docendi methodum tam in philosophia, quam in Theologia, fuse et accurate delineat. Itaque Dei providentiam atque ductum, qualem in vita sua eo usque expertus fuerat, tum vero Origenis doctoris in sese capiendo artem, in instituendo dexteritatem, exemplum in acuendo, nec non suam ipsius pietatem, assiduitatem, obsequium confecto cursu scite commemorat. Earum summam rerum dum facit, idem leges sacrosancti contubernii, profanae christianaeque doctrinae differentiam, disciplinarum vere liberalium orbem, fundamenta, fines, et multifarium talis studii talisque vitae fructum ita complectitur, ut tironibus in Theologia, qui a profanis ad sacras litteras convertuntur, praeclare inservire possit; denique etiam Origenis cursum theologicum brevi exponit. Eo in libro Gregorius exquisite complectitur, quidquid de virtutibus et vitiis dici potest; nec minus ille prodest ad summa fidei christianae capita confirmanda. Est autem haec Oratio eximia plane ac perelegans, omni scientiarum genere satis abundans, atque inter Veterum Opera eloquentiae absolutissima jure adnumeranda.[2])

2. Sequitur *Expositio fidei* (seu fidei symbolum coelitus ipsi revelatum), quam is, Episcopus jam factus sive ex B. Virginis Mariae et ex Joannis Evangelistae apparitione,[3]) sive certe ex hujus et caeterorum Apostolorum scriptis haustam, etiam manu sua Ecclesiae scriptam re-

---

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 65. Socrat. l. c. Leont. Byzant. contra Nestor. et Eutych. lib. 3. n. 40. (Galland. T. XII. p. 689).

[2]) Vid. in edit Bengel. Elogia praefationi annexa, cf. ibid. Not. p. 134—36. et p. 145. Synopsis logica hujus Orationis ibidem exhibetur p. 132—33.

[3]) Vid. s. Gregor. Nyss. Orat. cit. n. 8—10., quo in loco etiam testatur, illam fidei expositionem, propria s. Gregorii Thaumaturgi manu exaratam, sua adhuc aetate in ecclesia Neocaesariensi asservari. Rufin. lib. 7. c. 25. Cf. S. Basil. ep. 204. n. 6. et de Spiritu S. n. 46. S. Gregor. Naz. Or. 31. n. 28. et Or. 40. n. 42. Notari meretur, expositionem hanc a Graecis posterioribus *Thaumaturgi Apocalypsin* vocari. Cf. etiam Lumper l. c. p. 284—96.

liquit. Ea porro brevissima est, et fidem catholicam de ss. Trinitate accurate exhibet, „illustre monumentum traditionis ecclesiasticae ac catholicae de Trinitate professionis.“ S. Gregorii Thaum. Scripta.

3. *Metaphrasis in Ecclesiasten*, „brevis quidem, sed valde utilis.“ [1]) Ibi totum Ecclesiastae librum, in duodecim capita divisum, brevi quidem, sed accurata omnibusque ingeniis accomodata interpretatione percurrit, ut rerum omnium sub sole vanitatem luculenter demonstraret, et eos, qui virtutem sectari desiderant, ad mores corrigendos additis stimulis magis incitaret.

4. Denique ex epistolis hujus s. Patris, quae olim vulgo ferebantur (S. Hieronym. c. 65.), hodie sola exstat *Epistola canonica*, Episcopo cuidam Ponti anno 258. scripta et a Concilio Trullano commendata. Quum enim Christianorum complures, qui ex barbarorum, scilicet Gothorum, incursione in captivitatem inciderant, multa et gravia peccassent, hos canones[2]) exaravit s. Praesul Neocaesariensis, quibus eorum saluti bonus pastor prospiceret. Ibi varia scelerum genera, a Christianis perpetrata, exponit, sive cibos prohibitos comederant, sive turpi avaritia ducti in aliorum opes et fortunas invaserant, sive orthodoxos captivos detinuerant, sive proditores egerant et crudelitatis barbarorum consortes facti fuerant; deinde varias quorundam excusationes vanas esse futilesque ostendit, et poenas canonicas ab iisdem subeundas statuit.

Juris publici demum Lagarde fecit in Analectis syriacis (1858) idiomate syriaco duo opuscula quae s. Gregorio Thaumaturgo tribuit, quorum alterum est *Epistola ad* Dubia.

---

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 65. et Commentar. in Ecclesiast. c. 4. v. 13. Rufin l. c. testatur: „in Ecclesiasten metaphrasin magnificentissime scripsit,“ dum Eusebius eam silentio praetermittit.

[2]) Undecim epistola haec continet canones, quorum primi decem omnium eruditorum calculis Gregorii Thaumaturgi esse noscuntur; canon vero undecimus haud immerito in dubium vocatur. Cf. J. Morinus de Poenitentia lib. 6. c. 1. §. 9. Natalis Alexander Histor. Eccles. Saec. III. Dissert. 18. Lumper l. c. p. 303—5. Fabric. l. c. p. 256—57.

S. Gregorii Thaum. Scripta.

Philagrium de consubstantiali, i. e. de aequalitate personarum divinarum quoad naturam, alterum *Dialogus cum Theopompo de passibili et impassibili in Deo.* Dein vero V. Ryssel in Universitate Lipsiensi lector, in sua monographia de Vita Gregorii Thaumaturgi,[1]) haec duo opuscula versione germanica edidit, simulque eorum genuinitatem vindicare nisus est. Ei complures scriptores assenserunt. Sed vir eruditus cl. Dräseke advertit, primum opusculum textu graeco jam exstare inter opera s. Gregorii Nazianzeni (ut epistola 45ª al. 243ª), sub titulo: *Πρὸς Εὐάγριον μόναχον περὶ θεοτῆτος λόγος.*[2]) Opusculum tamen s. Gregorio Nazianzeno ob rationes internas jam dudum plures scriptores, uti Petavius et Tillemont, abjudicaverant et inter dubia vel supposita illud retulerant; quidam porro s. Gregorio Nysseno,[2]) quidam s. Basilio tractatum hunc tribuendum esse opinati sunt. Ryssel vero in sua perstitit sententia, illum esse s. Gregorii Thaumaturgi, idque ulterius comprobare studuit.[3]) In eamdem sententiam etiam conspirat cl. P. Martin, qui utrumque tractatum in Em. Pitrae Analectis sacris tum syriace tum latine edidit et s. Gregorio Thaumaturgo vindicavit.[4]) Solida revera sunt argumenta, quae haec opuscula genuinos Gregorii tractatus esse suadent. Alii tamen opinantur, post Nicaenum Concilium epistolam ad Philagrium scriptam esse. Generatim quaestio de hisce duobus opusculis nondum eliquata est.

Nota. Reliqua scripta quae sub nomine s. Gregorii Thaumaturgi circumferuntur, supposita sunt, vel saltem dubia. Huc pertinent: a) *Expositio fidei prolixior* (*ἡ κατὰ μέρος πίστις*), quae spuria est et Apollinari haeretico jam tribuitur. b) *Anathematismi vel capitula duodecim de fide*, quae contra Nestorii et Eutychetis haereses diriguntur, pariter suppositia sunt. c) Tractatus *de*

---

[1]) Gregorius Thaumaturgus, sein Leben und seine Schriften etc. Leipzig 1880.

[2]) Jahrbücher für protestant. Theol. 1881. II. 382

[3]) Cf. Migne Opp. s. Gregorii Nysseni Ep. 26. P. G. T. XLVI. p. 1101.

[4]) Jahrbücher etc. 1881 III. 565.

[5]) V. Analecta sacra T. IV. p. XVIII—XXIII. 100—120. 360—376.

anima ad Tatianum dubius est. Bellarminus, Fabricius et Ryssel censent, non esse solidas rationes contra ejus genuinitatem, alii eum potius spurium habent. d) Dubiae pariter sunt Homilia in s. Theophaniam, et homiliae variae in B. M. V. (praeter eas quae jam notae erant, tres novas publicavit cl. Martin textu armeno et versione latina ap. Pitra Anal. sacra T. IV.) e) Idem dicendum est de Sermone panegyrico in s. Stephanum qui exstat in versione armena (Anal. l. c); de fragmento cui titulus: *De Incarnatione Domini*, ac de aliis quibusdam fragmentis. f) Deperdita est *Expositio fidei ad Aelianum*, cujus mentionem facit s. Basilius ep. 210. n. 5. — Cf. de hisce scriptis: Galland. T. III. Prolegom. c. 3 n. 6—8. Lumper l. c. p. 306—317. Fabricius l. c. p. 255—259. Möhler Patrol. p. 652. Ryssel. l. c. Martin ap. Pitra Anal. sac. T. IV. p. XVIII sqq. S. Gregorii Thaum. Scripta.

Editiones: Prima est Ger. Vossii Moguntiae 1604. gr. et lat. in 4°. — Eadem editio recusa est Parisiis 1622 fol., quae est melior et plenior, simulque exhibet Macarium et Basilium Seleuciensem atque canonicas SS. Patrum epistolas cum Commentar. — Editio optima est in Galland. Biblioth. T. III. p. 385—469. (cum Origenis epistola ad Gregorium Thaumat., qua ipsum hortatur, ut contemto philosophiae studio totum se dedat sacris litteris excolendis; et cum s. Gregorii Nyss. Orat. de Vita s. Gregorii Thaumat., hic primum in sectiones divisa.) — Eadem editio ap. Migne P. G. T. X. — Separatim prodiit Panegyricus in Origenem studio J. Alb. Bengelii Stutgardiae 1722. 8°. — Expositio fidei, utpote brevissima, post s. Gregorium Nyss. et Rufinum multis in locis exhibetur. — Metaphrasis in Ecclesiasten gr. et lat. exstat pariter in Appendice Opp s. Gregorii Nazianz. ed. Maur. T. I. p. 874—91. — Epistola ad Philagrium de consubstantiali, Dialogus cum Theopompo et alia, textu syriaco vel armeno cum vers. latina ap. Pitra Analecta sacra T. IV.

§. 80.

S. Methodius.

Fontes: (Eusebius de Methodio, utpote Origenis memoriae iniquiori, dicere omisit.) — S. Epiphanius haer. 64. n. 63. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 83. et saepius. — Socrat. Histor. Eccles. lib. 6. c. 13. (cf. Not. Valesii). — Leont. Byzant. de Sectis. Act. III. n. 1. (Galland. T. XII. p. 633.) — Phot. Cod. 162. item Cod. 234. 235. 236. et 237. — Suidas s. v. *Μεθόδιος* (T. II. p. 519—20). Fontes et Subsidia.

Subsidia: Leo Allatius Diatriba de Methodiorum scriptis, primo edita cum Methodii Convivio decem Virginum Romae 1656., recusa in Fabricii edit. Opp. s. Hippolyti. Vol. II. p. 75—95. — J. A. Sixti Commentatio de Methodio Tyri quondam Episcopo Altdorf. 1787. 4°. (recus. in Lumper P. XIII. p. 912—22). — J.

S. Methodii Scripta.

Stilting in Actis Sanctorum (Septembris T. V. p. 768—73). — Cf. G. Henschenius in Actis SS. (Junii T. IV. p. 5—6). — Ceillier T. IV. Chap. I. Art. VI. (p. 26—45). — Galland. T. III. Prolegom. c. 20. — Lumper P. XIII. Sect. VII. Cap. I. (p. 426—536). — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 260—72. — Möhler Patrol. p. 680. — Alb. Jahn Methodius Platonizans, sive Platonismus ss. Patrum eccl. gr. s. Methodii exemplo illustratus. (Appendix, ad edit. graecam opp. s. Methodii.) Halis 1865. — A. Pankau, Methodius v. Olympos. Mainz 1888. — Cf. Chevalier s. v. Méthode.

S. Methodius Patarensis, Olympi Lyciae et postea Tyri Episcopus,[1]), „vir apprime doctus acerrimusque veritatis patronus",[2]) qui errores maxime ab Origene disseminatos confutare instituit,[3]) martyr occubuit circa annum 312.[4]) — Quae sanctus hic Pater litterarum monumentis commendavit, tum adversus veritatis hostes, tum ad sacra dogmata exponenda, tum etiam ad religionem pietatemque fovendam comparata, Veteribus, qui ea perlegerunt, summis laudibus celebrata fuisse noscuntur. Ex his integrum hodie habetur:

1. *Convivium decem Virginum sive de castimonia (Συμπόσιον τῶν δέκα παρθενῶν ἢ περὶ ἁγνείας;)*[5]) primarium ac plane princeps Methodii Operum, quo celebre illud Platonis convivium[6]) aemulatus est, non tam ut ejus elegantiam imitando exprimeret, etsi illud etiam venustissime

---

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 83. Cf. Lumper l. c. p. 427—33. et p. 437.

[2]) S. Epiphanius l. c.

[3]) Eusebius apud s. Hieronym. Apolog. adv. Rufin. lib. I. n. 11. S. Epiphan. l. c. Socrat. l. c.

[4]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 83. — Socrat. l. c. Cf. Fabric. Vol. VII. p. 260—62. Galland. l. c. n. 1. et p. 665. Not 1. Lumper p. 434 seqq. Pankau l. c. p. 15.

[5]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 83. S. Gregorius Nyss. (?) De eo, quid sit ad imaginem Dei etc. (Opp. T. II. p. 24. et 26.) Phot. Cod. 237.

[6]) Convivii Platonici inscriptio haec est: *Συμπόσιον ἢ περὶ ἔρωτος.* Itaque *ἔρωτι* Graecorum a s. Methodio opponitur *ἄγνεια* Christianorum. Utriusque convivii habitus et forma externa, nec non personarum colloquentium numerus magnam ostendunt similitudinem; materia plane diversa, imo aperte opposita.

praestiterit, quam ut, quod potissimum studuit, doctrinam vere christianam de continentia et castitate, speciosis et fallacibus Gentilium ac philosophorum commentis de amore oppositam, omnibus manifestam redderet atque amplectendam commendaret. Praecipuum laudationis argumentum in hoc Convivio est Virginitas (seu coelibatus), ita ut hoc in Opere victoriae a christiana philosophia de graeca gentilique reportatae illustre monumentum ac veluti tropaeum spectetur. Hujus symposii ea est forma, ut decem Virgines de castitate, maxime vero de continentia vitae coelibis, mutuo confabulentur. Facta eleganti introductione Orat. I. virginitatem commendat ob ejus studia ardua et sublimia, ostendens, „ad virginitatem per intervalla demum profecisse hominem, Deo illum certis vicibus atque gradibus promovente.“ Verum ne istud perperam accipiatur, statim subjungit, „noluisse Dei Verbum, postquam virginitatem intulit mundo, matrimonium omnino tollere,“ huic potius suam semper manere dignitatem, quandoquidem et s. Paulus mutuam Christi et Ecclesiae relationem matrimonii sacramento designaverit (Or. II. et III.); verumtamen ex eodem s. Paulo (I Cor. 7.) matrimonio praestare virginitatem luculenter demonstrat (Or. III.). Virginitas quippe omnium nobis bonorum est causa, cum nihil sit adeo salutare et efficax restituendis in paradisum hominibus, mortalitati in incorruptionem reparandae, hominibusque cum Deo reconciliandis (Or. IV.). Eadem virginitas pulcherrimum, quod ab homine unquam Deo offerri possit, est munus, quo scilicet homo se ipsum perfecte Deo consecrat ac devovet (Or. V.). Per eandem quoque pulchritudo animae innata, quae scilicet Dei ipsius est imago et per continentiam digna Filii Dei sponsa evadit, optime et secure incontaminata servatur et praemiis aeternis praeparatur (Or. VI.). Porro virginitas ipso Christo dedicatore gloriatur, ipse Christus pulchritudinis ejus praecipuus amator, praestantiae ejus plane idoneus testis est, quod ex Cantico Canticorum manifestum reddit (Or. VII.). Tum fructus illius praeclaros, non tantum in futura, sed etiam in praesenti vita describit (exponens Apocalyps. 12,

S. Methodii Scripta.

S. Methodii Scripta.

1—6.), eamque minime impossibilem esse ostendit (Or. VIII.). Item ex mystico illius ritus sensu, quo festum tabernaculorum celebrari Deus olim praescripserat (Levit. 23, 39—43.), declarat, quam conveniens Deo illique accepta sit non solum virginitas, verum etiam castitas generatim (Or. IX.). Deinceps ostendit, nihil tam prodesse ad honestatem et virtutem, quam castitatem (quod illustrat loco ex Judic. 9, 8—15. allegorice exposito Orat. X.). Demum Arete, convivii praeses, exponit, in quo vera virginitas consistat (Orat. XI.), et egregio hymno in virginitatis laudes dicto Opus hoc clauditur. — In nullo forsan veteris Ecclesiae monumento intima ratio doctrinae moralis christianae, religioni et philosophiae gentili tam praeclaro modo opponitur, tam luculenter praestantia religionis christianae exhibetur, quam in hoc Convivio, maxime si comparetur cum Platonis Symposio.[1])

Reliqua hujus s. Patris Opera integra non exstant, scilicet:

2) Opus *de libero arbitrio (περὶ αὐτεξουσίου)*,[2]) adversus Valentinianos imprimis et Origenem, tribus seu partibus seu excerptis hodie constat. Liber iste conscriptus est in formam dialogi inter Valentinianum et Orthodoxum super vexatissima quaestione *de origine mali*. Ostendit hic, malum non ex substantia Deo coaeterna originem suam trahere posse, neque etiam Deum auctorem habere, sed ejus causam unicam esse abusum libertatis humanae, seu inobedientiam hominis, qui a Deo creatus fuerit libero arbitrio praeditus, quo sive bonum sive malum eligeret.

3) *Liber de resurrectione* contra Origenem, „Opus egre-

---

[1]) Scite tamen advertit cl. Möhler, non congruere decentiae et honestatis notioni, qualis apud Occidentales viget, eam disserendi rationem, qua Virgines hujus Convivii in matrimonii molestiis ac in generatione describendis, ut continentiae virtutem evehant, magna cum libertate versantur. Unde opusculum, etsi pulcherrimum sit, in nostra idiomata vertere non conveniret. Cf. Möhler Patrol. p. 683.

[2]) S. Hieronym. l. c Phot. Cod. 236. A. Maji Collect. Nova Veterum Scriptor. T. VII. p. 92—93. 104. Opusculum tamen dubium est. Etenim fragmenta a Photio servata, ap. Euseb. (Praep. ev. l. 7 c. 22)

gium“,[1]) quod majori ex parte aetatem tulit. Hunc quo- S. Methodii Scripta.
que librum ad formam dialogi composuit, atque in eo inducuntur Methodius et Auxentius cum Origenistis Proclo et Aglaophonte colloquentes seu disputantes. Ibi s. Methodius contra Origenem veram resurrectionem humani corporis, cujus dignitatem justumque pretium solerter adstruit, aliquando futuram solide probat ac dubitationes Origenis adversus hanc doctrinam diluere studet.

4) *Liber de rebus creatis (περὶ τῶν γενητῶν).*[2]) In eo disputat iterum s. Martyr adversus Origenem, prouti ex paucis, quae sola habentur apud Photium, hujus libri Excerptis constat. Et primo quidem (exposito loco Matth. 7, 6.) ipsum sanctiora Christi Ecclesiae dogmata (tamquam margaritas) ethnicis placitis intexuisse conqueritur, deinde eum impugnat, quod omnem rerum universitatem Deo coaeternam dicat, et varia ejus argumenta dissolvit.

S. Methodius, ubi argumentis usus est philosophicis, praesertim in iis, quibus de mundi aeternitate et origine mali disputat, plurima bene tractavit, acumen acumine superans. Dicta s. Codicis interpretans allegoriam saepe argute ludentem adfert, fortassis ut allegoricis explicationibus Origenis et ipse interpretationes allegoricas opponeret, vel quod inde lucubrationibus suis singulare ornamentum accedere existimaret; haud raro etiam sententias tam veritate, quam gravitate insignes proponit; quod de-

---

tribuuntur s. Maximo, scriptori anteriori (v. p. 258.) Unde forte totum opusculum s. Maximi est, vel ab hoc Methodius plurima mutuavit. Cf. Pankau l. c. p. 24.

[1]) S. Hieronym. l. c. S. Epiphan. haeres. 64. n. 11—63., qui dimidiam fere hujus libri partem illuc transtulit eoque modo nobis servavit. Phot. Cod. 234. Cf. Galland. l. c. n. 5. Lumper P. XIII. p. 452—59. Pankau l. c. p. 23.

[2]) Hujus solus Photius meminit Cod. 235. simul afferens Excerpta ex eodem; quare Cave (Vol. I. p. 152.) haud immerito conjicit, „non distinctum aliquod Opus hoc titulo scripsisse s. Methodium, sed Excerpta, quae profert Photius, ex Methodii in Genesin Commentario (cujus mentionem facit s. Hieronymus l. c.) desumpta esse.“ Cf. Galland. l. c. n. 6. Lumper P. XIII. p. 464. et p. 467—69.

mum pertinet ad sermonis habitum, turget ille quidem, suo tamen non caret lepore. Merito igitur celeberrimis illius aetatis Patribus annumeratus est.[1])

Nota 1. Praeterea s. Methodius primus omnium ad veritatis defensionem scripsit *libros* nitidi compositique sermonis *adversus Porphyrium* (S. Hieronym. l. c. et ep. 70. n. 3. ep. 48. n. 13.), quem postea Eusebius et Apollinaris secuti sunt (Philostorg. Histor. Eccles. lib. 8. n. 14.). Ejus Opus, Veteribus maxime celebratum, interiit, paucis quibusdam laciniis exseptis. Memorat porro s. Hieronymus (de Scriptor. eccles. c. 83.) Methodii opera „de Pythonissa, in Genesin quoque et in Cantica Canticorum Commentarios, et multa alia quae vulgo lectitantur." Socrates vero H. E. L. VI. c. 13: „Methodius quidem, scribit, cum in libris suis Origenem diu multumque insectatus fuit, postea tamen quasi palinodiam canens in *dialogo, quem Xenonem* inscripsit, summa eum admiratione prosequitur." Theodoretus demum Dialog. I. memorat Methodii *Sermonem de Martyribus*. — Haec omnia autem sunt deperdita. Cf. Lumper P. XIII. p 465. sqq.

Nota 2. *Dubiae* saltem sunt Homiliae duae, quae s. Methodii nomine circumferuntur, quarum altera *de Simeone et Anna, quo die Domino in templo occurrerunt (τῇ ἡμέρᾳ τῆς ὑπαντήσεως)* inscribitur, altera: *In ramos palmarum*. Vid. Galland. l. c. n. 6. Lumper P. XIII. p. 470—82. Pankau l. c. p. 26 sqq. — Opera certe *spuria* sunt: Revelationes Methodii, et Chronicon Methodii; cf. Leo Allatius l. c. n. 28—30. Fabric. Vol. VII. p. 269—71. Lumper P. XIII. p. 484—89. Pankau l. c. p. 34.

Editiones: Omnia s. Methodii Opera et Fragmenta, quae tum reperiri poterant, primus collegit et una cum s. Amphilochio et Andrea Cretensi gr. et lat. ed. Fr. Combefisius Paris. 1644. fol. — Symposion gr. et lat. primus integrum edidit Leo Allatius Romae 1656. in 8°.; et mox P. Possinus Paris. 1657. fol. — Editio optima omnium Opp. s. Methodii habetur in Gallandii Biblioth. T. III. p. 670—832. — Migne P. G. T. XVIII. — Editionem criticam textus graeci (tantum) curavit Alb. Jahn, Halis Sax. 1865.

---

[1]) Praeter S. Epiphanium l. c. et s. Hieronym. l. c. item Leontium Byzant. l. c., vide Joannem Antiochenum in epist. ad. Proclum Constantinopolit. (scripta circa a. 432.), quam exhibet Synodicon adversus tragoediam Irenaei c. 197. (Mansi T. V. col. 973.), ubi inter praecipuos Ecclesiae Patres refertur. Vide etiam Joannem Thessalonic. (qui floruit circa a. 680.) allegatum in Concil. oecumen. VII. Act. V. (Mansi T. XIII. col. 165.), ubi e ss. Patribus Basilius Magnus et s. Athanasius *καὶ ὁ μέγας Μεθόδιος* memorantur — De doctrina s. Methodii cf. Pankau l. c. p. 35—89.

§. 81.

Alii Patres saeculi III.

In classem ss. Patrum hujus aetatis probabiliter etiam referri merentur:

1. *S. Anatolius* Alexandrinus, Laodiceae in Syria Episcopus, qui inde ab anno 270. floruit, et tum in liberalibus disciplinis, tum in philosophia principem inter doctissimos illius aevi viros locum sine controversia tenuit. „Mirae doctrinae vir fuit, scribit s. Hieronymus, in arithmetica, geometria, astronomia, grammatica, rhetorica, dialectica. Cujus ingenii magnitudinem de volumine quod super Pascha composuit, et decem libris de arithmeticae institutionibus, intelligere possumus.“[1]) Sed exceptis quibusdam fragmentis, illi institutionum mathematicarum libri decem deperditi sunt; partem ejus *canonum paschalium* Eusebius servavit (L. VII. 29. 30), caeterum vero etiam hoc opus injuria temporum interiit.[2]) S. Anatolius.

2. *S. Archelaus,* Cascharorum, celeberrimae in Mesopotamia urbis, Episcopus claruit circa annum Christi 277. S. Archelaus.

---

[1]) De viris illustr. c. 73. cf. Euseb. Histor. Eccles. lib. 7. c. 32. Martyrol. Rom. ad 3 Julii. Galland. T. III. c. 15. Lumper P. XIII. p. 228—235.

[2]) A Bucherio quidem in suo opere *De doctrina temporum* (Antverpiae 1634), ex codice Sirmondi publicatus fuit *Liber Anatholi de ratione paschali* (l. c. p. 439—449) antiqua versione latina; uti ipse existimabat. Ac multi habuerunt librum ut genuinum, quum ea quae Eusebius l. c. citat ex opere Anatolii in ejusmodi libro inveniantur secundum Rufini versionem, adeoque censuerunt a Rufino totum opusculum latine versum fuisse, etsi pauca in libro a Bucherio vulgato interpolata esse admiserunt. Sed varii viri critici, uti Van der Hagen, Ideler, ac demum Krusch (Studien zur christlich-mittelalterlichen Chronologie p. 311 sqq. Leipzig 1881) ostenderunt, librum vulgatum spurium esse, et in hanc sententiam jam universim eruditi consenserunt. A falsario in Britannia vel Scotia saeculo VI liber videtur conscriptus esse, ut rationem celebrandi Paschatis illarum regionum, ab usu Romano diversam, vindicaret. — Exstat spurium hoc Anatolii opus etiam ap. Krusch l. c, et cum reliquis Anatolii fragmentis ap. Galland. T. III., et ap. Migne P. G. T. X.

Is doctrina et sanctitate celebris disputationem habuit cum Manete sive Manichaeo haeresiarcha, qui paulo post a regis Persarum militibus comprehensus et crudeli supplicio affectus est. *Acta* illius *disputationis* Archelaus ipse consignaverat Syro sermone, quae translata in Graecum jam s. Hieronymi aetate ferebantur.[1]) Admodum verosimile est, genuina Archelai acta, forsitan ab ipso Graeco interprete, in epitomen redacta fuisse; atque illius duntaxat Epitomes vetus latina versio ad nos pervenisse videtur. Ad illustrandam Manichaeorum historiam disputationis illius Acta plurimi faciunt Eruditi.[2])

S. Petrus Alex.

3. *S. Petrus, Alexandrinus* Episcopus inde ab a. 300, sub finem persecutionis a Diocletiano motae jussu Maximini Imperatoris martyrio coronatus est anno 311. Scripsit hic sanctus Pater anno 306 *Canones* propter eos, qui in ista persecutione lapsi essent. In istis tam accurate expendit omnes circumstantias, quae crimen vel augere vel minuere possunt, ut ex omnibus antiquis de poenitentia lapsorum canonibus aequiores non reperiantur. Idem quoque scripsit librum *de divinitate*, cujus excerptum sat prolixum a Concilio Ephesino servatum est.[3])

---

[1]) S. Epiphan. haeres. 66. n. 7—11. n. 21. n. 25. seqq. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 72. Sozom. Histor. Eccles. lib. I. c. 22. Phot. Cod. 85. Cf. Lumper P. XIII. p. 343—89.

[2]) Edit. in L. Zacagnii Collectaneis Monument. veterum Ecclesiae graecae et latinae. Romae 1698. in 4°. p. 1—102. (cf. Praefat. p. III. seqq.) recus. in J. A. Fabricii Opp. s. Hippolyti Vol. II. p. 134—95. item in Mansi Concil. Collect. T. I. p. 1129—1228., in Galland. T. III. p. 569—610 (cf. ibid. Prolegom. c. 17.), ap. Migne P. G. T. X. — Sub finem quoque saeculi III *Alexander, Lycopolitanus* in Aegypto Episcopus, qui ex Gentili ac Manichaeo factus fuerat Christianus tandemque Episcopus, librum scripsit: *de placitis Manichaeorum*, in quo multa eorundem historiam illustrantia continentur. Ed. in P. Combefisii Auctario novissimo Biblioth. Patrum. Paris. 1672. P. II. recus. in Galland. Biblioth. T. IV. p. 71—88. Cf. ibid. Prolegom. c. 5. Migne P. G. T. XVIII. Le Quien Oriens Christian. T. II. p. 598. Testem illius libri conscripti Photius agit lib. I. contra Manich. n. 11. (ed. J. Ch. Wolf, Anecdota Graeca Hamburg. 1722. T. I. p. 36.).

[3]) De gestis et martyrio s. Petri Alexandrini vid. Euseb. Histor. Eccles. lib. 7. c. 32. fin. lib. 8. c. 13. lib. 9. c. 6. S. Athanas. Apolog. contra Arian. n. 59. — Canones isti, Excerptum de divinitate (ex

§. 82.

Celebriores saeculi III., et ineuntis IV. Scriptores Ecclesiastici.

Multi alii viri doctrina et eruditione, tam sacra, quam profana insignes hoc saeculo vixerunt, quorum Opera partim adhuc exstant, partim interierunt. Eorum alii haereticos suae aetatis debellarunt, alii in s. Scripturis explanandis maxime versati sunt, alii demum iique plurimi apologeticis aut polemicis scriptis contra Gentiles inclaruerunt.[1]) Horum celebriores sunt:

1. *Cajus*, qui ab Eusebio dicitur *ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ* ac disertissimus, Romae floruit sub initia saeculi III. De ipso s. Hieronymus: „Cajus, scribit, sub Zephyrino Romanae urbis Episcopo, id est, sub Antonino Severi filio, *disputationem* adversus Proclum Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super nova prophetia defendenda.“[2]) Hanc *Disputationem* (*διάλογον*) Cajus etiam litteris mandavit, et graecis quidem, ut videtur, siquidem Eusebius quatuor ex ea fragmenta citat. — Fragmentum quoque celeberrimum *de canone sacrarum Scripturarum*, a Muratorio repertum et editum, *(Fragmentum Muratorianum)* a quibusdam huic Cajo vindicatur atque Cajus.

Concil. Ephes. Act. I. Mansi T. IV. col. 1183—84.) et alia quaedam fragmenta optime exhibentur in Galland. T. IV. p. 91—113. Cf. ibid. Prolegom. c. 6. Migne P. G. T. XVIII. Canones isti latine tantum cum Scholiis eruditione plenis exhibentur in Chr. Lupi Opp. (Venetiis 1724 seqq.) T. I. p. 92—134. Alia duo hujus s. Patris Opera memorat ex iisque fragmenta profert Justinianus Imp. in epistola ad Mennam (Mansi T. IX. col. 504.).

[1]) Hos ita distinctos exhibere placuit, ut praemitterentur, qui haereticos impugnarunt vel s. Scripturae operam navarunt, tum vero sequerentur, qui apologetica aut polemica scripta contra Gentiles ediderunt, vel aliunde de litteris ecclesiasticis bene meriti sunt. Praeterea haud abs re visum est, nonnullos Scriptores ecclesiasticos hic adjungere, qui in eodem scriptorum genere famam sibi pepererunt, et ejusdem aetatis genium prae se ferunt, quamvis forte saeculo demum sequenti vixerint.

[2]) De viris illustr. c. 59.

ex Disputatione laudata depromtum censetur. — Conjecerunt porro varii auctores ex antiquorum indicationibus, Cajum contra Artemonis et Theodoti haeresim scripsisse tractatum cui titulus *Parvus labyrinthus*, nec non librum *De universi natura*. Recentiores vero plerique haec opera Cajo immerito tribui censent.[1])

Julius Afric.

2. *Julius Africanus*, dictus, vastae eruditionis scriptor, cujus patria Africa fuisse videtur, ineunte saeculo tertio claruit. Praecipuum Africani Opus est *Chronographia* sive *libri quinque de temporibus* accuratissime compositi, in quibus ab orbe condito usque ad a. circiter 220. post Christum natum praecipuos eventus cum accurata temporum determinatione consignavit. Opus illud jam pridem intercidit; ex quo tamen Eusebius aliique ipsum insecuti chronographi hausisse complura atque in sua scripta derivasse inveniuntur. — Praeterea exstat Africani *epistola ad Origenem;* in qua historiam Susannae, quae in Danielis libro legitur, spuriam et commentitiam esse suspicatur, haud vulgari ingenii acumine objectiones contra illam exponens. Ad eam epistolam Origenes copiosissime respondit (vid. supra §. 66.). — Denique idem Africanus aliam scripsit *epistolam ad Aristidem*, in qua de differentia, quae videtur esse in genealogia Salvatoris apud Matthaeum et Lucam plenissime disputavit. Ex variis quae exstabant hujus epistolae partibus ac fragmentis, eadem modo ex integro fere resarcita est. — Ab Eusebio, Photio aliisque Julio Africano etiam tribuuntur libri titulo *Κεστοί* (acu picta) inscripti, juxta

---

[1]) Cfr. Theodoret. Haer. Fab. II. s. et II. 3.; Euseb. H. E. V. 28.; Photius Bibl. Cod. 48. — Ceillier T. II. p. 241; Tillemont Mém. T. III. p. 31. 40. 76. — In controversia de auctore operis *Philosophumena* identidem quaestio haec discussa est, attamen eadem nondum est penitus eliquata. Cf. Döllinger Hippolytus u. Kallistus p. 2 sqq. 270 sqq.; De Smedt Dissert. T. I. p. 95 et Append. p. 41.; Jungmann Dissert. T. I. p. 228. 230 sqq. — De Cajo vide Euseb. H. E. II. 25 et VI. 20; s. Hieron. de viris illustr. c. 59; Theodoret. Haer. Fab. l. c.; Photius Cod. 48. — Cfr. Galland T. II. Prolegom. c. 14; Lumper P. VII. p. 17—43; Ceillier T. II.; Tillemont T. III. — Fragmenta Operum Caji quae hodie sola exstant coll. Gallandi T. II.; Routh, Reliquiae sacrae II; Migne P. G. T. X.

Eusebium novem, juxta alios plures. Tractatur in iis de re physica, medica, militari, rustica, nec desunt quaedam superstitiosa. Unde aliqui, ut Dupin, censuerunt, hoc opus alteri cuidam Sexto Africano gentili tribuendum esse; sed critici jam universim conveniunt, Sextum Julium Africanum ejus esse auctorem. Potuerunt ei sane naevi quidam ex gentilium conversatione adhaerere. Hujus autem Operis tantum varia fragmenta servata sunt.[1]) — Scriptores Syri demum sequioris aetatis (saec. XI et XII) tradunt, Commentarios quoque in Evangelia et alia scripta exegetica a Julio Africano confecta fuisse; adscribitur ei versio latina Historiae apostolicae apocryphae Abdiae, auctorque dicitur in codicibus Actorum s. Symphorosae. Sed admodum dubia haec merito habentur.[2])

S. Victorinus Petavion.

3. *S. Victorinus*, Graecus origine, ex oratore factus Episcopus Petavionensis in Pannonia superiore, probabiliter sub Diocletiano, saeculo quarto ineunte, inclyto martyrio coronatus est; cujus fama olim in Ecclesia longe lateque celebrata erat. Commentarios scripsit in varios s. Scripturae libros, adversus omnes haereses et multa alia.[3]) Ex plurimis vero quae ille conscripsit Operibus, hodie pauca admodum integra pariter ac certa supersunt. Habetur scilicet hujus auctoris *Tractatus de fabrica mundi*, qui fragmentum ex ejusdem commentario in Genesim esse videtur. Alterum porro ex Victorini scriptis, quod ad

---

[1]) V. Veterum Mathematicorum opera ed. Thevenot. Paris 1693.

[2]) De Julio Africano vide Euseb. Chronicon ad a. Chr. 224; Hist. Eccl. VI. 31. S. Basil. de Spiritu sancto n 73. S. Hieron. de viris illustr. c. 63. S. Augustin. Retract. L. II. c 7. n. 2. Phot. Cod. 34. — Cf. Galland. T. II. Prolegom. c. 16. Lumper P. VII. Sect. III. p. 74—98. Möhler Patrol. p. 577. Ceillier T. II. Tillemont. Mem. T. III. H. Gelzel, Sext. Jul. Africanus und die byzant. Chronologie. Leipzig 1880. — Quae ex Africani operibus supersunt coll. Gallandi T. II. Routh Reliquiae sacrae ed. 2. T. II. Migne P. G. T. VII.

[3]) V. s. Hieron. de viris illustr. c. 74. Scripsit autem latine in commodum Occidentalium uti videtur. Sed „non aeque latine ac graece noverat. Unde opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum.“ Hieron. l. c.

nos usque pervenit, sunt ejus *Scholia in Apocalypsin,* quo in libro Apocalypseos difficillima loca quaedam illustrat.[1])

Minucius Felix.

4. *M. Minucius Felix,* nobilis causidicus Romanus, floruit ineunte saeculo III.[2]) Is *apologiam* seu *dialogum* scripsit, duas in partes distinctum, quarum altera Caecilii pro Ethnicis, altera Octavii pro Christianis orationem complectitur, eumque inscripsit: *Octavius.* Quicunque objectionum, quas Ethnici contra religionem christianam tunc vibrare consueverant, et argumentorum, quibus christianae doctrinae veritatem ac dignitatem tueri solebant hujus asseclae, brevem summam acute, eleganter et perspicue digestam inspicere voluerit, is Minucii Octavium omnino legat. Habet ille suavitatem quandam et ornatum scribendi genus, quo plerosque scriptores ecclesiasticos Latinos antecellit.[3])

---

[1]) V. s. Hieron. l. c. et saepius. S. Optatus Milevitanus L. I. c. 9. Cassiodor. de Instit. divin. litter. c. 7 et 9. Cf. Galland. T. IV. Prolegom c. 2. Lumper P. XIII. Ceillier T. III. Tillemont T. V. Möhler, Patrol. p. 900. Quae supersunt ex scriptis Victorini habentur ap. Galland. T. IV et Migne P. L. T. V. — *Commentarius in Apocalypsim,* qui exstat sub nomine Victorini valde dubius est, et carmina quaedam, e. g. contra Marcionem Libri V. (ap. Migne P. L. T. II) ei falso adscribuntur. V. Lumper P. XIII. p. 575—585.

[2]) Utrum ante vel post Tertullianum scripserit Minucius, controvertitur. Hieronymus post Tertullianum, Lactantius ante Tertullianum eum ponit. Hieronymo consentiunt cum Baronio plerique auctores. Recentiores tamen viri critici non pauci ob rationes internas ante Tertullianum statuunt scripsisse Minucium. Cf. Nirschl, Patrol. I. §. 77.

[3]) Lactant. Divin. Institut. L. I. c. 11. L. V. c. 1. S. Hieronymus de viris illust. c. 68. ep. 70. n. 5. S. Eucherii Lugdun. Epist. paraenet. ad Valerianum (in Vincent. Barral. Chronolog. Lirin. P. II. p. 62.). Cf. Galland. T. II. Prolegom. c. 17. Lumper P. VII. Sect. IV. Nourry Appar. T. II. Dissert. I. Ceillier. T. II. ch. XXIII. Möhler Patrol. p. 790. Baehr, Gesch. d. röm. Litt. T. II. §. 18. — V. Chevalier s. v. Minucius. — Edit. in Galland. Biblioth. T. II. Migne P. L. T. III. — Item ed. J. G. Lindner Longosalissae 1773 in 8°. — ed. de Muralto Turici 1836. — ed. Fr. Oehler Lipsiae 1847. — ed. Hurter Opusc. PP. T. XV. — Editionem crit. textus curavit Halm in Corp. Scr. eccl. T. II. Vindob. 1867. — Versionem germ. cur. Bieringer, Kempten 1871 et alii.

5. Exstant ex hac aetate porro *Commodiani Instructiones adversus gentium deos.* Commodiani primus veterum meminit Gennadius ejusque characterem satis bene his verbis expressit: *Commodianus, dum inter saeculares litteras etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque Christianus, et volens aliquid studiorum suorum muneris afferre Christo, suae salutis auctori, scripsit mediocri sermone, quasi versu, librum adversus paganos. Et quia parum nostrarum attigerat litterarum, magis illorum destruere potuit dogmata, quam nostra firmare. Unde et de divinis repromissionibus adversus illos vili satis et crasso, ut ita dixerim, sensu disseruit, illis stuporem et nobis desperationem incutiens . . . Moralem sane doctrinam, et maxime voluntariae paupertatis amorem optime prosecutus, studentibus inculcavit.*[1]) In suo carmine octoginta brevia capita continente, Commodianus Gentiles ac Judaeos ad amplectendam religionem christianam hortatur, Christianorum vero variis classibus optima morum praecepta praebet. Et quoad *materiam* quidem hic libellus monita egregia continet, quoad *formam* vero *mediocri sermone quasi versu* a Gennadio dicitur scriptus. Negligit enim Commodianus metri leges, quarum loco acrostichorum versuum delectamenta sectatur, forte ut facilius retinerentur memoria a fidelibus ejus hortamenta.[2]) Commodianum Afrum fuisse, nonnulli eruditi ex affinitate quadam cum Tertulliano et cum Cypriano, et ex variis adjunctis colligunt; an merito, valde dubium videtur. Gazaei ipsi cognomen, quod additum vel quod in religione Christi gazam seu thesaurum invenerit, vel potius quod ex Gaza Palaestinae oriundus esset. In Instructione LXXX sub

Commodianus.

---

[1]) De Script. eccles. c. 15.

[2]) Exemplum acrostichi habes in Instructione LXXIX quae inscribitur *Oranti.*

Orantem si cupias exaudiri de coelo,
Rumpe de latibulis nequitiae vincula,
Aut si benefactis oras miseratus egenis,
Ne dubites quin quod petieris detur oranti.
Tu sane si nudus benefactis Deum adores,
In totum ne facias sic orationes inepte.

titulo *Nomen Gazaei* habetur per litteras initiales retro legendas nomen: Commodianus mendicus Christi. — Caeterum vir non indoctus est, quamquam ab erroribus non satis immunis.

Haec fere de Commodiano nos cebantur, quando a. 1852 doctissimus vir J. B. Pitra O. S. B., modo S. R. E. Cardinalis, in Spicilegio Solesmensi publicavit *Carmen apologeticum* adversus Judaeos et gentes,[1]) decerptum ab ipso ex Codice Mediomantano (Middle Hill). Erudita dissertatione ostendere nisus est, Commodiano ejusmodi Carmen esse tribuendum. Id videlicet suadet affinitas cum Instructionibus quoad versus, non metricos sed rhythmicos,[2]) quoad materiam et usum verborum. Continet hoc carmen, quod valore poëtico praestat Instructionibus, post descriptam conversionem auctoris a gentilismo, dogmatico-apologeticam descriptionem revelationis Dei in antiquo et novo Foedere, vitae et regni Christi, ac rerum consummationis. — In fine Codicis invenitur: *Explicit Tractatus Sancti Epis* . . . . . Ultimae litterae ac nomen vetustate chartarum interciderunt. Sed si suppositio illa Commodianum esse auctorem sibi constat, inde colligitur, eum fuisse Episcopum, quod apprime convenit indoli utriusque opusculi. Censetur Commodianus vixisse mediante saeculo tertio; sunt etiam qui posteriori tempori eum adscribunt.[3])

Antonius.

6. *Antonius* quidam a gentilium cultu ad christiana sacra conversus poëma conscripsit *Adversus gentes*. Nomen patefacit ipse initio carminis:

Disscussi fateor sectas Antonius omnes,
Plurima quaesivi, per singula quaeque cucurri,
Sed nihil inveni melius quam credere Christo.

---

[1]) Spicil. T. I. p. 20. v. 1—1013; T. IV. v. 1014—1053.

[2]) Rhythmus est, ait Ven. Beda, verborum modulata compositio, non ratione metrica, sed numero syllabarum ad judicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgarium poëtarum. — Et Terentianus Maurus auctor saeculi tertii:

Namque metrum certique pedes numerusque coërcent,
Dimensa rhythmum continet lex temporum.

Ap. Pitra, Spicil. t. I. p. XXIV.

[3]) V. Commodiani Instructiones ap. Galland. T. III. Migne P. L. T. V. Ed. Oehler cum Minucio, Lipsiae 1847. Carmen apologet. in Spicil. Solesm. T. I. et finem in T. IV. Ed. etiam Roensch, Zeitschr. für hist. Theol. von Kalmis 1872. Cf. de Commodiano Galland. T. III. Prolegom. c. 18. Lumper P. XIII. Permaneder Patr. II. 3. Möhler, Patr. p. 905. Nirschl, Patr. I. §. 93.

Immerito, Paulini Nolani (Antonium alloquentis) hoc carmen esse, opinatus est Muratorius; sed quis fuerit Antonius ille, incertum plane esse fatentur viri critici. Auctor stylo sat concinno idololatriae crimen et stultitiam impugnat, sublimemque Christi religionem celebrat. Eum esse satis antiquum, et in tertium saeculum rejiciendum omnes internae, tam materiae quam styli notae conclamant.[1])

Alex. Hierosolym.

7. *Hierosolymis* floruit saeculo tertio *Alexander* Episcopus. Varias ab ipso scriptas epistolas commemorat s. Hieronymus de viris illustr. c. 73. Optime vero de litteris ecclesiasticis meritus est, quod Hierosolymis, ut praeclara virorum ecclesiasticorum qui doctrina excellebant scripta ad posteros pervenirent, *Bibliothecam* condidit, quae praesertim epistolas quas illi ad se invicem scripserant continebat. Unde et Eusebius uberrimam materiam ad historiam suam ecclesiasticam cudendam grato animo deprompsit. Decio Imperatore (a. 251) ductus Caesaream et clausus in carcere ob confessionem Christi martyrio coronatus est.[2]) — *Antiochiae* vero ea aetate *Malchion* claruit disertissimus illius ecclesiae presbyter. Is contra Paulum Samosatenum in magno concilio Antiochiae (c. a. 270) habito, ut ejus errores refutaret, excipientibus notariis disputavit. Dialogus vero iste tempore s. Hieronymi exstabat. (De viris illust. c. 71.) „Sed et alia grandis epistola, addit Hieronymus, ex persona synodi ab eo scripta ad Dionysium et Maximum Romanae et Alexandriae ecclesiae Episcopos dirigitur.“ Epistola haec apud Eusebium (H. E. L. VII. 30) maxima parte exstat; fragmenta quaedam alia apud Leontium Byzantinum et Petrum Diaconum quoque supersunt. Unde ea Gallandius aliique eruditi plenius ediderunt.[3])

Malchion.

---

[1]) V. Antonii Carmen ap. Galland. T. III. Migne P. L. T. V. Cfr. de auctore Ceillier T. X. p. 608. (ed. 2a T. VIII. 87.) Permaneder. Patrol. II. 3.

[2]) Cf. Euseb. H. E. L. VI. c. 11. 20. Hieron. de viris illustr. c. 73. — Ceillier T. II.

[3]) V. Galland T. III. Migne P. G. T. X. — Cf. Euseb. H. E. L. VII. c. 29. 30. Hieron. de viris illust. c. 71. Ceillier T. III.

S. Theonas Alex.

8. *Alexandriae* porro post Dionysium Episcopum varii viri doctrina et scriptis illustres exstiterunt. *S. Theonas* Episcopus Alexandrinus (a. 281—300) scripsit *Epistolam ad Lucianum praefectum cubiculariorum* in aula Diocletiani Imp., egregiis pietatis et prudentiae documentis refertam. Eadem ipsum Lucianum et omnes qui ei suberant officiales palatinos scite instruit, quanta cura et diligentia, qua modestia et constantia, uti Christianos decet, suo quisque munere apud principem fungeretur.[1]) — Eodem tem-

Pierius.

pore in schola catechetica Alexandrina docuit *Pierius* presbyter, vitae sanctitate et doctrina insignis. Tractatum scripsit teste s. Hieronymo in Pascha et prophetam Osee, et Commentarium in epistolam primam ad Corinthios; imo Photius volumen duodecim librorum a Pierio scriptum esse asserit. Sed omnia Pierii scripta deperdita sunt.[2]) — Pierio successit (a. 282) ut scholae catecheticae Alexan-

Theognostus.

drinae magister *Theognostus*, pariter vir ob vitae sanctimoniam et doctrinam celeberrimus. Scripsit plena dictione et stylo perspicuo *Libros septem* diu jam deperditos, quos inscripsit *Hypotyposes* seu *Institutiones theologicae.* Ex Photii recensione colligitur, in iisdem de praecipius dogmatibus Theognostum fusius disputasse.[3]) Pauca tantum supersunt hujus operis fragmenta.[4]) — In Aegypto

S. Phileas.

quoque floruit ineunte saeculo quarto s. *Phileas* Thmuitanus Episcopus, qui fervente sub Maximino persecutione anno 310 vel 311 in urbe Alexandria martyrio coronatus

---

[1]) Hanc epistolam antiqua versione latina primum edidit d'Achery Spicileg. T. III. p. 297; suspicatus est autem, Theonam Cyzicenum Episcopum esse ejus auctorem. Sed Guil Cuperius Bollandista invictis argumentis probavit, eam Theonae Alexandrino tribuendam esse (Acta SS. Aug. T. IV. p. 583.), ejusque sententiam universim viri critici ratam habuerunt. — De Theona cf. Euseb. H. E. VII. 33.

[2]) Cf. Euseb. H. E. L. VII. c. 33; Hieron. de vir. ill. c. 76 et Epist. 2. ad Pammachium; Photius. Cod. 119. — Permaneder, Bibl. patrist. H. 2. §. 529. 530.

[3]) V. Photius Bibl. Cod. 106.

[4]) V. S. Athanas. de decretis Syn. Nicaenae c. 25; Galland. T. III. Migne P. G. T. X.

est. Ipse teste s. Hieronymo „elegantissimum librum *de martyrum laude* composuit,“[1]) in forma epistolari contextum et directum ad Tmuitanos; cujus fragmentum insigne nobis servavit Eusebius H. E. L. VIII. c. 10. Alia ejusdem s. Phileae *epistola Meletio Lycopolitano Episcopo nuncupata* saeculo transacto ab eruditissimo Scipione Maffeï e vetustissimo codice latino Veronensis Capituli evulgata est. Haec epistola quam in carcere detentus una cum tribus aliis Episcopis ad Meletium direxit, insigne monumentum est, quo tum disciplina Ecclesiae illustratur, tum schismati illi Meletiano, quod paulo post Aegyptum turbavit, lux affunditur.[2])

Arnobius.

9. *Arnobius* sub Diocletiano Imperatore Siccae in Africa florentissime Rhetoricam docuit. Is cum divinitus vocatus transitum ad fidem Christi pararet, circa a. 310. scripsit *Disputationum adversus Gentes libros VII,* quibus praecipue ostendit, deos irasci non posse, hinc et Christianos non esse causam malorum et calamitatum ingruentium, utpote cum non possint esse causa irae deorum; imo si dii possent irasci, debere eos potius irasci Gentilibus, qui eos indignissime haberent. Arnobius, abstrusae eruditionis auctor, ingenio et facundia praestans, cum duplex sibi pensum absolvendum proposuerit, nimirum ut et falsam Gentilium et veram Christianorum esse religionem evinceret, multo luculentius ethnicae superstitionis impietatem oppugnasse, quam christianae fidei veritatem ostendisse visus est.[3])

---

[1]) De vir. ill. c. 78.

[2]) V. Galland T. IV. p. 67. Migne P. G. T. X. — De s. Philea cf. Euseb. et Hieron. l. c.; Lumper P. XIII. p. 598; Permaneder l. c. §§. 537. 538.

[3]) Vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 79. et in Chronici sui initio; item ep. 58. n. 10. ep. 62. n. 2. et ep. 70. n. 5. Cf. Galland. T. IV. Prolegom. c. 8. Pagi ad a. 302. n. 15—16. Nourry T. II. Diss. II. (p. 257—570). Ceillier T. III. Chap. XXVII. (p. 373—87). Möhler Patrol. p. 906. Bähr II. Bd §. 34—37. — Arnobii libros VII. (quibus perperam olim Minucii Octavius tamquam liber octavus adjunctus erat) ed. Salmasius Lugduni Batavorum 1651. — Galland. T. IV. p. 131—224. — Migne P. L. T. V. — ed. Oberthür Wirceburgi 1783. in 8°. ed.

Lactantius.

10. L. Caecilius *Firmianus Lactantius*, Arnobii discipulus, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit, nedum deliciis, sub Diocletiano Imperatore accitus Nicomediae Rhetoricam docuit. Hic extrema senectute in Gallias evocatus est, ut Crispum Caesarem, Constantini M. filium, latinis litteris erudiret. Obiit, ut satis verosimile est, circa a. 330.[1]) Ejus Opera quae exstant sunt:

a) *Institutionum divinarum adversus Gentes libri VII*, in quibus de religione rebusque divinis disserit. Ibi primum omnes deorum religiones falsas esse demonstrat, et origines idololatriae detegit, tum etiam philosophiae, qualis tunc erat, vanitatem exagitat, eamque non esse sapientiam ostendit (lib. I—III.). Erroribus sic destructis auctoritatem s. Scripturae vindicat et mysteria salutis nostrae exponit, tum de universa morum doctrina breviter quidem, sed uberrime agit, verum Dei cultum docet, hisque promissum aeternae beatitudinis praemium consequens esse demonstrat (l. IV—VII.)[2])

b) *Epitome Institutionum divinarum* ad Pentadium fratrem, qua eandem doctrinam brevi conspectu ita exhibet, ut nec brevitas obscuritatem, nec prolixitas fastidium pariat.

J. C. Orellius Lipsiae 1816. in 8°. ed. Oehler Lipsiae 1846 in 8°. — Edition. textus critic. cur. Reifferscheid in Corp. Script. eccl. T. IV. Vindob. 1875. — Deutsch: übersetzt und erläutert von Besnard. Landshut 1842; v. Alleker Trier 1857. — Spurii sunt *Commentarii in Psalmos* eidem adscripti (qui Arnobium juniorem Gallum auctorem habent) et annotatiunculae quaedam in Evangelia.

[1]) Euseb. in Chron. ad a. Chr. 319. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 80. ep. 70. n 5. et ep. 84. n. 7. Cf. Galland. T. IV. Prolegom. c. 9. Nourry Appar. T. II. Diss. III. (p. 571—1172.) et Diss. VI. (p. 1643 seqq.). Fr. Eduardi a S. Xaverio Dissertt. Lactant. Decas. I. et II. Romae 1754. 2 Tomi in 8°. (Editionis Lactantii Tom. VIII. et IX.). Oberthür Praefat edit. Wirceburg. T. I. p. XIII—LXXX. Möhler. Patrol. p. 917. Bähr. II. Bd §. 38—46.

[2]) Operis hujus consilium et dispositionem ipse Lactantius exponit Instit. divin. lib. 5. c. 1. et 4. Caeterum de hoc Opere conferri meretur J. H. Spijker Dissertatio de pretio Institutionibus divinis Lactantii tribuendo. Lugduni Batav. 1826.

c) *Liber de opificio Dei*, scriptus tempore persecutionis, in quo illud ipsi propositum est, ut ex hominis creatione, totiusque corporis ejus compage, nec non ex ipsius animae natura unum et omnipotentem esse Deum demonstret, cujus admirabili providentia et mundus, et omnia, quae in eo sunt, regantur et administrentur. Lactantius.

d) *Liber de ira Dei* pulcherrimus, scriptus contra eos, qui existimabant, Deum irasci aut malos punire ex natura sua non posse. In hoc Opere illud unum intendit auctor, Deum summe justum, sicut bene merentes promissis praemiis cumulat, ita ob malam hominum mentem commissaque ab iis delicta poenas peccantibus infligere; quam doctrinam confirmat argumentis undique conquisitis.

e) *Liber de mortibus persecutorum* ad Donatum Confessorem, quo non solum singulas persecutiones, a Romanis Imperatoribus contra Christianos motas, accurate delineat, verum etiam divinam justitiam omnibus manifestam reddit ostendens ex historia, omnes, qui Christianos persecuti sunt, in extremas denique calamitates incurrisse et misero mortis genere periisse.[1])

Scribendi genere Lactantius ita inter Scriptores ecclesiasticos latinos eminet, adeo purus, elegans et perspicuus est, ut summo jure „fluvius eloquentiae Tullianae“ et Cicero christianus dictus fuerit.[2]) Caeterum egregie quidem Gentilium superstitiones debellavit, sed non aeque christianam fidem praeclare exposuit.[3])

---

[1]) Liber hic seorsim prodiit sub titulo: Lucii Caecilii de mortibus persecutorum cum Notis Steph. Baluzii ed. P. Bauldri. Trajecti ad Rhenum 1693 in 8°. — eodem pariter titulo edidit cum praeclara Dissertatione Nicolaus le Nourry (e Congregat. S. Mauri). Parisiis 1710 in 8°. — ed. Hurter Opusc. PP. T. XXII. — vers. germ. Jansen, Kempten 1875.

[2]) Vid. Lactant. Instit. divin. lib. 3. c. 1. Cf. Kortholt: De Cicerone Christiano sive eloquentia Lactantii Ciceronia. Kil. 1711.

[3]) S. Hieronym. ep. 58. n. 10. ep. 70. n. 5. — Edit. praestantiores: recens. Bünemann Lipsiae 1739. in 8°. — ed. Le Brun et Lenglet. Paris 1748. 2 Tomi in 4°., quae recusa est Wirceburgi 1783. 2 Tomi in 8°. Biponti 1786. 2 Voll. 8°. — ed. Galland. T. IV. p. 225 - 456. — Eduard. a S. Xaverio ed. Lactantii Opera Notis et Dissertt. illustrata Romae 1754—59. 14 Voll. in 8°. — ed. Fritzsche Lipsiae 1842—44.

Firmicus Maternus.

11. Julius *Firmicus Maternus* denique circa a. 340.[1]) librum *de errore prophanarum religionum* scripsit, quo fabulas de diis Gentilium narratas tamquam impias, absurdas, turpesque traducit, idola et omnem cultum deorum falsorum gravissimis argumentis evertit et Imperatores christianos obsecrat, ut idola Gentiliumque sacra violenter destruant.[2])

Caput IV.

De SS. Patribus, qui maxime divinitatem Filii et Spiritus S. saeculo IV. illustrarunt ac defenderunt.

§. 83.

Conspectus et character hujus aevi.

Conspectus aevi.

Haud multo post saeculi quarti initia, quum per decem ferme annos extrema persecutio sub Diocletiano et Maximiano, iterumque sub Galerio et Maximino Christianos dire afflixisset, inde ab anno 313 cruentae persecutiones cessarunt, et tranquilla pace Christianis frui licuit,

---

Voll. 2 in 8°. — ed. Migne P. L. T. VI. VII. — Opera hujus auctoris dubia sunt: *Symposium*, ingenii praecocis lusus poëticus in Saturnalia (ed. Heumann Hanoverae 1722 8°.), Carmen *de Phoenice* (seu de ortu obituque avis Phoenicis), et Carmen de *Passione Domini* (quod Galland. l. c. n. 9. strenue defendit). Alia quaedam Lactantii scripta a s. Hieronymo de viris ill. c. 80. citata interierunt.

[1]) Sola temporis ratione habita Firmicus Maternus auctoribus saeculi III. jungendus non fuisset; attamen similitudo materiae suasit, ut a cognatis scriptoribus eum non sejungerem, sed hic potius collocarem.

[2]) Cf. Galland. T. V. Prolegom. c. 3. — J. Hertz Diss. de Jul. Firmico Materno ejusque libello Havniae 1817. — Bähr. II. Bd. §. 53. Edit. in Galland. T. V. p. 21—39. — ed. Münter Havniae 1826. recus. cum ejusdem Prolegom. in Migne Patrolog. Curs T. XII. p. 971—1050. — item ed. Oehler cum Minucii Felicis Octavio Lipsiae 1847 in 8°. — ed. cum Minucio Felice Halm, Corp. Script. eccl. T. II. Vindobonae 1867.

maxime ab eo tempore, quo devictis aemulis Imperium Romanum Constantinus Magnus solus obtinuit. Is, licet baptismo nondum initiatus, sed tantummodo Catechumenus, principiis tamen fidei christianae sincero animo addictus, religionem Christi, quo meliori potuit modo, fovit, plurimis beneficiis ornavit, eamque subditis commendavit. Principis ad exemplum plurimi, vel adulatione studioque placendi Constantino ducti, vel terrenis lucris inhiantes, ethnica superstitione abjecta, ad sacra christiana transierunt. Imperii successores, modo excipias Julianum, qui non per integrum biennium regnavit, eandem tenuere viam, quam Constantinus primus ingressus fuerat. Calumniae olim in Christianos jactatae, cum religio christiana ejusque interna ratio omnium oculis pateret, veluti leves nebulae irradiante sole, dissipatae sunt. Hinc praecipuis apologiarum causis sublatis hoc scriptionis genus in posterum fere cessavit. Unde qui saeculo quarto calamum in Gentiles strinxerunt sancti Patres, istis omnibus missis, vel Gentilibus, qui adhuc in erroribus pristinis haerebant, persuadere et luculenter demonstrare conabantur, solam religionem christianam doctrinam et cultum esse rationabilem, Deo homineque dignum; alius futiles et inanes Juliani conatus deridebat, triumphum de prostratis diis agens; alius denique reliquiis ethnicae religionis exstirpandis intentus erat. Conspectus aevi.

Verum alia quaedam res verae fidei patronos multo magis exagitavit, omnesque eorum vires intendit. Nova scilicet et gravissima circa a. 318 exorta est haeresis, superstitionis Gentilium surculus, quae fundamentum fidei nostrae evertere, ac religionem christianam penitus destruere, imo etiam Christianos arctissimo nexu cum Deo conjunctos longissimo iterum intervallo ab eodem separare et removere conabatur. Haeresis ista *Ariana* fuit, quae eo periculosior evasit, quanto altius adhuc ethnica cogitandi ratio multorum animis insedit, quanto gravior auctoritas et major videbatur eruditio illius, qui hunc errorem primus excogitavit, quanto magis denique Imperatores christiani complures huic errori tuendo et stabiliendo

Conspectus aevi.

omnes Imperii sui vires impendebant. Haeresis illius auctor *Arius* erat, presbyter ecclesiae Alexandrinae, vir vaferrimus, gloriae appetens, dialecticae artis aliarumque disciplinarum peritissimus, qui ementita pietatis specie hominum animos sibi conciliabat.[1])

Arius expressiones et loquendi formulas solemni usu ecclesiastico dudum receptas, ope dialecticae artis ita interpretatus est, ut sublimissimum divinae Trinitatis mysterium prorsus extenuaret et humanae rationi pervium redderet;[2]) insuper sensus ecclesiastici expers et accurata dogmatum notitia destitutus ad s. Scripturam litterali sensu interpretandam accedens, inde errores suos plurimum confirmare studuit;[3]) denique poëticae artis haud ignarus carmina confecit, quibus haereticum virus ubique spargeret in vulgus.[4]) Innixus igitur Arius doctrina ecclesiastica, quae *Deum Patrem ingenitum, Filium* vero *genitum* constanter asserit discrimen *personarum* ea ratione indicans, istis vocibus *naturae* seu *substantiae* Patris et Filii differentiam designari perperam contendit; et generationem divinam necessariam ad instar humanae fortuitae animo concipiens inde nova sua haeretica dogmata, tamquam consectaria, deduxit. Sic autem ratiocinatus est:

---

[1]) S. Epiphan. haeres. 69 n. 3. Socrat. Hist. Eccles. lib. I. c. 5. Sozom. Histor. Eccles. lib. I. c. 15. Theodoret. Hist. Eccl. lib. I. c. 2. et 3. Framento insigne di Storia ecclesiastica del quarto secolo, pubblicato dal M. Scip. Maffei (in S. Athanasii Opp. ed. Maur. T. III. p. 83).

[2]) S. Gregor. Nazianz. Or. 27. n. 2.

[3]) Luciani presbyteri Antiocheni, qui interpretationi litterali s. Scripturae promovendae insignem navaverat operam, discipulum se fuisse simul cum Eusebio Nicomediensi, gloriatur Arius, s. Epiphan. haer. 69. n. 6.; cf. D. Petavii Animadvers. ad h. l. Hic s. Lucianus, qui a. 312. Nicomediae martyr occubuit, Septuaginta interpretum textum graecum ex hebraicis exemplaribus, erroribus librariorum sublatis ad primaevam puritatem restituere conatus est. A s. Hieronymo (de viris ill. c. 77.) memorantur quoque ejus *libelli fidei* et *breves ad nonnullos epistolae.* Ariani quidem in sua haeresi tuenda ad eum provocaverunt, et quidam ex antiquis Scriptoribus eum doctrinae non orthodoxae arguunt. (Cf. Epiphan. Ancorat. c. 33; Theodoret. H. E. L. I. c. 3. 4.) S. Hieronymus tamen (l. c.) et s. Chrysostomus, (Homil. in s. Lucianum) nihil ejusmodi innuunt. Si qui fuerunt naevi involuntarii in doctrinis Luciani, glorioso sane martyrio ipse eosdem diluit. Cf. Hefele C. G. T. I. p. 258. 524. (ed. 2.); Nirschl. Patrol. I. p. 356; Jungmann Dissert. I. p. 414.

[4]) Philostorg. Histor. Eccles. lib. 2. n. 2.

Si Pater vere est ingenitus, Filius autem genitus, Pater et Filius ita inter se differunt, ut ille principio careat, hic principium quoddam habeat; qui autem principio indiget non est Ens absolutum, neque infinitum, adeoque non est vere et proprie Deus. Itaque unus solus est verus Deus Pater; Filius seu Verbum (λόγος) non est nisi creatura, omnium tamen prima et suprema, quam Pater voluntate sua, sicuti reliquas omnes res creatas, ex nihilo (ἐξ οὐκ ὄντων) produxit, ita tamen, ut Filio tamquam organo uteretur ad creandam rerum omnium universitatem, quia mundus visibilis immediatam Dei actionem ferre non posset.[1]) Filius Dei seu Verbum Patris igitur recte Primogenitus creaturae vocatur, cum sit ipse creatura reliquas omnes res creatas longissime superans. Si autem Filius est creatura, alterius seu diversae a Patre est substantiae, et neque Patrem perfecte videre, neque Patrem aut semetipsum intellectu penitus comprehendere valet;[2]) porro illud etiam cum rebus creatis commune habet, ut ex natura sua mutabilis sit, adeoque voluntas ejus tam ad bonum, quam ad malum inclinare potuisset.[3]) Deus vero, cum praevidit illum bono et honesto constanter adhaesurum esse, eum ita exaltavit, ut omnibus entibus creatis ratione praeditis, sive angelis, sive hominibus, plurimum antecelleret, et Filius Dei, imo etiam Deus, non tamen vero et proprio sensu, appellaretur. — Quodsi demum Filius a Patre genitus est seu factus, et genitor semper existit ante eum, qui genitus est; ergo Deus aliquando non erat Pater, et Filius non est vere aeternus, licet ante reliquas omnes res creatas a Patre fuerit factus.[4]) — Impiam hanc doctrinam collectis omnibus s. Scripturae locis, in quibus sermo est de Dominicae Incarnacationis mysterio et de humili conditione a Verbo divino propter salutem humani generis suscepta, confirmare studuit; locos vero, in quibus aeterna ejusdem divinitas, et inexplicabilis apud Patrem gloria adstruitur, in alienum sensum detorquere non erubuit. Insuper non solum ipse Arius ad impias suas sententias adstruendas arte dialectica usus est,[5]) verum et multo magis ejus

Arii doctrina.

---

[1]) Arius ap. s. Athanas. Orat. II. contra Arianos n. 24. Orat. I. n. 5. — Quo autem sensu illud: Factum esse Filium ἐξ οὐκ ὄντων, intelligi voluerit Arius, ipse declarat in epistola ad Euseb. Nicomed. apud Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 5.

[2]) Arius ipse in Thalia sua apud s. Athanas. Orat. I. contra Arian. n. 6. Cf. Philostorg. Hist. Eccles. lib. 2. n. 3.

[3]) S. Athanas. Orat. I. contra Arian. n. 35.

[4]) Arius ipse in Thalia apud s. Athanas. Orat. I. contra Arian. n. 5—6. et de Synodis n. 15—16, item apud s. Epiphan. haeres. 69. n. 6—8. S. Alexander Episcopus Alexandrinus ap. Socr. lib. I. c. 6. et ap. Theodoret. lib. I. c. 4. et 5.

[5]) Socrat. lib. I. c. 5. Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 4.

asseclae, in quibus praecipue memorandi veniunt Aëtius ejusque discipulus Eunomius, artibus dialecticis, maxime variis et subtilibus argutiis ex *Aristotele* petitis, augustissimum Trinitatis dogma destruere praesumserunt.[1])

Arii fata.

S. Alexander, Episcopus tunc Alexandriae, communi omnium suffragio ex coetu Ecclesiae, quae Christi divinitatem adorat, Arium ejusque sequaces ejecit [2]) Sed cum Arii haeresis multis potentissimis illius aetatis arrideret Episcopis, maxime Eusebio Nicomediensi,[3]) et nonnullorum patrocinio Imperatorum fulciretur, gravissimae inde prognatae sunt dissensiones; atque Episcopi, non minus omnigena eruditione, quam vitae sanctitate celeberrimi, Filii divinitatem contra temerarios et impios istos assultus defendendam susceperunt. Ex his immortalem sibi nominis gloriam pepererunt s. Athanasius et s. Basilius, uterque s. Gregorius Nyssenus et Nazianzenus, s. Ambrosius et s. Epiphanius.

§. 84.

Continuatio.

Interna vero dissidia Arii sequaces mox in varias partes distrahebant. Alii enim, Ariano dogmati stricte inhaerentes, ducibus praesertim Aëtio et Eunomio, vel

[1]) S. Epiphan. haeres. 69. n. 69. et haeres. 76. n. 2. et 10. S. Gregor. Nyss. contra Eunom. lib. I. S. Basil. adv. Eunom. lib. I. n. 5. et 9. S. Gregor. Nazianz. Orat. 32. n. 25. Orat. 28. n. 11. et Orat. 21. n. 12—13. S. Ambrosius de Fide lib. I. c. 5. n. 42. et Exposit. in Ps. 118. Serm. 22. n. 10. S. Hieronymi Comment. in Nahum c. 3. v. 13. Socrat. Histor. Eccles. lib. 2. c. 35. Rufini Histor. Eccles. lib. 10. c. 25. Eodem denique titulo istos haereticos, „qui nihil aliud quam Aristotelem ructant, et illius potius disciplina, quam s. Scripturarum cognitione sese jacticant," perstringit s. Cyrillus Alexandr. Thesaur. *Λογ.* XI.

[2]) S. Alexander Alexandr. in Theodoreti Histor. Eccles. lib. I. c. 4. et Arius ipse ibidem c. 5. Socrat. l. c. Sozom. l. c. — Monumenta historica, quae ad Arii depositionem spectant, optime exhibet Editio Opp. s. Athanasii Maurina T. I. p. 313—17.

[3]) Theodoret. Hist. Eccles. lib. I. c. 6.

Eunomiani vel Anomoei vocati sunt, quia dissimilem esse Patris et Filii substantiam defendebant, ipso Ario praeeunte.[1]) Alii vero, ut impietatem istam mitigarent, asserebant quidem, non ejusdem esse substantiae Patrem et Filium, sed concedebant tamen, Filium habere similem cum Patre substantiam; et hi vocabantur Semiariani, quorum doctrina saepenumero proxime accedebat ad fidem catholicam, et quos idcirco ss. Patres multo mitius habebant, ut eos leni et benigna agendi ratione ad fidem catholicam sincera amplectendam et aperte profitendam traducerent. — Ista haeresis Arii mox post medium saeculum IV. aliam novam peperit, quae divinitatem Spiritus sancti negabat. Si enim Filius diversae a Patre est substantiae, certe etiam Spiritus sanctus non ejusdem cum Patre est substantiae, quippe cum Spiritus sanctus ex Patre *Filioque* procedit, atque a Filio mittitur; superior autem ab inferiori non mittitur. Hujus novae haeresis fundamenta dudum Arius[2]) jecerat; sed primum disputationis fervor de Filii divinitate adeo incaluit, ut ss. Patres de Spiritus sancti divinitate ab initio minus disputarent. Sed cum ii ex Arianis, qui ex principiis systematis sui omnia derivare consectaria minime verebantur, et in his praecipue Macedonius, Episcopus Constantinopolitanus, Semiarianorum partibus addictus, divinitatem, nec non eandem Spiritus sancti cum Patre et Filio naturam negarent, Pneumatomachi propterea dicti,[3]) tunc iidem ss. Patres non minus strenue dogma de Spiritus sancti divinitate

Arianorum sectae.

[1]) Verba sunt Arii: *Ἀνόμοιοι πάμπαν ἀλλήλων ταῖς τε οὐσίαις καὶ δόξαις εἰσὶν ἐπ' ἄπειρον* (*ὁ τε πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα*). S. Athanas. c. Arian. n. 6.

[2]) Arius ipse apud s. Athanas. Orat. I. c. Arian. n. 6. et n. 8. (vid. Not. praeced.) et de Synod. n. 16. Epist. I. ad Serap. n. 2. S. Hilarius de Trinit. lib. 2. n. 4.

[3]) De Macedonio et ejus asseclis Socr. Hist. Eccles. lib. 2. c. 12. 13. 15. 16. 23. 27. 38. 42. et 45. Sozom. lib. 3. c. 7. 8. 9. 24. lib. 4. c. 2. 3. 20. 21. 24. 26. 27. Theodoret. Hist. Eccles. lib. 2. c. 6 et Haeret. Fabul. lib. 4. c. 4. Quam diversas autem sententias Macedoniani seu Pneumatomachi de Spiritu S. foverint, ostendit s. Gregor. Nazianz. Orat. 31. n. 5. Cf. s. Epiphan. haeres. 74.

tuebantur, ut *vindices totius SS. Trinitatis* recte appellari mereantur.

Apollinarii error.

Demum eodem saeculo quaestiones, in istis haeresibus agitatae, ad fontem sive originem suam redierunt. Et quum nec antiqua haeresis Gnosticorum, nec haeresis Ariana, per quas Incarnatio Christi desinebat esse mysterium supra humanam rationem elatum, subsistere posset, aliam viam illud evacuandi excogitavit Apollinarius Macedonii discipulus,[1]) qui post medium saeculum quartum statuit, Dei Verbum non assumsisse mentem humanam, sed carni humanae, animam rationalem non habenti, fuisse unitum, ita ut locum animae ratione praeditae in Christo occuparet divinitas.[2]) Contra hunc arenam ingressi sunt Patres fere omnes supra laudati et s. Damasus Pontifex Romanus.

Oppugnatio Arianismi.

Tunc etiam sancti Patres frequentius s. Scripturae interpretandae operam dederunt; eum vero scopum hac in re sibi praefixum habuerunt, ut vel dogmata in controversiam vocata firmarent, vel mores degenerantes recte formarent. Unde Patres Graeci, qui sensum magis litteralem sequebantur, plerumque nonnisi singula loca, quae vel fidei orthodoxae solidum praebebant fundamentum, vel ab adversariis in sensum alienum detorquebantur, parvis tractatibus explanarunt, aut s. Scripturae libros, qui sensum moralem suapte natura fundebant, continua expositione illustrarunt. Patres vero Latini fusiori calamo Commentarios exarare coeperunt, quibus totos s. Scripturae libros sensu plerumque allegorico et morali exponebant, quia isthaec interpretandi ratio frequentem dabat ansam, disputandi de fidei doctrina et praeclara morum

---

[1]) Justiniani Imp. Epistola ad Synodum oecumen. V. (Mansi T. IX. col. 581), lecta in Collat. I. ejusdem s. Synodi (Mansi ibid. col. 178).

[2]) Vide Justinian. Imp. l. c. S. Gregor. Nazianz. ep. 101. 102. et 202. Leont. Byzant. Liber in eos, qui proferunt nobis quaedam Apollinarii, falso inscripta nomine ss. Patrum. (Canisii Lectt. Antiq. ed. Basnage Vol. I. p. 600 seqq. et Galland. T. XII. p. 701 seqq.). S. Epiphan. Haeres. 77. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 104. S. Vincent. Lirin. Commonitor. c. 11. et 12.

praecepta eliciendi. Eandem ob causam tam Graeci, quam Latini Patres praecipue Psalmis interpretandis operam navarunt. Caeterum cum omnis eorum argumentatio, qua haeresin prosternebant, ex s. Scriptura potissimum petita esset, plurima illius loca in Operibus ss. Patrum polemicis praeclare illustrata inveniuntur.

Institutum Monachorum.

Novum demum saeculo quarto ineunte introduci coepit vitae genus monachorum, quod, auctore Antonio, Pachomio aliisque mox longe lateque diffusum, apicem perfectionis christianae assequi contendit. Vitam hanc Patres hujus aevi fere omnes vel ipsi aliquamdiu tenuerunt, vel aliis sequendam summopere commendarunt, eamque vivendi rationem professos saluberrimis monitis et consiliis instituerunt, ad profectum vitae internae et spiritualis eos instigarunt, atque omne virtutum genus Christianis inculcarunt, praecipue virginitatem seu statum coelibem, qui genio religionis christianae accomodatus atque in consilio Jesu et Apostolorum fundatus monachis imprimis congruebat. Praecepta autem morum et media perveniendi ad vitae christianae perfectionem ss. Patres hujus aevi frequenter consignarunt in scriptis ad monachos directis, quae tamen nihilominus omnibus Christianis, et praesertim Clericis, utilissima sunt. Quamvis enim negari non possit, duplici statu Christianorum vitam distingui mundano et religioso, uterque tamen, diverso licet tramite, ad eundem terminum tendit; et quod attinet ad praxin virtutum, ad mundi contemtum, ad paupertatem spiritus, ad amorem crucis, par utriusque conditio est; unum et idem Evangelium omnibus praedicatum est; cumque Deus nihil praecipiat, nisi caritatem, nihil prohibeat nisi cupiditatem, nulla in his differentia, nulla exceptio personarum reperitur. Et sic pleraque in illis ss. Patrum scriptis Christianis omnibus ad salutem proficere possunt, quamvis nonnulla solis monachis congruant. — Multi etiam in Homiliis seu Sermonibus ad populum habitis illa aetate morum praecepta sibi explicanda sumserunt, singulas virtutes omni studio commendarunt, vel a quibusdam vitiis dehortati sunt; ac quo efficacius utrumque agerent, exempla

Doctrina moralis.

Sanctorum, vel ex historia priorum temporum vel ex ipso s. Codice desumta, auditoribus suis imitanda proposuerunt. — Ea vero ratione nullum vitae christianae officium intactum omiserunt; atque eo profundius et luculentius de virtutibus et vitiis disseruerunt, quo penitius cognoverunt vitae christianae fundamentum, quod fidei christianae dogmata constituunt, et quo magis intimum nexum doctrinae Christi moralis cum dogmatica perspexerunt ac demonstrarunt. Sed quoniam non omnes Patres discrimen, quod inter praecepta stricte talia et consilia intercedit, satis ubique attenderunt, ideam potius vitae christianae neglecto illo discrimine proponentes, hinc ex sanis Theologiae moralis principiis in Patrum hujus aevi scriptis praecepta et consilia sedulo discernere oportet, ne grave et intolerabile jugum ex verbis ss. Patrum promiscue adhibitis conficiatur, neve, qui nimium petit, nihil fortassis accipiat.

Patribus hujus aevi haud incongrue praemittitur Eusebius Caesariensis, qui tot in historia, in chronologia, in antiquitatis notitia ingenii sui specimina dedit, ut cum primis Ecclesiae Scriptoribus censeri mereatur. Tum vero, ne Caput hoc indivisum nimiam excrescat in molem, illud in tres Sectiones distinguere visum est opportunum. Itaque I. Sectione exhibentur Patres illi, qui primum Arianorum impetum, sub Constantino praecipue et Constantio, tam in Oriente quam in Occidente sustinuerunt; II. Sectione proponuntur, qui in Oriente alterum impetum fortissime exceperunt sub Valente, ac haeresin Arianam postmodum fere contriverunt; III. demum Sectione describuntur, qui eodem tempore in Occidente haeresin Arianam funditus exstirpare conati sunt.

SECTIO I.

§. 85.

Eusebius Caesariensis Episcopus. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Eusebii ipsius Opera. — S. Athanas. de decretis Nicaenae Synodi n. 3. De Synodis n. 13. et 17. Apolog. contra Arian. n. 77. 87. Epist. ad Afros, n. 6. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 81. Apolog. adv. Rufin. lib. I. n. 8. 9. et 11. Praefat. in librum de situ et nomine locorum hebraicorum, et saep. — Socrat. H. E. lib. I. c. 1. et 23. lib. 2. c. 4. 20. 21. lib. 3. c. 23. — Sozom. H. E. lib. I. c. 1 et saep. — Theodoret. H. E. lib. I. c. 11. 20. 21. — Phot. Cod. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 39. 118. et 127.

Subsidia: H. Valesius de Vita Scriptisque Eusebii Caesar. (praemittitur Eusebii Historiae Ecclesiasticae ab eodem H. Vales. gr. et lat. editae.) — Ang. Majus in Praefat. ad Collect. Nov. Veterum Scriptorum Romae 1831. Vol. I. P. I. p. X. seqq. — M. Hanke Eusebii Pamphili Vita in ejusdem Libro de Byzantin. rerum Scriptoribus graecis P. I. c. I. (Lips. 1677 p. 1—130). — Christ. Ernesti Dissertatt. duae de Eusebio Caesar. Wittenberg 1688. recus. ibid. 1703. 4°. — Dupin T. II. p. 3—24. — Ceillier T. IV. (ed. 2. T. III.) — Cave Histor. litterar. Vol. I. p. 175—83. — C. Oudin T. I. col. 312—17. — J. A. Fabricius Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 335—409. — Stein Eusebius v. Caesarea. Würzburg 1859. — Cf. Chevalier s. v. Eusèbe.

Eusebius Pamphili,[1]) frater vel consobrinus alterius Eusebii Nicomediensis Episcopi,[2]) circa a. 270. natus in

[1]) Arctissimo amicitiae vinculo s. Pamphilo, qui martyrium passus est a. 309. in persecutione Maximini Dajae, conjunctus fuit Eusebius noster; unde ut sancti martyris memoriam jugiter servaret, seque venerari profiteretur, Pamphili nomen suo adjunxit. (S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 81. et ep. 84 n. 11. Phot. Cod. 13.) — In eadem persecutione ipse quoque Eusebius captus et in carcerem missus redemtae per oblatum idolis sacrificium libertatis incurrit suspicionem (s. Athanas. Apolog. c. Arian. n. 8. s. Epiphan. haeres. 68. n. 7.), non satis quidem merito, utpote qui tam graviter lapsus non potuisset ad episcopalem dignitatem assurgere. Cf. Vales. Vita Euseb.

[2]) S. Epiphan. haeres. 69. n. 6.

Eusebii Caesar. Vita.

Palaestina ac educatus, in sacris litteris praeceptorem habuisse videtur Dorotheum Eunuchum, Antiochensis Ecclesiae presbyterum.[1]) Tempore persecutionis Diocletiani, Galerii et Maximini partim in Palaestina, partim in Aegypto vitam egit. Persecutione sedata et pace Ecclesiae reddita Eusebius communi omnium consensu Caesareae in Palaestina Episcopus est constitutus (a. 314.). Haeresi Ariana emergente Eusebius aperte in Arii partes inclinavit, eumque contra Alexandrum, Episcopum Alexandrinum, in suam recepit tutelam[2]) Dissidentibus inter se Episcopis, et his Alexandri, illis Arii partes foventibus, Constantinus Imperator, ut tanto malo mederetur, generalem Episcoporum Synodum ex universo orbe christiano congregavit in Bithyniae oppido Nicaea. In hoc Concilio Arii causa sedulo discussa, Eusebius fidei catholicae symbolum Patribus obtulit, ab omnibus probatum, quod illi etiam nonnihil auctum et immutatum, utpote in praecipuo controversiae momento non satis luculentum, postea promulgarunt; additum quippe est huic fidei formulae, quam Eusebius proposuerat, vocabulum ὁμοούσιος, quo Filium ejusdem esse cum Patre essentiae, aeternitatis et gloriae disertius adversus Arium declararent. Haesit aliquamdiu ad hoc vocabulum Eusebius, donec re bene perpensa Patrumque sensu post accuratum examen plenius percepto assensum lubens praebuit.[3]) Abhinc vero neque catholi-

---

[1]) Euseb. Hist. Eccles. lib. 7. c. 32.

[2]) Eusebii ipsius Epist. ad s. Alexandrum in Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 316—17.), item Eusebii epistola ad Euphrat. apud s. Athanas. de Synodis n. 17. et in Concil. Nicaen. II. Act. V. (Mansi T. XIII col. 176—77) et Act. VI. (ibid. col. 317). Arius in epist. ad Eusebium Nicomed. apud Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 5.

[3]) Eusebius apud s. Athanas. de decret. Nicaenae Synodi n. 3. et ipsa Eusebii epistola in fine ejusdem Operis s. Athanasii item apSocr. lib. I. c. 8. et Theoboret lib. I. c. 12. cf. s. Athanas. de Synodis n. 13. Epist. ad Afros n. 6. — Nonnulli etiam asserunt, id ei honoris fuisse a Concilio delatum, ut Imperatorem Synodum ingredientem Sermone panegyrico exciperet, et primum ab ejus dextra locum occuparet. Sozom. Hist. Eccles. lib. I. c. 19. Euseb. de Vita Constant. lib. III.

licam doctrinam constanter defendit, neque ad Arii partes omnino deflexit, quamvis Arianorum Conciliis saepius interesset, atque strenuissimum fidei catholicae patronum, s. Athanasium, palam etsi non ob causam fidei damnaret.[1]) Cum vero in turbis Arianis s. Eustathius Episcopus Antiochiae depositus fuisset, Eusebius, disciplinae ecclesiasticae fidelis observator, Episcopatum Antiochenum, a populo et Imperatore sibi oblatum recusavit.[2]) Idem ille Imperatori Constantino, quem etiam genere longius contingebat, imprimis carus erat, adeo ut Imperator Eusebium absentem saepe per litteras salutaret, praesentem nullis non honoribus cumularet.[3]) Tandem Eusebius cum dubiae fidei, neque vero dubiae eruditionis fama in communione nihilominus Ecclesiae quievit, aliquot post obitum Constantini annis, scilicet anno 310.[4]) Eusebii Caesar. Vita.

Eusebius hic, mirae eruditionis homo, non solum in divinis Scripturis versatissimus, quaecunque tota retro antiqua Ecclesia in medium protulerat, quaecunque omnes ab incunabulis Ecclesiae Scriptores ecclesiastici exaraverant, scripta probe novit, ita ut horum nihil ejus notitiam fugerit; sed etiam in Poëtarum, aliorumque Gentilium Scriptorum libris exercitatissimus fuit.[5]) Maxime vero Origeni,

---

c. 11. et ibidem lib. I. c. 1. cf. H. Vales. Vita Euseb. et Nota in Euseb. l. c. Alii tamen veterum et recentiorum hac in re dissentiunt, ut Theodoret. Hist. Eccles. lib. I. c. 7. et C. Baron. ad a. 325. n. 54—55. cf. Pagi ad a. 325. n. 21—22.

[1]) S. Epiphan. haeres. 68. n. 7. S. Athanas. Apolog. c Arian. n. 8—10. et n. 87. Sozom. Histor. Eccles. lib. 2. c. 25.

[2]) Socrat. Hist. Eccles. lib. 1. c. 24. Euseb. de Vita Constant. lib. 3. c. 59—62.

[3]) Eusebius Caesar. frater vel consobrinus erat Eusebii Nicomed. (v. supra); Eusebius autem Nicomed. familiae Constantini Imperatoris cognationis vinculo junctus erat (Ammian. Marcellin. lib. 22. c. 9.). Quam familiariter Eusebio nostro usus sit Constantinus Imp., ex Eusebii libris de Vita Constantini passim elucet, ex. gr. lib. 1. c. 28.

[4]) Socrat. Histor. Eccles. lib. 2. c. 4. et 5.

[5]) Sozom. lib. 1. c. 1. Antipater Bostrensis Contradict. in Eusebii defens. pro Origene lib. I. citatus in Concil. Nicaen. II. Act. V. (Mansi T. XIII. col. 177. et 180.). S. Basilius de Spiritu S. n. 72 S. Hieronym. ep. 84 n. 10. Apolog. adv. Rufin. lib. 2. n. 16. de Scrip-

Eusebii Caesar. Vita.

cujus nominis gloria potissimum Caesareae florebat, et quem dilectissimus Eusebii amicus s. Pamphilus summa veneratione coluerat, impense addictus erat.[1]) Verum quantacunque viri hujus fuerit eruditio sacra atque profana, ingenii tamen acumine et profunditate non satis pollebat, ut in haeresi Ariana verum accurate perspiceret, et gravissimum illius quaestionis momentum intelligeret. Quapropter non olim tantum, sed recentiori quoque aevo multum disputatum est inter eruditos, utrum Arianus habendus sit Eusebius, nec ne.[2]) Res isthaec ita se habere videtur. Initio quidem Arianae haeresis Eusebius multum propendebat in partes Arii; in Concilio autem Nicaeno formulae orthodoxae sincere subscripsit. Ast in Platonicorum scriptis librisque Origenis diu multumque versatus exinde nova quaedam hausit, et phrases minus commodas, quandoque etiam periculosas, in chri-

---

tor. eccles. c. 81. Praefat. in librum de situ et nomin. locorum hebr et Praefat. Chron. Euseb.; Nicephor. Histor. Eccles lib. 6. c. 37.

[1]) De isto s. Pamphili studio in Origenem vid. s. Hieronym. ep. 34. n. 1. et de Scriptor. eccles. c. 75. Phot. Cod. 118. et 119. Dum s. Pamphilus in carcere jacebat, cum Eusebio quinque composuit libros pro Origenis defensione, quibus post mortem s. martyris sextum adjecit solus Eusebius. Vid. I. c. et cf. s. Hieronym. adv. Rufin. lib. 1. n. 8—10. lib. 2. n. 15—16. ep. 84. n. 10—11. Exstat ejus Operis primus tantum liber a Rufino latine redditus in Origenis Opp. ed. de la Rue T. IV. Append. p. 1—48. et in Galland. Biblioth. T. IV. p. 7—40. Cf. ibid. Prolegom. c. 1. Benigne tamen hac in parte de Eusebio judicavit P. Pelagius II. epist. 7. (Mansi T. IX. col. 452—53). — S. Pamphilus pro magno suo erga divinas litteras studio etiam insignem Bibliothecam Caesareae exstruxit, in eoque celebriorum Ecclesiae Scriptorum libros quos undequaque collegerat, reposuit, praecipue vero Origenis opera, quorum maximam partem sua manu descripsit (Cf. s. Hieron. de viris ill. c. 75.) Ex Origenis Hexaplorum autographo graecam Septuaginta Interpretum versionem, emendata recensione adornavit in usum ecclesiarum Palaestinae, unde *versio Palaestina* eadem appellata est. Ei quoque adscribitur distributio Actuum Apostolorum in quadraginta capita, cum brevi expositione (ἔκθεσις) inscriptionis singulorum capitum. Memorant demum s. Hieronymus (adv. Rufin. L. 1. c. 9.) et Photius (cod. 118) ejus ad amicos epistol., quae deperditae sunt.

[2]) Plurima Veterum testimonia, tam eorum, qui in hac quaestione pro Eusebio steterunt, quam eorum, qui contra illum egerunt, prae-

stianam theologiam temere et incaute transtulit. Ita inter fidem orthodoxam atque perfidiam Arianam per omnem vitam veluti medius haesit, rei veritate et gravitate nunquam satis cognita.[1]) Haud immerito tamen Arianis accensetur, tum quod semper ex parte Arianorum steterit, et s. Athanasio, catholicae fidei patrono, nunquam non valde infensum et iniquum se praebuerit, tum quod, etsi variis in locis Operum suorum dogma catholicum enuntiaverit, alibi tamen de Filio Dei voces et phrases minus aptas et Arianis erroribus omnino faventes usurpaverit; hinc etiam factum est, ut Eusebius a Concilio Nicaeno II. Arianis annumeratus fuerit.[2]) Hisce ex causis gravis semper in historia, non item in dogmatibus agnita est ab Ecclesia Eusebii fides et auctoritas.[3]) Caeterum stylus Eusebii non adeo purus et elegans, imo nonnunquam durusculus est et parum perspicuus.[4])

---

mittit H. Valesius suae editioni graeco-latinae Histor. Ecclesiasticae Eusebii. Ut paucos proferam, Eusebium Arianismi arguunt s. Hieronym. ep. 84. n. 2. adv. Rufin. lib. 1. n. 8. 11. et lib. 2. n. 15. 16. Phot. Epist. 144. et Cod. 13. et 127. Baron. ad a. 340. n. 38—42. D. Petavius de Trinitate lib. I. c. 11. 12. Montfaucon Collect. nova ss. Patrum Praelimin. ad T. I. c. 6. (p. XV—XXIX.) H. Noris. Dissert. de V. Synodo c. ult. et alii plures. — Defendunt vel excusant eum Socrat. Hist. Eccles. lib. 2. c. 21. H. Valesius in Vita Eusebii p. XXI—II. G. Cave Dissert. de Eusebii Arianismo in Hist. litter. Vol. II. Append. p. 42—60. cum ejusdem epist. apologet. adv. J. Clericum (ibid. p. 61—68). Cf. J. A. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 337—38. J. Ritter Euseb. Caesar. de divinitate Christi placita. Bonnae 1823. 4°.

[1]) Eundem fere in modum de Eusebio judicant Antipater Bostr. Op. cit. (ap. Mansi T. XIII. col. 177—80.) et Phot. Cod. 13. Cf. Möhler Athanasius II. p. 36—47. Nirschl. Patrol. II. p. 25. Bardenhewer K. Lex. ed. II. s. v. Eusebius.

[2]) Concil. Nicaen. II. Act. V. (Mansi T. XIII. col. 176 - 80.) et Act. VI. (ibid. col. 253. et col. 312—18.)

[3]) Phot. Cod. 196. S. Gelasius P. in Decreto de libris apocryphis (Mansi T. VIII. col. 148.) et P. Pelagius II. epist. 7. (Mansi T. IX. col. 452—53.) cf. Concil. Nicaen. II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 125.) et Act. VI. (ibid. col. 268).

[4]) Phot. Cod. 13. et 127. Cf. Montfaucon. Collect. nova Patrum Graec. Praeliminar. T. I. c. III. §. III.

§. 86.

Opera Eusebii Caesariensis historica et exegetica.

Eusebii Caesar. Opera.

Opera Eusebii commode in tria genera dividuntur: historica, exegetica, dogmatica; cum dogmaticis vero jungi possunt apologetica et polemica.

I. Opera historica:

1. *Chronicon* vel *Chronica*[1]) *(τὰ Χρονικά).* Liber iste in duas partes divisus est. Ac priori quidem parte ab ipso generis nostri parente Adam exorsus uniuscujusque imperii aut gentis historiam ac tempora ex auctoribus indigenis singillatim recensuit, quam idcirco *παντοδάπην ἱστόριαν* (variam seu omnimodam historiam) vocavit. Altera vero parte ducto ab aetate Abrahami initio supputandi, ac earundem gentium fastis per columnas quasdam seu tabulas dispositis, ita columnas illas sive laterculos inter se composuit, ut singuli unius gentis anni, quoto alterius gentis aut regni anno responderent, primo obtutu pateret; atque alteram hanc Operis sui partem longe operosissimam *χρονικοῦς κανόνας* vel simplici voce *Κανόνα* nuncupavit. Opus hoc, quod pertingit ab Orbe condito usque ad Vicennalia Constantini M. (a. 325. p. Chr. n.) veluti prodromum eorum, quae de praeparatione et demonstratione

[1]) De hoc Opere ipse Eusebius verba facit Histor. Eccles. lib. I. c. 1. et Praepar. Evang. lib. 10. c. 9. Perquam variis titulis Opus istud ab Antiquis designatur, ex. gr. *παντοδαπὴ ἱστορία, χρονικὰ συγγράμματα, χρονικοὶ κανονες, ἐπιτομὴ χρονων, καιων*, Digestio seu liber temporum, Canones temporum, Chronicorum canonum omnimoda historia; v. A. Pontacus in Opp. s. Hieronymi T. VIII. P. II. p. 1—3. (ed. Vallarsi). Quapropter visa sunt nonnullis res diversas diversa vocabula denotare, et variae conjecturae desuper prolatae sunt a viris eruditis. Cf. Praefat. Editoris in Chronicon Eusebii a s. Hieronymo versum, Opp. S. Hieronym. T. VIII. P. I. p. XI—XXIV. Proprie tamen Chronicon utramque complectitur partem, ita quidem, ut titulus: *omnimoda historia* magis priori parti conveniat, *Canon* seu *Canones Chronici* (i. e. tabulae Annales) alteram proprie partem designent; vid. J. B. Aucherii Praef. p. XXXI. Nota.

Evangelica editurus erat, Eusebius praemisit,[1]) nec non ceu basin historiae suae ecclesiasticae. Praecipuus Eusebii in hocce Opere scopus eo collineabat, ut tempus statueret, quo Moyses vixerat, ac temporum rationibus diligenter subductis nihil Mosaicis originibus aut praestantius aut vetustius reperiri posse demonstraret.[2]) Eusebii Caesar Opera.

[1]) Vid. J. B. Aucherii Praefat. n. III.

[2]) Graecum Eusebii Opus intercidit praeter fragmenta et lacinias, quas recentiores Graecorum Chronologi servarunt. Has sedulo undecunque collegit, easque pro lubitu in unum consarcinatas non sine gravi temeritatis nota pro genuino Eusebii Opere nunc demum a se restituto venditavit Jos Scaliger; Operi huic, quod plurima etiam alia Chronologiae antiquae valde utilia complectitur, praefixit titulum: *Thesaurus Temporum* ed. Jos. Scaliger Lugduni Batav. 1606. auct. et emendat. Amstelodami 1658. fol. (cf. J. B. Aucher. Praefat. §. V.). — Versio exstat duplex hujus Operis, utraque antiquissima, altera Latina, Armeniaca altera. Versionem latinam adornavit s. Hieronymus; sed in hac versione prior Operis pars desideratur; in altera vero parte plurima, quae praetermissa ipsi videbantur, interpres adjecit, in Romana maxime historia, ut nemo fere, quid ab ipsomet Eusebio, quid a s. Hieronymo profectum sit, possit divinare; insuper librariorum negligentia, praesertim in annorum et temporum notis, saepenumero vitiata est haec versio. Exstat hodie versio ista latina (additis suo loco Graecis fragmentis) in Opp. s. Hieronymi ed. Vallarsi T. VIII. P. I. Migne P. L. T. XXVII. — Versio autem Armeniaca, in qua non modo sententiae sententiis, verum saepissime etiam verba verbis apprime respondent, saeculo Ecclesiae V. conciunata utramque exhibet Partem, ultima solum prioris Partis sectione excepta. Edita est a J. B. Aucherio sub titulo: *Eusebii Chronicon bipartitum*, armen. et lat. (additis suo loco Graecis fragmentis) Venetiis 1818. II Partes in 4°. Dein eam edidit Em. Mai, Script. vet. nova Coll. T. VIII; ap. Migne P. G. T. XIX. Optima totius Chronici editio est ea quam curavit A. Schoene, Eusebii Chronicon bipartitum Berolini 1866 et 1875. 2 Tomi in 4°. (Eusebii Chronicorum liber prior. Ed. A. Schoene. Armeniam versionem latine factam ad libros manuscriptos recensuit H. Petermann. Graeca fragmenta collegit et recognovit, appendices chronographicas sex adjecit A. Schoene, Berol. 1875. Eusebii Chronicorum quae supersunt ed. A. Schoene. Armenicam versionem latine factam e libris manuscriptis rec. H. Petermann. Hieronymi versionem e libris manuscriptis rec. A. Schoene. Syriam epitomen latine factam e libro Londinensi rec. H. Roediger, Berol. 1866.) — Eruditissime de hoc Opere disputarunt Arnaldus Pontacus in Apparatu ad Eusebii Chronicon (Opp. S. Hieronymi T. VIII. P. II.). D. Vallarsius (ibid. T. VIII. P. I. in fronte). Hieronymus de Prato in editione Opp. Sulpicii Severi T. II. Dissert. II. et III, prae-

Eusebii Caesar. Opera

2. *Historia Ecclesiastica*, decem libris absoluta, quae a christianae religionis exordiis usque ad annum Christi 324. seu usque ad Licinium a Constantino M. superatum pacemque Ecclesiae redditam pertingit. Ibi res in Ecclesia praeclare gestas, ipsis etiam fontibus sedulo exhibitis, accurate enarrat, Episcoporum, qui majorum urbium sedes tenuerunt, successionem accurate signat, ecclesiasticos Scriptores eorumque libros recenset, haeresum historiam contexit; contentiones et quaestiones de disciplina ecclesiastica excitatas enumerat; persecutiones a Gentilibus motas describit et Martyrum victorias celebrat (lib. I. c. 1.). Quamvis autem libri I. initio de Verbi divinitate ac aeternitate tractans fidei orthodoxae non usquequaque satisfaciat, caetera tamen, quae spectant ad historiam, omnino praeclara sunt,[1]) ita ut haud immerito Eusebius „pater Historiae ecclesiasticae" appellatus fuerit.[2]) Praesertim vero summa laude dignus est, quod innumera fere monumenta historiae Ecclesiae antiquissimae Operi suo inseruerit, sicque ab interitu servaverit.

3) *Liber de Martyribus Palaestinae*, in persecutione Diocletiani et Maximini ab a. 303. usque ad annum 310. passis, ab Eusebio separatim editus,[3]) nunc libro octavo historiae Ecclesiasticae subjici solet. Hoc in libro ea narrat, quae de suae provinciae martyribus ipse rebus gestis praesens viderat et audierat.[4])

---

terea in singulari libello, cui titulus: De Chronicis libris duobus ab Eusebio Caesar. scriptis et editis Veronae 1750 in 8°., denique J. B. Aucherius Praefat. in suam Chronici Eusebiani editionem. Cf. etiam Gutschmid, de temporum notis, quibus Eusebius utitur in chronicis canonibus, Kiliae 1868; et Eusebii canonum Epitome ex Dionysii Telmapharensis chronico petitam, sociata opera verterunt notisque illustrarunt C. Siegfried et H. Gelzer, Lips. 1884.

[1]) S. Gelasius P. in Decreto de libris recip. (Mansi T. VIII. col. 149.)

[2]) Ita eum nominat H. Valesius in Vita Eusebii; cf. Euseb. Hist. Eccles. lib. 1. c. 1.

[3]) Histor. Eccles. lib. 8. c. 13.

[4]) Ab eodem Eusebio cunctorum Martyrum Acta collecta fuerant, s. Gregor. M. lib. 8. ep. 29. Summopere dolendum est, quod Opus hoc

4. De *Vita Constantini Magni libri IV* scripti sunt post mortem Imperatoris, in quibus de industria omittit res fortiter gestas, proelia et triumphos, legesque ad reipublicae utilitatem ab eo latas, ac ea solum tradit, quae ad Dei cultum et christianae religionis profectum pertinent (lib. I. c. 11.). Nimius est ibi in Constantini laudibus, et non solum gravia quaedam Constantini facta, quae excusatione et venia indigent, silentio tegit, verum etiam totam Arianae haeresis historiam eodem silentio involvit.[1]) Huic Operi jungi solet *Oratio de Constantini M. laudibus*, seu Panegyricus in ejus tricennalibus a. Chr. 335 Constantinopoli ab Eusebio dictus.[2]) Eusebii Caesar. Opera.

praeclarum, cujus ipse meminit Eusebius (Hist. Eccles. lib. 4. c. 15. lib. 5. Prooem. et c. 21.), penitus excidit. Cf. J. A. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VII. p. 404—5.

[1]) Vide Phot. Cod. 127. Socrat. Histor. Eccles. lib. I. c. 1. Pars *Tractatus Eusebii de Paschate*, qui in Vita Constantini M. lib. IV. c. 34. 35. memoratur, nuperrime in lucem emissus est graece ab Ang. Majo in Collect. Nova Veterum Scriptorum T. I. (Romae 1831) P. I. p. 247—57. Cf. Ejusdem Prolegom. n. 8. (p. XIII).

[2]) Eusebius de Vita Constantini M. lib. 1. c. 1. lib. 4. c. 46. De aliis hujusmodi Orationibus ab Eusebio habitis, quae tamen interierunt, vid. Euseb. de Vita Constant. lib. 1. c. 1. lib. 4. c. 33 et 45. Histor. Eccles. lib. 10. c. 4. — Eusebii Historiam Ecclesiast. cum libro de Martyr. Palaestinae, item Vitam Constant. M. cum Orat. de Constantini M. laudibus optime simul ed. H. Valesius gr. et lat. Paris. 1659. et emendat. Paris. 1677. fol. Eadem editio recusa est in Scriptoribus Historiae Eccles. graecis, quos gr. et lat. post Valesium ed. G. Reading Cantabrigiae 1720. iterumque Augustae Taurinorum 1746. T. I. fol. — Eadem Opera ed. gr. et lat. E. Zimmermann. Francofurti 1822. II Tomi in 8°. Historiam Eccles. gr. et lat. ed. Heinichen Lipsiae 1827—28. III Tomi in 8°. ed. Burton Oxonii 1838. II Tomi in 8°. Migne P. G. T. XX. Schwegler Tubing. 1855. Laemmer Schaffhaus. 1859. Heinichen Lips. 1868. Dindorf Lips. 1871. German. vers. ed. Stigloher Kempt. 1870. — Vitam Constantini etc. idem ed. Heinichen Lipsiae 1830. 8°. — De fide historica Eusebii pluribus disputant: J. Möller de fide Eusebii in rebus Christianorum enarrandis Havniae 1813. Danz de Eusebio Caesar. ejusque fide historica recte aestimanda, Jenae 1815. Kestner Comment. de Eusebii auctoritate et fide diplomatica, Gottingae 1816. Reuterdahl de fontibus Histor. Eccles. Eusebii Lund. Goth. 1826. Rienstre de fontibus Histor. Eccles. Eusebii et de ratione, qua iis usus est. Ultrajecti 1833.

Eusebii Caesar. Opera.

II. Praeterea plura Eusebius reliquit *Opera, quae ad S. Scripturam illustrandam faciunt.* Nempe

1. „*Commentarios eruditissimos in* 150 *Psalmos*“ scripsit Eusebius, summo olim in pretio habitos[1]). Hodie integre nonnisi Commentaria in 118 Psalmos priores supersunt.[2]) Reliqua edax tempus absumsit, praeter fragmenta plura quae ex tribus antiquis Catenis Patrum desumsit et edidit Card. Mai.[3])

2. *Commentarios* etiam *in Isaiam* reliquit Eusebius, quos saepe secutus est s. Hieronymus et qui hodie adhuc fere integri exstant.[4]) — Utriusque Operis triplex est usus, scilicet pro sacri textus Critica, pro interpretatione litterali et allegorica. Ibi enim Hexaplorum ac veterum Interpretum Graecorum lectiones passim adfert Eusebius, et multa expositionibus suis de ordine et auctore cujusque Psalmi subinde praemittit. In ipsa expositione modo litteralem, modo allegoricum sensum exquirit.

3. *Canones sive Indices decem Harmoniae Evangeliorum* cum praemissa ad Carpianum epistola, in qua eorum ratio exponitur. Canones isti ad conciliandos Evangelistas decem tabellas continent, in quibus miro artificio numeris notavit in unaquaque tabella, quod refertur a quatuor Evangelistis, tribus, duobus, vel uno tantum, ita ut numeri singuli certas quasdam Evangelii sectiones seu ca-

---

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. Eccles. c. 81. et 96. ep. 112. n. 20. ep. 61. n. 2.

[2]) Primus et solus Eusebii *ὑπομνήματα* sive Commentaria in Psalmos 118 priores ex tribus Codd. eruit atque gr. et lat. cum erudita Dissert. praeliminari ed. B. Montfaucon in Opere, cui titulus: *Nova Collectio Patrum et Scriptorum Graecorum.* T. I. Paris 1706. fol. Migne P. G. T. XXIII. Versio latina s. Eusebii Vercellensis dudum interiit. — Supplementa quaedam ad editionem Montfauconii ed. Pitra Analecta sacra T. III. 365—520. *Hypotheses seu argumenta Psalmorum,* item *Canones diurni et nocturni Psalmorum Eusebii Pamphili* vid. in Opp. s. Athanasii (ed. Patav.) T. III. p. XXXVI—XI.

[3]) Comment. in Isaiam gr. et lat. ed. B. Montfaucon in Collect. nova Patrum et Scriptorum Graecorum. Paris. 1706. fol. T. II. Migne P. G. T. XXIII.

ditula minora designarent, et aperto quovis Novi Testamenti volumine, ad cujus marginem notabantur harum tabellarum numeri, statim sciri posset tabellam hanc inspiciendo, non solum a quot et a quibus Evangelistis, verum etiam quibus in locis quaepiam referrentur.[1]) Eusebii Caesar. Opera.

4. *Libri tres Quaestionum Evangelicarum*, quorum Excerpta breviata seu capita selecta nostra aetate reperta atque edita sunt, in iis, de quibus Evangelistae singuli discrepare videntur, solvendis versantur.[2])

5. *Commentarius in Lucam*, saltem ex parte hodie superstes, specimen praebet, unde cognoscatur, qua ratione Eusebius explanando Novo Testamento incubuerit.[3])

6. *De locis hebraicis (περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ)*. Liber illc est explicatio geographica omnium regionum, urbium et locorum, quorum mentio habetur in libris Veteris Testamenti, ita ut nomina locorum, quae hebraica in sacris litteris occurrunt, ordine Alphabeti persecutus Eusebius singulorum locorum situm describeret, et quomodo sua aetate appellarentur, indicaret.[4])

---

[1]) Hi Canones cum epist. ad Carpianum gr. et lat. exhibentur in Galland. Biblioth. T. II. p. 533—45. Cf. ibid. Prolegom. c. 19. Sect. II. et Sect. I. n. 5—9. Migne P. G. T. XXII. Iidem latine ex versione s. Hieronymi cum epist. ad Carpianum gr. lat. occurrunt in s. Hieronymo (Opp. T. X. P. II. p. 667—82). Cf. s. Hieronym. ibid. Praefat. p. 663—64. et Cassiodor. Instit divin. litter. c. 7.

[2]) Ipse Eusebius Demonstr. evangel. lib. 7. c. 3. Opus: *ζητήματα καὶ λύσεις* inscriptum se composuisse testatur, et s. Hieronym. de Scriptor. Eccles. c. 81. idem Opus sub titulo: *de Evangeliorum diaphonia* (seu dissonantia) memorare videtur, ita etiam Comment. in Matth. c. 1. v. 16. Excerpta haec primum edita sunt gr. et lat. ab Ang. Majo in Collect. Nova Veterum Script. T. I. Cf. Ejusdem Prolegom. n. 2—6 (p. VI—XI.) — Migne P. G. T. XXII.

[3]) *Eusebii Caesariensis ex Commentario in Lucam Fragmenta* graece exhibet Ang. Majus in Collect. Nova Veterum Script. T. I. Cf. Ejusdem Prolegom. n. 8. (p. XIII). — Migne P. G. T. XXIII.

[4]) Graecus Eusebii textus cum versione s. Hieronymi, qui tamen nonnulla immutavit et adjecit, optime habetur in Opp. s. Hieronymi (ed. Vallarsii) T. III. p. 121—290. Migne P. G. T. XXIII. Edid. etiam Lassov et Partheg. Berol. 1862; Lagarde Onomastica sacra. Götting. 1870. Huic Operi Eusebius praemiserat „topographiam veteris terrae

§. 87.

Eusebii Caesar. Opera apologetica, polemica et dogmatica.

Eusebii Caesar. Opera.

III. Tertiam Operum Eusebii classem constituunt ea, quae defendendae religionis christianae causa ab eo conscripta sunt. In his vel Gentilium conatus, qui etiam tum variis modis religionem christianam impugnabant, destruit, vel immensa eruditione veritatem fidei christianae ejusque dogmata adstruit, vel denique errores fidei adversantes debellat. Huc pertinent:

1. *Liber contra Hieroclem,*[1]) Bithyniae praesidem, qui infensissimus Christianorum hostis libros duos confecit, inscriptos: *λόγοι φιλαλήθεις πρὸς τοὺς Χριστιάνους,*[2]) in quibus, praeter reliqua olim Christianis objecta et ab his dudum confutata, ex Philostrati historia Apollonium Tyaneum praestigiatorem Salvatori nostro comparare ausus est, statuens Apollonium hunc vel paria cum Christo, vel etiam majora patrasse miracula, quin idcirco a quopiam sanae mentis Deus fuerit habitus. Caeteris missis Eusebius in Hieroclis libris hanc solum Christi et Apollonii comparationem refutat. Ex argumentis internis probat, iis, quae de Apollonio narrantur, fidem denegandam esse; fuse de miraculorum natura disputat, ea autem, quae ab Apollonio facta esse perhibentur, miracula vel meras prae-

---

Judaeae et distinctas tribuum sortes, ipsius quoque Hierusalem templique in ea cum brevissima expositione picturam“ (Eusebius ipse in Praefat. hujus libri l. c. p. 123—24); sed ista jam pridem interciderunt.

[1]) Hujus libri ex Antiquis solus meminit Photius Cod. 39. Vastae molis erat aliud Eusebii *Opus contra Porphyrium*, philosophum gentilem, pro christiana religione, quod 25 vel omnino triginta libris constabat, hodie vero totum deperditum est. Cf. s. Hieronym. ep. 70. n. 3. De Scriptor. eccles. c. 81. Praefat. in Explanat. Danielis (Opp. T. V. p. 617). Socrat. Histor. Eccles lib. 3. c. 23. Philostorg. lib. 8. n. 14.

[2]) De Hierocle isto vid. Lactant. de mort. persecut. c. 16. S. Epiphan. haeres. 68. n. 1. Eusebius de Martyr. Palaest. c. 5. cum Nota Valesii. Lactant. divin. Instit. lib. 5. c. 2.

stigias fuisse demonstrat, vel, si miri quidpiam prae se tulerint, ea daemonum ope perpetrata fuisse adserit.[1])

2. *Praeparatio Evangelica*, libris quindecim absoluta,[2]) collectio est pulcherrima argumentorum variorumque notatu dignissimorum monumentorum ac testimoniorum ex scriptoribus externis, magnam partem hodie deperditis, qua animus lectoris praeparetur ad demonstrationes de veritate Evangelii Christi ex sacris litteris tanto facilius admittendas.

3. *Demonstratio Evangelica*,[3]) cujus Operis ex viginti libris hodie nonnisi *decem* supersunt. In hoc Opere veritatem Christianae religionis ex sacris litteris Novi ac Veteris Testamenti maxime adstruit, et vaticinia de Christo colligit atque interpretatur. —

Haec duo Opera tam arcte inter se connexa sunt, ut quasi unius Operis duas Partes constituant. Utriusque Operis scopus est, evangelicae doctrinae veritatem et originem divinam accurate

---

[1]) Liber hic gr. et lat. editus est cum Eusebii Demonstratione evangelica Paris. 1628. fol. et iterum Coloniae (seu potius Lipsiae) 1688. fol. Optime vero exstat gr. et lat. in G. Olearii luculenta editione Operum Philostrati Lipsiae 1709. fol. et in editione Operum Philostrati quam curavit Kayser Lips. 1870—71. 2 T. — Ed. etiam graece et latine Gaisford Oxonii 1852. Migne P. G. T. XXII.

[2]) Hujus meminit ipse Eusebius Demonstr. Evangel. lib. 1. c. 1. lib. 3. c. 3. S. Hieronymus de Script. eccles. c. 81. Phot. Cod. 9. Opus hoc ed. gr. et lat. Fr. Vigerius Paris. 1628. fol. recus. Coloniae (seu potius Lipsiae) 1688. fol. Novam edit. gr. lat. adornavit Th. Gaisford Oxonii 1842. IV Tomi in 8°. Novissimam edit. gr. lat. curavit Heinichen Lipsiae 1842—43. II Tomi in 8°. Migne P. G. T. XXI.

[3]) Cf. Euseb. Praepar. Evangel. lib. 15. c. 1. Histor. Eccles. lib. I. c. 2. S. Hieronym. de Script. eccles. c. 81. et Praefat. Comment. in Hoseam (Opp. T. VI. p. XXIII—IV.) Phot. Cod. 10. Editio gr. lat. Paris. 1628. fol. recus. Coloniae (seu potius Lipsiae) 1688. fol. In omnibus editionibus primus liber initio mutilus habetur, et decimus itidem extrema parte truncus; utrumque defectum ex Codice antea incognito supplevit J. A. Fabricius in fronte Operis sui: Delectus argumentorum et Syllabus Scriptorum de veritate relig. christianae. Hamburgi 1725 (p. 1—22.). Ex Fabricio haec recusa sunt in Galland. Biblioth. T. IV. p. 461—68. Cf. ibid. Prolegom. c. 13. n. 1. et 2. Migne P. G. T. XXII. — Praepar. et Demonstr. Evangel. junctas ed. Dindorf Lipsiae 1867.

Eusebii Caesar. Opera.

demonstrare; quem in finem ita argumenta sua disposuit, ut ea, quibus religionis christianae excellentia prae caeteris omnibus probaretur, praeparationis gratia praemitteret, tum vero ea, quibus Evangelii veritas et divina origo demonstraretur, subjungeret, qua tamen in parte omnem demonstrationem posuit in vaticiniis. Priori in Opere tum causas exponit, ob quas Christiani Gentilium doctrinam missam fecerint (lib. 1—6), tum ostendit, quaenam rationes ad suscipiendam ac probandam Hebraicarum litterarum doctrinam Christianos impulerint, ubi luculenter de dogmatica Hebraeorum theologia et populi Hebraici historia, de reipublicae Mosaicae forma genioque Veteris Testamenti tractat, atque cum his omnibus varia Graecorum philosophorum, maxime vero Platonis scita comparat, haecque illis longe inferiora, et maxima ex parte illinc petita esse fuse demonstrat (lib. 7—15).[1]) — In altero Opere primum Judaeis objicientibus, quod, quamvis ipsorum sacris litteris uterentur Christiani, eorum tamen pie vivendi Deique colendi rationem non sectarentur, respondet. Hunc in finem ostendit, tertium quemdam Dei colendi modum praeter Judaismum et Ethnicismum ab initio exstitisse, quo Patriarchae aliique viri sancti ante legem Mosaicam usi fuerint, eamque vetustissimam et primaevam religionem a Christo restauratam esse; duplex tamen inter veterum Patriarcharum et Christianorum religionem praecipuum discrimen obtinere declarat, scilicet quod Christiani multi majoris perfectionis gratia conjugio abstineant, illi vero sobole numerosa procreata gavisi fuerint, et quod illi Deo sacrificia obtulerint, Christianis vero hostias cruentas immolare omnino non liceat; et utriusque discriminis causas exponit. Probat etiam, Judaismum, quippe cum ejus character non fuerit universalis, neque ejus instituta et praecepta omnibus gentibus convenire potuerint, ex ipsius Dei auctoris consilio et Mosis vaticinio debuisse accipere finem, eumque revera accepisse in novo legislatore Christo. Nihilominus vero, quamvis ritus sacros a Judaeis observatos abjecerint Christiani, recte eorum libris sacris uti docet, quippe qui salutem *omnibus gentibus* per Messiam oblatum iri praenuntiaverint (lib. 1 et 2.). Abhinc demum religionis Christianae veritatem demonstrare aggreditur, et quidem maxime ex vaticiniis Vet. Testamenti. Haec autem vaticinia ita disponit, ut primo quae annuntiaverint Prophetae de iis, quae ad humanam Christi naturam spectant (*οἰκονομία* lib. 3), tum quae ad divinam ejus naturam (*θεολογία* lib. 4. et 5.), tandem de iis, quae ad ejus adventum inter homines vitamque terrestrem pertinent, singillatim proferat et paucis illustret (lib. 6—10).[1])

[1]) Dispositionem hujus Operis et singulorum quindecim librorum argumentum breviter enarrat ipse Eusebius Praepar. Evangel. lib. 15. c. 1.

[2]) De hac argumenti libri tertii et seqq. dispositione vid. ipse Eusebius Demonstr. Evangel. lib. 3. Prooem. — De utroque Praepa-

4. *Eclogae propheticae* de Christo libros quatuor constituunt et majoris olim Operis partem effecerunt. Hoc in Opere recensentur et explicantur prophetica de Christo testimonia, quae exstant in Veteris Test. libris historicis (lib. 1.,) tum quae in Psalmis (lib. 2.), dein quae in Proverbiis, Ecclesiaste, Cantico Canticorum, in Jobo singulisque prophetis (lib. 3.), demum quae in Isaia vaticinia Messiana continentur (lib. 4.).[1] Eusebii Caesar. Opera.

5. *De theophania libri V, (περὶ τῆς θεοφανίας)* tractant de apparitione Domini in carne. Compendium exhibent eorum quae in Praeparatione et Demonstratione evangelica continentur. De homine ejusque natura et de necessitate redemptionis agitur, ac dein demonstratio veritatis religionis christianae ex vita, doctrina et miraculis Christi et Apostolorum, et ex conversione multarum nationum conficitur. Constituit igitur hoc opus praeclaram apologiam religionis. — Fragmenta ampla hujus operis Graeca addita versione Latina primum publicavit A. Majus.[2] Opus integrum porro exstat in versione Syriaca anni 411. Hanc reperit Tattam in monasterio deserti Nitrici, eamque S. Lee[3] publicavit et in sermonem Anglicum transtulit.

6. *Libri duo contra Marcellum,* Ancyrae in Galatia Episcopum, qui in synodo Constantinopolitana a. 336. ab Arianis depositus fuerat, munere simul ad Eusebium Caesar. delato, ut illum confutaret. Postea vero in synodo Sardicensi Marcellus Episcopatum recuperavit, cum sen-

---

rationis et Demonstrat. Evangelicae Opere pluribus agit Haenell Comment. de Eusebio Caesar. religionis Christianae defensore. Gottingae 1843.

[1]) Cf Photii Cod. 11. Fabricii Biblioth. Gr. Vol. VII. — Eusebii Eclogas prophet. e Codice gr. Biblioth. Caesar. Vindobon. primum edidit Th. Gaisdorf, Oxonii 1842. Opus illud majus inscriptum erat *Ἡ καθόλου στοιχειώδης εἰσαγωγή* generalis elementarii introductio, decemque libros complectebatur. Fragmenta pauca edidit Majus Bibl. nova Patrum T. IV. Migne P. G. T. XXII. p. 1271—1274.

[2]) Bibl. nova Patrum T. IV.

[3]) Eusebius on the Theophania or divine manifestation of Jesus Christ, ed S. Lee, Lond. 1842. — Eusebius on the Theophania etc. translated by S. Lee, Canterbury 1843.

Eusebii Caesar. Opera.

tentiam suam orthodoxam Patribus probasset.[1]) His Eusebii libris cohaerent

7. *Libri tres de ecclesiastica theologia,*[2]) contra eundem Marcellum directi. Omnes isti quinque libri scripti sunt post illam synodum Constantinopolitanam, eorumque scopus est Marcelli systema de Filio Dei impugnare.

Marcellus Ancyranus primus Asterii sophistae, qui in defendenda haeresi Ariana Eusebio Nicomediensi socium se adjunxerat, incursionem reprimere tentavit, conscriptoque Opere Arianos acrius exagitavit. Unde grave illorum odium exarsit. et Eusebius, Arianis semper favens, priori in Opere Marcellum ex propriis ipsius verbis refellere et errorum Sabellii arguere studet; in altero vero Opere contra eumdem Marcellum doctrinam Ecclesiae de Filio Dei proponere et demonstrare aggreditur. — Marcelli scripta deperdita sunt, unde integra ejus doctrina cognosci vix potest. Sed a. 341 Marcellus Romae orthodoxiam suam vindicavit et asseruit professione fidei Julio P. oblata, quae plane orthodoxa est. Unde merito a plerisque ejus fides sincera agnoscitur. Passim tamen, quum subtilius de Verbo dissereret, in sermonibus suis formulis minus claris ac durioribus usus esse videtur, unde Sabellianismi suspicionem excitavit. — Eusebius

---

[1]) Vid. Socrat. Histor. Eccles. lib. 1. c. 36. lib. 2. c. 20. Sozom. lib. 2. c. 33. lib. 3. c. 12. S. Hieronym. de Script. eccles. c. 86. S. Athanas. Histor. Arian. ad Monachos n. 6. — S. Julius P. R. Epist. ad Episcopos Orient. in s. Athanas. Apol. c. Arian. n. 32. item Synodi Sardic. Epistola in s. Athanasii Apolog. cit. n. 47. — Paulo iniquior in Marcellum esse videtur s. Epiphan. haer. 72., ubi tamen s. Athanasii de Marcello judicium attentione dignissimum est, haer. 72. n. 4. cf. s. Basilius M. ep. 69. n. 2. ep. 125. n. 1. ep. 263. n. 5. ep. 265. n. 3. ep. 266. n. 1. S. Hilarii ex Opere histor. Fragm. II. n. 21—23. cf. Fragm. III. n. 2—5. item Conc. Chalcedon Allocutio ad Imp. Marcianum (Mansi T. VII. col. 457.). S. Epiphanium postea secuti sunt Theodoret. Haeret. Fabul. lib. 2. c. 10. et S. Joannes Damasc. Haeres. 72. coll. Nota Editoris.

[2]) *Θεολογία* apud antiquos Patres et Scriptores non eodem accipitur sensu, quem juxta hodiernum loquendi usum prae se fert, sed indicat nonnisi dissertationem de Filio Dei ejusque natura divina, quemadmodum *οἰκονομία* designat disputationem de mysterio Incarnationis et humana Christi natura. — Utrumque contra Marcellum Opus gr. et lat. editum est cum Eusebii Demonstrat. Evangel. Paris. 1628. Coloniae (Lipsiae) 1688. fol. Versio tamen latina admodum mendosa est atque obscura. Edidit porro Gaisford, Oxonii 1852. Migne P. G. T. XXIV.

vero in ipsa sua Marcelli refutatione atque in expositione doctrinae, verbis ambiguis passim Arianorum placita nimium secutus est.[1] Eusebii Caesar. Opera.

8. *De solemnitate paschali* (*περὶ τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς*) demum opusculum scripsit Eusebius, quod Constantino Imp. valde acceptum erat et jam ea aetate in linguam latinam translatum est. Ejus tantum fragmentum superest praeclarum, in quo de paschate Judaeorum ac de paschate christiano tractatur, solemnitatisque paschalis Christianorum prae festo Judaeorum evehitur excellentia eo quod agnus paschalis fidelium sit Christus Dominus.[2])

IV. Supersunt demum aliquot Eusebii *Sermones* et *Epistolae*. Videlicet: 1. *Opuscula* 14, Eusebio Caesar. tributa a primo eorumdem editore J. Sirmondo et plerisque viris eruditis, hodie latine tantum extant. Agunt *de fide adversus Sabellium, de resurrectione et ascensione Domini, de incorporali et invisibili Deo*, atque *de incorporali anima et spirituali cogitatu hominis, de operibus bonis et malis etc.* Sunt autem haec opuscula, uti ex eorum indole colligitur, *Sermones* quos ad populum Eusebius direxit. Versio latina antiqua certe et accurata, sed tanquam ad verbum expressa, interdum paulo obscurior est.[3])

2. Ex *Epistolis* Eusebii duae tantum supersunt. a) Epistola ad Caesarienses qua rationem reddit de suo modo agendi in Synodo Nicaena quoad admissionem verbi *ὁμο-*

---

[1]) S. Epiphanius severius quidem, cum haesitatione tamen, Marcellum arguit (haer. 72.); haec vero addit: „Interrogavi autem aliquando ipse beatum papam Athanasium de hoc Marcello, quomodo de ipso sentiret. Ille vero neque ipsum defendit, neque rursus graviter adversus ipsum invectus est: verum solum risu levi edito ostendit, flagitium non magnum ipsum esse, sed habebat ipsum velut qui se purgasset.“ – De Marcello cfr. Montfaucon, Diatriba de causa Marcelli Ancyrani in Opp. s. Athanasii T. III. p. XXXIII—XLI. Ceillier T. V. Tillemont. Mém. T. VII. Rettberg, Marcelliana, Gottingae 1794. Möhler, Athanasius T. II. L. IV. Nirschl Patrol. T. II. p. 26 sqq.

[2]) Fragmentum hoc primum edidit A. Mai, Nova Coll. Patrum T. IV. Migne T. XXIV. p. 694—706.

[3]) Opuscula haec ed. J. Sirmondus. Paris. 1643. Hinc recusa sunt inter Sirmondi Opera Varia. Paris 1696. iterumque Venetiis 1728. fol. T. I. in Galland. Bibl. T. IV. Migne P. G. T. XXIV.

Eusebii Caesar. Opera.

ούσιος, et de sensu hujus verbi.[1]) b) Epistola ad Constantiam Augustam de imaginibus Christi. Quum Constantia petiisset ut Eusebius ei transmitteret imaginem Christi Domini, id ille declinat, quod, uti opinabatur, Christus secundum suam naturam divinam et humanam exprimi imagine non posset.[2])

Nota. Opera Eusebii permulta, sive penitus, sive ex parte deperdita recenset J. A. Fabricius Biblioth. Graec. T. VII. p. 397. 398. 404—406. 407—409.

Editio tantum unica prostat, qua omnia Eusebii Caesariensis continentur, videl. Eusebii Caesariensis Opera omnia quae exstant, curis variorum, nempe H. Valesii, Fr. Vigeri, Bern. Montfaucon, Ang. Mai edita, collegit et denuo recognovit J. B. Migne Par. 1857. P. G. TT. XIX—XXIV. Editiones vero praestantiores singulorum Operum in notis indicavimus.

§. 88.

S. Athanasius Magnus. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Athanasii Opera. — S. Gregorii Nazianz. Orat. 21. — S. Epiphanii Haeresis 68. 69. 73. et 77. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 87. — Socrat. Histor. Eccles. lib. 1. 2. 3. et 4. passim. — Sozom. Histor. Eccles. lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. passim. — Theodoreti Histor. Eccles. lib. 1. 2. 3. 4. passim. — Photii Biblioth. Cod. 32. 139. 140. et 258.[3])

Subsidia: Vita s. Athanasii ad instar Annalium adornata a B. Montfaucon, quae praemissa est ejus Editioni Operum s. Athanasii. Huic jungendae sunt ejusdem B. Montfaucon Animadversiones in Vitam et Scripta s. Athanasii, praefixae Collectioni novae Patrum et Scriptorum Graecorum Paris. 1706. T. II., recusae in edit. Opp. S. Athanisii Patav. 1777. T. III. p. VII—XXX. — G. Hermant. Vie de s. Athanase. Paris. 1671. II Voll. in 4°. — D. Papebrochii Vita s. Athanasii in Actis Sanctorum T. I. Maji p. 186—256. — H. Valesii Observatt. ecclesiast. in Socratem et Sozomenum Liber I. de magno Athanasio (ad calcem Historiae Eccles. Socratis et Sozom. ed. Valesii p. 375—80). — Tille-

---

[1]) V. Socrates H. E. L. I. c. 8. Theodoret. H. E. L. I. c. 11. Migne P. G. T. XX. 1535—1544.

[2]) V. Migne P. G. T. XX. 1545—1540. Pitra Spicil. T. I. p. 383.

[3]) De singulis fere hisce fontibus judicium tulit B. Montfaucon Monit. in Vitam s. Athanasii n. 1—3. (Opp. T. I. p. I—II.)

mont Mem. T. VIII. p. 1—259. — Dupin T. II. p. 60—104. — Ceillier T. V. (ed. 2. T. IV.) — Cas. Oudin Dissert. de Operibus s. Athanasio attributis T. I. col. 325—90. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 171—216. — Möhler, Athanasius der Grosse. Mainz 1827. (Athanase le Grand. 2 voll. Bruxelles 1841.) — Atzberger, Die Logoslehre des Athanasius; München 1880.

S. Athanasii Vita.

S. Athanasius, Alexandriae circa a. 296. natus,[1]) prima aetate humanis divinisque disciplinis imbutus est. In litteris humanioribus satis excultus s. Scripturam frequens adeo perlegit, ut universam paene memoriter teneret; in Patrum quoque superioris aevi, qui doctrina et sanctitate eminebant, scriptis evolvendis assidue diligenterque versatus fidei christianae mysteria altissima his doctoribus didicit et penetravit.[2]) Sane benigno Numine providente haec opportune tela comparavit, quibus exinde haereticorum agmina impeteret profligaretque. Mox s. Antonii eremitae fama allectus et solitudinis amore ductus illum adiit, et viri pietate, vitae genere, innata nec studio parta dicendi vi tantopere delectatus est, ut profectus et institutionis causa non modico tempore cum eo sit versatus; illius quoque, ut videtur, magisterio *Ascetae* vitam iniit. Exinde vero Antonium frequens invisit, quocum magna ipsi societas et necessitudo intercedebat.[3]) Vixdum adolescentiam praetergressus, ante exortam haeresin Arianam duas *Orationes contra Gentes* composuit, in quibus non minus eruditionem et elegantiam, quam pondus argumentorum et eloquentiam admirari licet. Interea a. 319 in Diaconi ordinem promotus a s. Alexandro Episcopo et

---

[1]) Solum natale haud obscure indicat ipse s. Athanas. epist. 2. ad Lucifer. (T. I. P. II. p. 771.). — De ortus ipsius anno altum ubique silentium; verum opinio ista, eum circa a. 296. natum esse, solidissimis argumentis suffulcitur, Montf. in Vita s. Athan. ad a. 296, cf. Montf. Animadvers. I. (Opp. S. Athanas. T. III. p. VII.)

[2]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 21. n. 6. Sozom. lib. 2. c. 17. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 1. c. 26. Sulpicii Severi Histor. sacra lib. 2. n. 36. Ipse s. Athanas. de Incarnat. n. 56. et 57.

[3]) S. Athanas. Vita s. Antonii Prooem. (T. I. P. II. p. 632.) Apolog. contra Arianos n. 6. Sozom. lib. 2. c. 17. cf. Montf. Animadv. II. (l. c. p. VIII—X.)

S. Athanasii Vita.

inter familiares computatus ejus amanuensis ipsique a consiliis fuit.[1])

Quum porro illis annis Arius inciperet perversa sua dogmata cudere et disseminare, Alexandro Episcopo in impugnatione haeresiarchae Athanasius adfuit, eumque a. 325 ad Concilium Nicaenum comitatus est. Ario resistens *quantum in ipso fuit morbum compressit*, et quamvis nondum Episcopus tamen inter congregato Patres insigni ratione eminuit.[2]) Ab Alexandro Episcopo, qui morte proximus Athanasii nomen saepius iteravit, successor designatus habebatur, quumque Alexander die 17° Aprilis a. 328 obiisset, brevi post pascha illius anni Athanasius universae multitudinis conclamatione in Episcopum electus,[3]) et ab Aegypti, Lybiae, Pentapoleosque Episcopis Alexandriae collectis pontifex consecratus est. — Quum vero eo tempore Constantinus Imperator artibus circumventus jam in Arium ejusque sequaces, quos orthodoxos esse ei persuasum fuerat, propensiorem se ostenderet, Athanasius autem communionem haeresiarchae constanter denegaret, mox accerrima persecutio in eum exarsit. Per aliquot annos quidem hic adversariorum perfidiam feliciter delusit congestasque in ipsum calumnias et accusationes dissipavit. Sed post synodum ab Arianis Tyri (a. 335) habitam, Athanasius injuste damnatus et depositus ad Imperatorem Constantinum profectus est, ut ejus protectionem impetraret. Constantinus vero contra Athanasium se vertit, eumque in exilium ablegavit. Haud plane liquet, quid in Athanasium Imperatorem commoverit. Refertur, legatos adversae Athanasio partis ac maxime Eusebium Nicomediensem, jam sepositis aliis calumniis, Athanasium apud Imperatorem accusasse de frumenti naviumque detentione, quasi

---

[1]) S. Athanas. Apolog. c. Arian. n. 6. Sozom. lib. 2. c. 17.

[2]) V. s. Gregorii Nazianz. Orat. 21. In laudem magni Athanasii Episcopi Alexandrini n. 14.

[3]) V. Athan. Apol. c. Arian. c. 6 et 59; s. Gregor. Naz. Orat. 21. n. 8. Sozom. L. 2. c. 17. Theodoret. H. E. L. 1. c. 26. Cf. Montfauc. Vita s. Athanas. ad a. 326.

scilicet Athanasius minatus esset, se commeatum Alexandria Constantinopolim destinatum impedire posse. Hinc Imperatorem in Episcopum exacerbatum fuisse. Ab aliis traditur, universim Athanasium Constantino visum esse virum turbulentum pacisque servandae obstaculum. Quum vero tales homines Imperatori valde invisi essent, Athanasium penitus ex ejus favore excidisse, Constantinumque existimasse, non nisi eo remoto concordiam restitui posse.[1]) S. Athanasii Vita.

Versus finem a. 335 igitur Athanasius *in exilium* missus est *Treviros* in Gallia, ubi a s. Maximino Episcopo perhumaniter exceptus et a Constantino juniore Imperatoris filio, qui Treviris tunc versabatur, honorifice habitus est.[2]) Athanasius vero non destitit Alexandrinorum curam habere litteris ad eos datis; Alexandrini autem ei fideles permanserunt. — Mortuo Constantino a. 337, subsequenti a. 338 Athanasio reditus in patriam concessus est, maximoque Alexandrinorum gaudio sedem suam recuperavit.[3]) Sed brevi post Ariani iterum omnes vires suas intenderunt, ut eum quem illegitime in sedem repositum contendebant dejicerent, quumque *Constantius* qui in Oriente imperabat se ad Arianorum partes vertisset, ac Philagrius Aegypti praefectus manus ipsis praeberet, in Athanasium praevaluerunt. Anno 340 *denuo* ipse coactus est Alexandriam relinquere, exulque fuit usque ad a. 346. Variis in regionibus moratus est, praesertim Romae, ubi Julius I Pontifex causam s. Athanasii egregie contra Arianos tuitus est. Alexandriae interim duo pseudoëpiscopi, Pistus, et post ipsum Gregorius Cappadox gregem fidelium vexaverunt. In Concilio Sardicensi a. 344 Athanasius sedi

---

[1]) Cf. Socrat. H. E. L. 1. c. 25 sqq. Sozom. H. E. L. 2. c. 31.

[2]) Cf. s. Athanas. Apolog. c. Arian. n. 86—87 et n. 9. Socrat. L. 1. c. 34. 35. Sozom. L. 2. c. 28. S. Hieron. Chronicum ad a. Chr. 346 seu ad a 6. Constantii.

[3]) Cf. s. Athanas. Histor. Arian. ad Monachos n. 8. Apolog. ad Constant. n. 5. Socrat. L. 2. c. 2. 3. Sozom. L. 3. c. 2. Theodoret. H. E. L. 1. c. 32. L. 2. c. 1 et 2.

S. Athanasii Vita.

suae restitutus est, attamen variis impedimentis detentus, demum permittente Constantio Imperatore, die 21° Octobris a. 346 Alexandriam ingressus, sede sua potitus est.[1])

Per plures dein annos ecclesiam suam Athanasius magna cum sollicitudine gubernavit, sed quum a. 350 Constans Imperator decessisset, et Constantius solus Imperium jam teneret, Ariani favore Constantii suffulti novam persecutionem in Athanasium moverunt. Tempore liturgiae nocturnae quam 9° Februarii a. 356 Athanasius cum fidelibus in ecclesia *Theonas* appellata peragebat, Syrianus Aegypti dux cum quinque millibus militum templum cinxit, ut Athanasium interciperet. Is vero feliciter evasit atque in eremum secessit Aegypti. Ibi *tertio* exul subsequentibus annis usque ad a. 362 ut plurimum degit, etsi passim clam Alexandriam reverteretur. Ecclesiam vero Alexandrinam invasit Georgius Arianus, qui fideles dire vexavit.[2])

Constantio Imperatore a. 360 defuncto, ejus successor Julianus Apostata Episcopis ejectis a. 362 ut in sedes redirent permisit. Ita et Athanasius Alexandriam reversus est et sedem suam recuperavit. Georgius ille intrusus, initio imperii Juliani a paganis in carcerem conjectus ac dein occisus erat. — Sed haud diu Athanasio Alexandriae subsistere licuit. Quum a paganis excitatus etiam Julianus Apostata mox in Athanasium se verteret eique interdiceret ut in Aegypto commoraretur, imo jam ejus necem, ut fertur, pararet, die 24° Octobris a. 362 *quarto* Athanasius exilium petiit et in eremo Thebaidis sese abscondit. Sed quum altero anno 363 Juliano occiso Jovianus Imperator orthodoxus successisset, mox Athanasius ad Ecclesiam rediit.

---

[1]) Cf. s. Athan. Apol. c. Arian. c. 20—35. De synodis 22—26 Socrat. L. 2. c. 1—17. Sozom. L. 3. c. 1—10. Theodoret. H. E. L. 1. c. 30. L. 2. c. 3.

[2]) Cf. s. Athan. Hist. Arian. ad Monachos; De fuga sua. Socrates L. 2. c. 26—36. — Sozom. L. 4. c. 1—11. Sulpit. Sever Hist. sacra L. 2. c. 39.

S. Athanasii Vita.

Magno religionis detrimento fuit, quod Jovianus jam post octo menses obiret, quodque ejus successor Valentinianus in Imperatorem Orientis sibi jungeret Valentem fratrem. Is enim Arianis addictus iterum vehementem in Catholicos persecutionem excitavit. Edicto imperiali denuo Athanasius ex Alexandria expulsus, fuga capta mediante anno 365, *quinto* in exilium migravit, et per aliquot menses secessit in villam quamdam ipsius familiae ad flumen novum, ubi etiam in crypta sepulchrali aliquando delituisse dicitur. Mox tamen Valens popularem seditionem reformidans, litteris suis Athanasio fecit repetendae sedis potestatem, qua ratione factum est, ut dum reliquas ecclesias gravissima affligeret persecutio, Alexandrinorum ecclesia nec non tota Aegyptus usque ad obitum Athanasii tranquilla pace frueretur. — Etiam ultimis annis vitae suae Athanasius non destitit gestis et scriptis orthodoxam fidem tueri et erroribus resistere. S. Basilius ad eum se vertit flagitans, ut sua auctoritate concordiae in ecclesiis Orientis, praecipue in ecclesia Antiochena, provideret; sed et ipsum Basilium Athanasius tuitus est contra quosdam adversarios, qui illum arguebant, ac si Spiritus sancti divinitatem non admitteret.[1]) Apollinarii quoque errores, tacito auctoris nomine, tanquam oraculum totius orbis variis ex regionibus ea de re interpellatus, variis scriptis tunc impugnavit. Tandem postquam maxima pro doctrina catholica servanda et defendenda pertulit pericula, sexque et quadraginta annos in summa temporum varietate Alexandrinam ecclesiam sanctissime gubernavit, Ale-

---

[1]) Huc referri debent s. Athanasii *Epistola ad Joannem et Antiochum presbyteros* (ed. Montfauc. Opp. T. I. P. II. p. 763), ejusque *Epistola ad Palladium*, (ibidem p. 763). — Exstant adhuc plures s. Basilii M. ad s. Athanasium epistolae, ex quibus cernere est s. Basilii erga s. Athanasium observantiam et reverentiam, adeo ut eum tanquam patrem, doctorem et arbitrum semper alloquatur, diserteque testificetur, totius ferme Ecclesiae sortem ex ipsius maxime pendere consilio; vid. s. Basilii ep. 61. 66. 67. 69. 80 et 82. Cf. s. Basilii ep. 154 et ep. 204. n. 6. Epistolae s. Athanasii ad Basilium vicissim datae injuria temporum exciderunt.

xandriae mortuus est in suo lectulo sub Valente Imp. die 2° Maji a. 373.

§. 89.

S. Athanasii Opera.

I. Opera apologetica ac dogmatica.

S. Athanasii Opera.

Multiplicia sunt s. Athanasii opera, eoque majoris momenti, quod in ipsis veluti in unum collecta apparent, quae priorum temporum studiis praeparata fuerunt. In varias classes eadem distribui possunt; exstant videlicet s. Doctoris opera *apologetica ac dogmatica, historica, exegetica, moralia et epistolae.* Ut primum de s. Athanasii scriptis *apologeticis et dogmaticis* agamus, eo pertinent:

1. *Libri duo contra Gentes*[1]) ab Athanasio admodum juvene ante exortam haeresin Arianam eo consilio scripti sunt, ne quis Gentilium, qui variis calumniis Christianos vellicare et irridere solebant, fidem in Christum Salvatorem despiceret, eamve nulla ratione innixam esse suspicaretur. Ea de re itaque tractaturus primo Infidelium inscitiam refellere instituit, ut falsis confutatis veritas per se ipsam illucescat, Christianus vero, quem Christi cognitionem et fidem rebus omnibus pretiosiorem ducere convenit, certum persuasumque habeat, se veritati credidisse Christumque cognoscendo deceptum non fuisse (lib. I. n. 1.). Libri I. parte priori (n. 2—29.) impugnat idololatriam, cujus originem ex peccato originali repetit, quamque rectae rationi adversari variis modis demonstrat. Pars altera libri primi (n. 30—47.) probat, solum Deum, quem christiana religio colit, verum esse. Hic igitur ostendit, exi-

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. Eccles. c. 87. Caeterum Codices omnes librum priorem inscribunt: *Oratio contra Gentes* (*Λόγος κατ' Ἑλλήνων*), posteriorem: *Oratio de Incarnatione*, (*Λόγος περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Λόγου*) quibus titulis etiam Photius (Opp. s. Athanasii T. I. p. CLXXIII.) utrumque librum insignivit, et quibus hodie quoque vulgo citari solent. *Oratio* autem, ubi Graecam vocem: *λόγος* exprimit, proprie *Tractatum* indicat.

stentiam unius Dei naturaliter colligi posse, a) ex nobis ipsis, hoc est, ex consideratione animae nostrae, quae est imago Dei, ratione praedita, et immortalis (n. 30—34.), b) atque ex admirabili ordine et concentu universi mundi (n. 35—39.). Postquam demonstravit, unum necessario esse, a quo mundus creatus sit, conservetur et gubernetur, hunc totius mundi creatorem et rectorem probat esse ipsum Dei Verbum (*Λόγον*), cujus naturam et efficientiam in mundo conservando ac gubernando, cujus etiam potentiam et providentiam universalem praeclare describit (n. 40—44.), subjungens eum, qui Verbum Dei cognoscit, ejus quoque Patrem Deum necessario cognoscere (n. 45.). Haec omnia dein, utpote pio et christiano homini scribens, auctoritate s. Scripturae confirmat (n. 45—47.), dictisque eleganti adhortatione finem imponit. — Libro II. consequenter de *Verbi Dei Incarnatione* dicere aggreditur, eamque fuisse *necessariam, possibilem, Deo dignam* fuse solideque probat. Commode autem liber hic in duas partes dividi potest, quarum in priore explicat causas, cur is, qui ex propria natura est corporis expers et Dei Verbum existit, Patris clementia et bonitate exigente, nostrae salutis causa, in humano corpore apparuerit (n. 1—32.) — Dehinc in altera parte transit ad refellendas objectiones Judaeorum et Gentilium. Judaeorum infidelitatem ex vaticiniis Veteris Testamenti insignem in modum redarguit, praesertim celeberrimum Danielis vaticinium de septuaginta hebdomadibus accurate exponens (n. 33—40.). Tum ad Gentiles conversus primo varias eorum objectiones, quibus mysterium Incarnationis Verbi Dei irridere solebant, futiles esse ostendit, declarans, nec impossibile esse, nec absurdum, Verbum Dei in corpore humano apparuisse (n. 41—45.). His praemissis ad eorumdem objectiones destruendas, demum ab effectibus miris, quorum omnium causa efficiens est Christus, et in quibus virtus vere divina, non humana tantum sese exserit, religionis christianae divinitatem demonstrat (n. 46—55.). In fine admonet lectorem, ut, quo melius haec omnia perspiciat, ad s. Scripturam perfugiat, observans tamen, ut quis eam intelligere possit, debere

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

eum vitam agere similem vitae illorum, qui sacros illos libros conscripserunt (n. 56—57.). — Merito advertit cl. Möhler quoad hoc opus Athanasii: „Son exposition est strictement scientifique; il part d'une base certaine et il y établit ses raisonnements. Ses travaux se distinguent par là et sont les premiers dans leur genre. L'écrit sur l'incarnation du Logos est surtout remarquable; c'est le premier essai d'une construction scientifique du Christianisme et des principales époques de la vie de Jésus-Christ.“[1])

25. Insigne opus dogmaticum s. Athanasii sunt 2° ejus *Orationes IV. contra Arianos*, (*λόγοι δ' κατ' Ἀρειανῶν*) quas ipse post intrusum pseudoëpiscopum Georgium (a. 356) in solitudine degens composuit. Continet hoc opus completam Arianismi refutationem, eamque sibi propositam esse initio Orationis primae ipse Athanasius advertit. „Quia, scribit, una et postrema haeresum, quae praevia Antichristo modo exorta est, Arianaque appellatur, vafra et callida, animadvertens antiquiores se sorores alias haereses palam notatas, ipsa se Scripturarum vocabulis, sui patris diaboli exemplo, simulate induit, nihilque non molitur, ut in Ecclesiae paradisum sibi regredi liceat, ut christiana specie assumpta, aliquos ad prave de Christo sentiendum possit falsis argumentationibus adducere, siquidem nihil in se habet quod rationi sit consentaneum: cum, inquam nihilominus nonnullos insipientes jam circumvenerit, adeo ut illi non tantum auribus sint depravati, sed etiam Evae similes acceptum errorem gustaverint, indeque ignorantia obcaecati amarum dulce aestiment, atque detestandam haeresim appellent bonam: vobis hortantibus necessarium duxi thoracis nefandae hujusce haeresis sinus explicare, atque ejus stultitiae patefacere foetorem, ut qui procul ab ea sunt remoti,

---

[1]) Athanase le Grand L. II, édit. de Bruxelles, t. I., p. 123. Opportunum erit etiam hanc Möhleri notam citare: „On peut être étonné de voir qu'Athanase considère la doctrine sur le Logos comme n'ayant besoin d'aucune démonstration. Cela a probablement lieu parceque la philosophie d'alors enseignait aussi l'existence d'un Logos.“ Ibidem.

eam magis adhuc fugiant, qui autem ab ea decepti fuerunt, resipiscant, apertisque cordis oculis intelligant, quemadmodum tenebrae non sunt lux, nec mendacium veritas, ita Arianam haeresin bonam minime esse, imo vero eos qui Arianos Christianos vocant, multum profecto valdeque errare, tanquam qui nec Scripturas legerint, nec quid sit Christianismus et christianae religionis fides omnino sciunt.“ S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

In Oratione *prima* praemittit contra Arianos argumentum ex *novitate* doctrinae, cui veram et catholicam *a Patribus traditam* doctrinam opponit (n. 1—9). Inde ad rei caput progressus, tum ex s. Scriptura, tum per multas rationes speculativas probat, Filium Dei non ex nihilo esse, nec aliquando factum, sed aeternum, atque ex Patre seu ex Patris substantia vereque genitum esse. Naturam generationis divinae ejusque a generatione humana discrimen apte exponit, ac varias haereticorum argutias resolvit (n. 10—39). — In reliqua parte Orationis primae, necnon in Oratione *secunda* ac *tertia* praesertim Scripturae sacrae textus discutit et explanat, tum eos quibus abutebantur Ariani, tum alios qui ad expositionem doctrinae catholicae pertinebant. — Oratione *quarta* Sabellianismum impugnans, mutuam relationem Patris et Filii accurate determinat ostendens praecipue, Verbum nec meram esse qualitatem Patris, neque aliud principium per se subsistens, sed foetum naturae Patris proprium, essentialem tamen et per se subsistentem, distinctum a Patre, non vero separatum. Varias porro assertiones falsas vel minus exactas quorumdam de Verbo rejicit et refellit. — Opus istud contra universam Arianorum aciem posse sufficere, ex eoque veluti fonte s. Gregorium Nazianzenum et s. Basilium M. hausisse pulchros illos et perlucidos suarum contra hunc errorem Orationum fluvios, recte asserit Photius.[1])

Hisce jungimus opportune 3° *Ad Episcopos Aegypti et Lybiae Epistolam encyclicam,* (ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος πρὸς τοὺς

[1]) Photii Cod. 140. Eo pariter sensu in Actis Concilii Florentini Magnus Athanasius vocatur „fons theologiae“ (ἡ πήγη τῆς θεολογίας) in Gregorii responsione ad Marcum Ephesinum (Harduin. T. IX. p. 628.) Simile quid etiam habes apud s. Gregor. Nazianz. Orat. 21. n. 7.

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

ἐπισκόπους Αἰγύπτου καὶ Λιβύης κατ' Ἀρειανῶν,) qua ipsos contra Arianorum astutiam praemuniret. Eadem passim praeponitur quatuor Orationibus contra Arianos, ita ut quinque tunc numerentur (πενταβίβλιον). Sed per se non unitur illis orationibus. Haec epistola missa ad Episcopos Aegypti et Lybiae initio tertii exilii Athanasii, ab ipso scripta est, antequam Georgius Cappadox intrusus esset in sedem ipsius. Etenim Athanasius n. 7: *Hinc ergo*, scribit, *etiam quemdam Georgium ex Cappadocia mercede conductum ad vos nunc volunt mittere; sed nulla hujus ratio haberi debet, siquidem fama est in hisce regionibus, illum ne Christianum quidem esse, sed potius idololatriae addictum barbarisque esse moribus et carnificis propriis.* Intrusus autem est Georgius tempore Quadragesimae anni 356, quo anno Pascha celebrabatur die 7 Aprilis, adeoque ante hoc tempus litterae illae datae sunt.[1])

Exstat etiam 4° *Athanasii Epistola encyclica ad Episcopos* omnes, (ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος εἰς επισκόπους), quae a quibusdam pariter huic tempori adscribitur.[2]) Sed haec epistola referenda est ad praecedens exilium (secundum) s. Athanasii, ad annum vero 341. Tunc videlicet Gregorius Cappadox (non vero Georgius) in sedem Alexandrinam intrusus est, pariter quidem tempore Quadragesimae, sed quum adhuc Athanasius Alexandriae versaretur, qui post ingressum Gregorii vix manus insectantium effugit ipsis paschalibus diebus. Postquam enim facinora in Gregorii ingressu patrata descripsit, Athanasius pergit: *His peractis nondum quieverunt: sed consilium inierunt, ut in alia ecclesia, ubi maxime illis diebus ego degere consueveram, eadem quae prius egerant, perpetrarent, ideoque furorem suum ad hanc quoque ecclesiam extendere studuerunt, ut me illic quasi venatu captum interficerent, quod sane mihi accidisset, nisi Christi gratia spem tulisset, ut vix effugerem et saltem haec pauca dictare liceret . . . Gregorius cum suis*

[1]) Nullum dubium esse potest, hanc epistolam datam esse eo quo diximus tempore; praeter Georgium Cappadocem commemorat Athanasius etiam Liberium ut Rom. Pontificem — Ap. Migne P. G. T. XXV. p. 535.

[2]) Cfr. Kirchenlex. Edit. 2a tit. Athanas. p. 1540. — Ap. Migne l. c. p. 220.

velut bello in Salvatorem suscepto, ducis patrocinio freti diem illam libertatis (Pascha) *Christi servis in luctum verterunt* (n. 5). Quum vero in epistola superius commemorata (3°), Athanasius jam in exilio constitutus, loquatur de pseudo-episcopo Georgio ut eo *quem mittere volebant*, vides, ad diversa tempora et exilia epistolas has referendas esse. Confusio autem facile oriri potuit ex affinitate nominum, Gregorii et Georgii utriusque Cappadocis, et ex similitudine facinorum quae in utriusque intrusione peracta sunt. Facinora quae acciderunt in prioris Gregorii invasione Athanasius in hac de qua agimus epistola a. 341 scripta, depingit. S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

Ad scripta Athanasii apologetica contra Arianos pertinet 5° ejus *Apologia contra Arianos* (*Ἀπολογητικὸς κατ' Ἀρειανῶν*), quam dedit postquam a secundo exilio anno 349 ad sedem suam redierat. Haud multo post, adeoque circiter anno 350 Apologiam confectam esse, colligitur inde quod Athanasius, referens Eusebii Nicomediensis vexas, inter alia scribit: „Imperatori beatae memoriae Constantino auctor fuit, ut mihi rescriberet interminatus ni Arianos admitterem ad Communionem, me iis affectum iri malis, quibus et jam olim et *haud ita pridem* sum affectus“ (n. 59). Secundum igitur exilium brevi ante finitum esse hisce insinuatur. Habetur dein relatio apologetica eorum quae evenerant in causa Arianorum, cum multis documentis, praecipue epistolis synodorum, Julii Pontificis et Episcoporum in favorem Athanasii. Pertingit autem haec Apologia usque ad annum 350, eventusque ultimus qui enarratur est resipiscentia Ursacii ac Valentis Episcoporum Arianorum. Hos merito resipuisse et se Athanasio reconciliasse ipse ostendit, iisque explicit Apologia n. 78 uti eam conscripserat Athanasius. Modo vero additamentum exstat, quod nn. 79 et 80 concipi solet; in eo Hosii et Liberii lapsus supposititi (a. 357, 358) tanguntur. Utrum vero s. Athanasius posteriori tempore illa adjecerit, an alius quispiam, controvertitur.[1]) Apologia haec ad aliquos amicos videtur directa.[2])

[1]) Cfr. Jungmann Dissert. t. II, n. 96 sqq.

[2]) Ap. Migne l. c. p. 239.

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

Conscripsit Athanasius etiam 6° aliam *Apologiam ad Constantium* Imperatorem,[1]) sed posterior haec est tempore. Quum ipse videlicet tertio in exilio versaretur, Constantii autem Imperatoris animum nondum satis perspectum haberet, ratus est imprudente illo tanta facinora in se committi, orationemque adornavit, quam coram Imperatore haberet, ut crimina objecta dilueret. Brevi tempore igitur post fugam suam a. 356 hanc apologiam confecit. Quatuor ibi criminationes contra ipsum Imperatori factas Athanasius commemorat et diluere nititur. Accusatus ipse erat, primo quod crebris visitationibus atque colloquiis Constantem Augustum in Constantium Imperatorem exasperare, odiaque et inimicitias inter fratres movere conatus esset; secundo, quod Magnentio rebelli gratiae ejus ineundae causa litteras misisset; tertio quod in magna ecclesia Alexandrina quae expensis Constantii aedificabatur et *caesarea* post appellata est, quum nondum aedificium completum esset, nec dedicatio facta, sacros conventus habuisset; quarto, quod jussus a Constantio in Italiam ipsius adeundi causa proficisci, non obtemperasset. — Conscripsit igitur quoad haec capita Athanasius concinnam Apologiam, jamque eremo relicta iter instituebat, quando ad ipsum de Constantii in ipsum odio ac facinoribus talia relata sunt, ut a coeptis sibi desistendum intelligeret. Iterum in eremo sese abscondit, Apologiae vero suae ea adjecit (inde a c. XXVII usque ad ultimum XXXV), quae audierat eumque commoverant, ut denuo se occultaret. Ultimam hanc Apologiae partem Athanasius hisce exorditur, ex quibus etiam tempus confecti libelli satis colligitur. *Haec cum mecum perpenderem*, scribit, *in culpa me esse non arbitrabar: sed cum hac Apologia mea ad tuam pietatem properabam, tuam compertam habens clementiam, memorque tuarum certissimae fidei promissionum . . . Jam me iter instituente, relictaque eremo, fama quaedam de repente percrebuit; quae initio quidem supra fidem visa, post vera deprehensa est. Rumor undique pervagabatur, Liberium Romanum Episcopum, magnumque illum Hosium in Hispaniis Episcopum, Paulinum*

[1]) Ap. Migne P. G. T. XXV. p. 595.

S. Athanasii Opera dogmat et apolog.

Galliarum, Dionysium quoque et Eusebium Italiae, Lucíferum Sardiniae, et alios quosdam Episcopos, presbyteros et diaconos, quod adversum nos subscribere renuissent, in exilium missos. Vincentium vero Capuanum, Fortunatianum Aquileiensem, Heremium Thessalonicensem, omnesque occidentales Episcopos, vi non minima, imo maxima violentia, gravibusque injuriis affectos esse, donec pollicerentur, se in posterum nobiscum non communicaturos (c. XXVII). Exilium Liberii et alia quae narrat versus finem a. 355 acciderunt, Athanasius autem mense Februario a. 356 Alexandria aufugerat. Quum certe paucos post menses rumor illarum calamitatum in Aegypto spargeretur, Apologia haec merito anno 356 attribuitur.

Paulo post scripsit s. Athanasius 7⁰ *Apologiam de Fuga sua,* (*ἀπολογία περὶ τῆς φυγῆς αὐτοῦ*), opus percelebre apud antiquos, quod etiam in synodo Alexandrina a. 362 Patribus congregatis sui purgandi gratia ipse recitavit.[1]) — Episcopi videlicet orientales Arianis partibus addicti, quum aegre ferrent, Athanasium fuga sese persecutoribus eripuisse, convicia multa in fugam ejus coeperunt spargere, eique exprobare animum in periculis pro populo suo obeundis ignavum, quod scilicet formidine mortis perculsus fugae se dedisset. Quorum igitur maledicta ut propulsaret elegantem edidit apologiam *de fuga sua,* in qua asserit et ex sacra Scriptura solide probat, licere et oportere quandoque capiti et saluti suae fugâ consulere, suamque ipsius fugam Deo opitulante factam describit. Incipit Apologia hisce verbis: *Audio Leontium jam Antiochiae Episcopum, Narcissum Neroniadis, et Georgium nunc Laodiceae Episcopum, caeterosque Arianos, multa adversum me spargere, meque probris insectari, ac timiditatis accusare, quod cum ab ipsis de medio tollendus inquirerer, non deditítium me illis obtulerim.* — Quum Leontius ille versus finem anni 359 obierit, patet ante hunc terminum Athanasii apologiam confectam fuisse.

Ad opera dogmatica s. Athanasii porro pertinent 8⁰ ejus *Epistolae quatuor ad Serapionen Episcopum Thmui-*

[1]) Ap. Migne l. c. p. 643.

S. Athanasii Opera dogmat et apolog.

tanum (ἐπιστολαὶ δ' πρὸς Σεραπίωνα), quae ab ipso pariter inter a. 356 et 362 conscriptae sunt.[1]) In his epistolis contra quosdam disputat s. Doctor, qui ab Arianis quidem discesserant et Filium vere Deum esse fatebantur, sed de Spiritu sancto impie sentiebant, quem nimirum rem creatam esse vellent et unum ex administris spiritibus, soloque gradu ab angelis differre. Eundem igitur errorem tenebant quem paulo post Macedoniani professi sunt; ab his tamen distinguendi videntur, quum de Filio plane orthodoxe ipsi sentirent, Macedoniani autem Semiariani essent. Illi etiam *Tropici* dicti sunt ab Athanasio, quod nempe s. Scripturae locos, quibus in vindicanda Spiritus sancti divinitate utebantur Catholici, metaphoris et *tropis* contenderent esse interpretandos. — In *prima* Epistola, quam rogante Serapione cujus litteras in eremo acceperat scripsit, fusius (33 numeris) doctrinam de divinitate Spiritus sancti evolvit. Primum quidem de usu loquendi Scripturarum ac de diversa significatione vocis *spiritus* disserit, et argutias adversariorum dissipat (n. 1—20); dein omnia proponit, quibus ex Scripturis et ex Ecclesiae traditione et fide de Trinitatis mysterio Spiritus sancti divinitas probatur (n. 21—33). — Secundae et tertiae epistolae rationem ipse Athanasius aperit, initio secundae epistolae scribens: *Ego quidem pauca me ita scripsisse existimabam: atque adeo me ipse maxime imbecillitatis accusabam, qui nec tantum scribere potuissem, quantum adversus eos qui in Spiritum sanctum impii sunt, licet hominibus dicere. Quando vero, ut scribis, quidam ex fratribus postulaverunt ut haec in compendium redigerentur, quo paratiores ac promptiores esse possint, cum ad breviter respondendum de his, qui ipsos de fide nostra interrogant, tum ad impios refutandos; id ego eo majore fiducia suscepi, quod cum recta sis praeditus conscientia, si quid missum fuerit, tu ipse non aegre supplebis.* — Quod petebatur vero Athanasius ita praestitit, ut in *secunda* Epistola breviter contra Arianos *Verbi divinitatem* tueretur, ea quae in Orationibus quatuor contra Arianos fusius exposuerat strictim presseque (novem numeris) trac-

[1]) Migne l. c. T. XXVI. p. 525.

tans: in Epistola *tertia* vero (septem numeris) argumenta pro divinitate Spiritus sancti breviter colligeret. Cur ita egerit explicat in exordio Epistolae tertiae. *Admirabere forsitan,* scribit, *quare cum jussus sim epistolam de sancto Spiritu in compendium redigere, remque paucis explicare, me videas tamen eam pertractare supersedentem adversus eos scribere qui de Filio Dei impie sentiunt, dicuntque rem creatam illum esse. At perspectum est mihi, te nequaquam reprehensurum, ubi causam didiceris; imo potius rem probatam fore pietati tuae, cum viderit, quam consentanea ratione ductus sim . . . Idcirco jure ac merito ante a me de Filio Dei actum scriptumque est, ut ex cognitione Filii valeamus et Spiritus sancti rectam assequi notitiam. Qualem enim scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eamdem ad Filium habere Spiritum sanctum comperiemus.* — Vides s. Athanasium hac in re specialem quandam methodum sequi voluisse, quae rationi errorum illius temporis ei utilis videbatur.[1]) — Novam dein accepit Athanasius a Serapione epistolam, quae argutias novas et impias haereticorum ei referebat solutionesque petebat. Utque ei obsequeretur Epistolam *quartam* s. Athanasius confecit. De argutiis illis Athanasius n. 1°: *Cujusmodi porro sunt callidae ipsorum interrogationes? Si Spiritus sanctus non est creatura, ergo, aiunt, filius est, et fratres duo sunt, Verbum atque ipse. Postea subsumunt, ut scribis: Si Spiritus sanctus a Filio accipiet, et ab ipso datur, (ita enim scriptum est,) et protinus inferunt, ergo avus est Pater, et nepos ejus est Spiritus.* — Cum indignatione ejusmodi cavillationes impias s. Doctor sugillat, eaque vult in mysterio Trinitatis teneantur, quae

[1]) Apte advertit Ceillerius: „Il semble que ces deux lettres (la 2e et 3e) n'en aient d'abord été qu'une que les copistes ont divisée ensuite; car celle qu'on nomme la troisième ne paraît pas être une lettre différente de la seconde, et c'est au commencement de celle-ci que saint Athanase promet d'envoyer à Sérapion l'abrégé de la première, en sorte que la troisième est moins une autre lettre qu'une partie de la seconde. Le Saint y fait voir que tout ce qui est dit du Fils est dit aussi du Saint-Esprit, et que les mêmes preuves qui servent à établir la divinité du Fils, établissent la divinité du Saint-Esprit." Vol. V. Saint Athanase § IX. n. 5. p. 230

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

Scriptura ac fides tradit. — Quam porro s. Athanasius Epistolam tertiam illo scripturae textu terminasset: „Quicumque dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro," Serapion petierat accuratiorem hujus textus explicationem. Aegre tantum s. Athanasius, uti ipse ait, huic petitioni cessit, quum difficilior ei videretur expositio. Attamen eam suscipit inde a. n. 8, et propositis quoque Origenis ac Theognosti opinionibus fusius de hoc textu disputat. Eum vero explicat de iis, qui in Verbo incarnato divinitatis opera diabolo ejusque daemonibus attribuere ausi sunt.

Brevius jam indicemus scripta dogmatica s. Athanasii quae versantur *tum circa Trinitatis doctrinam tum circa mysterium Incarnationis* Filii Dei. Eo pertinet 10° Liber qui inscribi solet *De Incarnatione Dei Verbi et contra Arianos, (περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ κατ' Ἀρειανῶν)*, scriptus Alexandriae circa a. 365. Hoc libro Anomaeos et Pneumatomachos s. Doctor oppugnat. Cum scilicet Ariani perverse interpretati divinae Scripturae verba quae de Filii Dei inopia secundum humanitatem dicta sunt, ad blasphemiam suam asserendam detorquere satagerent, dicentes Filium non posse esse Patri similem aut consubstantialem, ipse ad confirmandos fideles hoc opusculo objecta solvere et verborum istorum verum sensum explanare instituit.[1]) — 11° Liber *de Trinitate et Spiritu sancto* (qui tantum latine exstat) eodem fere tempore, ut videtur, scriptus, eamdem materiam quam in libro superiore et in epistolis ad Serapionem versaverat simili fere ratione tractat.[2]) — 12°. *Tractatus in illud: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo etc.* (Mth. 11, 27), a s. Athanasio scriptus est, ut explanaret haec verba contra Arianos, qui ex iisdem Filii divinitatem impugnabant. Eadem congrue explicat, simulque Verbi cum Patre unitatem probat ex textu Jo. 16, 15: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt.*[3]) — 13° *Libri duo de Incarnatione contra Apollinarium, (περὶ σαρκώσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησ. Χρ. κατὰ Ἀπολλινάριον,)*

[1]) Ap. Migne P. G T. XXV. p 982.
[2]) Migne l. c. T. XXVI. p. 1191. [3]) Migne l. c. T. XXV. p. 208

postremis vitae annis (c. 372.) a s. Athanasio scripti sunt defuncto jam Apollinario. Apollinaristae varie circa Christi personam errabant. Alii Verbum specie solum carnem assumpsisse, alii carnem coelestem et increatam sibique consubstantialem Verbum induisse opinabantur; alii mentem humanam, utpote peccatis malisque cogitationibus obnoxiam, a Verbo minime assumptam esse contendebant, alii animam quidem, sed tantum sensitivam, non rationalem, in Christo admittebant. S. Athanasius igitur, rescribens ad amicum, qui suas cum Apollinaristis disputationes ipsi recensuerat, varios eorum errores duobus illis libris refellit.[1]) — Jam paulo ante 14° *Epistola ad Epictetum Episcopum Corinthi, contra haereticos,* (*πρὸς Ἐπίκτητον ἐπίσκοπον Κορίνθου κατὰ τῶν αἱρετικῶν ἐπιστολή,*) idem fere argumentum s. Athanasius tractaverat. Cum videlicet Epictetus, Corinthi episcopus, Athanasio indicasset, homines quosdam discrepantes a sana fide sententias de Incarnatione Filii Dei proponere et agitare, hac *Epistola* apud antiquos Patres et Scriptores celeberrima, s. Athanasius ei respondet, variosque errores Apollinaristarum exagitat et diluit.[2])

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

15°. *Epistola ad Adelphium Episcopum et Confessorem contra Arianos,* (*ἐπιστολὴ πρὸς Ἀδέλφιον ἐπίσκοπον καὶ ὁμολογητὴν κατὰ Ἀρειανῶν,*) verisimiliter circa a. 373 scripta est in quosdam Arianos, qui Catholicis exprobabant, ipsos adorantes Christum, quem tamen verum perfectumque hominem esse crederent, rem creatam adorare; semetipsos autem idcirco Verbum hominem factum recte adorare arbitrabantur, quod animae locum, ut vane putabant, in Christo Verbum obtineret. Hujus erroris fundamentum in hac epistola destruit Athanasius docens, adorandum quoque esse Christum hominem, nec ita a nobis adorari rem creatam, sed Verbum hominem factum; nec enim humanam naturam a Verbo separandam esse, ut Verbum adoretur, sed Verbum forma servi quam accepit indutum debere adorari. Hac porro doctrina et Nestorium et Eutychem multo ante ortas ipsorum haereses condemnavit.[3]) — Eodem

[1]) Ap. Migne P. G. T. XXVI. p. 1091. [2]) Migne l. c. p. 1047. [3]) Migne l. c. p. 1070.

S. Athanasii Opera dogmat. et apolog.

fere tempore 16° *Epistola ad Maximum philosophum* (πρὸς Μάξιμον φιλόσοφον), scripta esse videtur.[1]) Hac epistola approbat s. Athanasius quae ad ipsum scripserat Maximus contra quosdam haereticos, quorum scilicet alii Christum verum Deum esse pernegabant, alii Verbum, ut olim, ad aliquem hominum advenisse autumabant, non autem factum ipsum esse revera hominem, alii vero ipsum communi naturae ordine hominem factum esse existimabant. Paucis contra eos errores disputat s. Athanasius, illud maxime ostendens, Christum crucifixum ipsum Deum gloriae esse, verumque Deum ab omnibus adorandum, atque in iisdem Christi actionibus et humanam infirmitatam et divinam gloriam ac potentiam esse conspicuam.

17°. *Oratio major de fide,* (λόγος μείζων περὶ πίστεως,) a Theodoreto saepius citata haud quidem complete ad nos pervenit, sed quamvis initium desit et lacunae in textu inveniantur, tamen etiam uti exstat egregia est s. Athanasii disceptatio contra Arianos aliosque istius aevi haereticos.[2]) In ea primum de Verbi incarnati divinitate ejusque ad humanam naturam relatione complures theses pronuntiat et applicat (n. 1—13), tum vero multos Scripturae locos, partim humanam, partim divinam Christi naturam designantes paucis elucidat (n. 14—39). — 18°. *Expositio fidei*, (ἔκθεσις πίστεως), quae veluti compendium hujus tractatus esse videtur, brevis est explicatio fidei catholicae adversus Arianos, in qua vera de mysterio SS. Trinitatis doctrina paucis exhibetur, et praecipui contra eamdem errores notantur, ac mysterium Incarnationis Verbi, mysterio ss. Trinitatis contiguum clare proponitur.[3]) —

[1]) Vid. B. Montfaucon Admonitio in hanc Athanasii Epistolam T. I. P. II. p 732 et Vitam s. Athanasii ad a. 371. n. 9. — Migne P. G. T. XXVI. 1084.

[2]) Opusculum hoc primum editum est a B. Montfaucon. in Nova Patrum et Scriptorum Graec. Collect. T. II. Locus quidam hujus Orationis qui desiderabatur suppletus est ab A. Majo, Nova Vet. Script. Coll. T. VII. p. 69. 68. — V. Migne P. G. T. XXVI. p. 811.

[3]) Migne l. c T XXV. p. 198. — Expositionem hanc, quam Leontius Byzant. (De Sectis Act. VIII. n. 4) Athanasio abjudicaverat, genuinam esse ostendit B. Montfaucon in Admonitione eidem praemissa. (Opp. s. Athanasii T. I. p. 78.)

Eundem scopum prosequitur etiam pressius 19° *Epistola ad Jovianum*, (*πρὸς Ἰοβιανὸν περὶ πίστεως*,) scripta a. 363, cujus occasio et ratio ex initio ipsius epistolae perspicitur. *Religiosum Imperatorem*, scribit Athanasius, *decet discendi studium et coelestium rerum amor: ita enim vere cor in manu Dei habiturus es. Cum igitur tua pietas fidem catholicae Ecclesiae a nobis cupiat perdiscere: postquam gratias eam ob rem Domino egimus, nihil nobis melius visum est, quam ut tuam pietatem fidei quam Patres Nicaeae confessi sunt commonefaceremus.* Cum variis elucidationibus dein ei fidem Nicaenam proponit.[1]) — 20°. *Epistola seu Tomus ad Antiochenos*, (*ὁ πρὸς τοὺς Ἀντιοχεῖς τόμος*,) paulo ante a. 362 ab Athanasio et synodo Alexandrina ad Antiochenos data est.[2]) In eadem, per duos legatos (Episcopos) eo transmissa, Antiochenis communicabantur quae in synodo Alexandrina statuta erant, quoad reconciliationem eorum qui Arianismo implicati videbantur. Cum porro Orthodoxi Antiochiae de usurpandis vocibus *οὐσία* et *ὑπόστασις* acriter inter se disceptarent, et sectatores Meletii tres *ὑποστάσεις* dicerent in Trinitate, illi vero qui Paulino adhaerebant unam *ὑπόστασιν* profiterentur, censuerunt Athanasius et Alexandrini praesules, tutius esse uti vocabulis Synodi Nicaenae, quam illis trium hypostaseon et unius substantiae. — 21°. *Epistola ad Rufinianum* (*ἐπιστολὴ πρὸς Ρουφινιανόν*), huic Episcopo pariter paucis ea communicat, quae in synodo Alexandrina quoad reconciliationem statuta erant.[3]) — 22°. *Epistolae duae ad Luciferum Calaritanum*

[1]) Ap Migne P. G. T. XXVI. p. 811. — Huic expositioni valde similis est *Interpretatio in Symbolum* (*Apostolicum*), quae non est Athanasii, etsi illius aevi esse videatur. — Spuria pariter est altera *Epistola ad Jovianum* quae circumfertur. (Cf. Montfaucon in Admonit ad haec opuscula Opp. s. Athanasii T. I. P. II. et T. II.) Epistola haec auctorem habet Apollinarium haereticum, ut testatur Anastasius presbyter in A. Maji N. Coll. Vet. Scrip. T. VII. p. 16.

[2]) Migne P. G. T. XXVI. p. 784. — *Tomum* esse Epistolam synodicam, praecipue liquet ex s. Gregorio Nazianz. ep. 101 (ad Cledonium). Cujus nominis ratio est, quod in epistolis synodicis res *συντετμημένως*, i. e. paucis enarrentur. Cf. Montfaucon. Ammadvers. VI. (Athanasii Opera T. III. p. XIV—XV.)

[3]) Migne P. G. T. XXVI. p. 1179.

S. Athanasii Opera histor.

latine tantum exstant. Prima epistola Luciferi fervorem in defensione orthodoxae doctrinae et impugnatione Arianorum Athanasius celebrat. In altera, quum ei Lucifer scripta sua contra Constantium transmisisset, amplius etiam eadem encomia prosequitur.[1]) — Haec igitur sunt *praecipua* s. Athanasii scripta apologetica et dogmatica, ex quibus apparet, quanto studio ac labore s. Doctor pro vera fide indefesse pugnaverit.

II. Opera historica.

Scripta historica s. Athanasii cum dogmaticis et polemicis (excepta Vita s. Antonii) intime cohaerent, et maxime ad historiam haeresis Arianae Conciliique Nicaeni spectant. Ad haec Opera pertinent:

1° *Epistola de decretis Nicaenae Synodi*[2]) insigne documentum est summae utilitatis, ut ea quae in Synodo Nicaena acta et definita sunt intelligantur, utque perspiciatur, cur contra Arianos ad stabiliendam fidem catholicam ὁμοούσιον vocabulum selectum sit, et quo pertineat Concilii definitio. Quo tempore videlicet Athanasius post secundam persecutionem Alexandriae versabatur, circa a. 350, accidit in quadam disputatione cui nonnulli intererant Eusebii familiares, ut ipsi confutati et fracti ab aliquo Athanasii amico, postremo id reprobrarent Synodo Nicaenae, quod novae voces in Scriptura non inventae adhibitae fuerint. Rem ille Athanasio significavit. Quapropter Athanasius hanc scripsit epistolam de Nicaenis decretis. In ea quae gesta sint in sacra illa Synodo, cui Athanasius ipse praesens adfuerat recenset, et exponit quae causa fuerit vocis ὁμοούσιος usurpandae. Enarrat etiam, quo pacto ipse Eusebius Pamphili vocem illam censuerit admittendam in sua ad Caesarienses epistola, neque deesse ostendit ex antiquis Patribus, qui ea ipsa aut similibus vocibus fuerint usi. Denique vocem ἀγέννητος, in cujus usu ludebant Ariani Patri soli eam vindicantes, quoad va-

[1]) Migne P. G. T. XXVI. p. 1182.

[2]) Migne P. G. T. XXV. p. 411.

rias quibus accipi solet significationes erudite explanat. — Quum Concilii Nicaenae Acta non habeantur, patet, quanti momenti sit haec s. Athanasii de decretis Synodi Nicaenae explanatio.[1])

Pro historia dogmatum pariter magni pretii est 2° *Epistola de sententia Dionysii, (περὶ Διονσίου, τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρείας)*. Eodem fere tempore, ac forte etiam ad eumdem virum amicum Arianorum cum Catholicis disceptationibus interesse solitum, haec epistola scripta videtur. Ariani itaque Catholicorum argumentis passim confutati, suam haeresim Dionysii Episcopi Alexandrini auctoritate fulcire nisi sunt, prolatis ejusdem litteris a. 263 conscriptis, ubi dum Sabellianorum confutabat errorem, in similitudines quasdam inciderat, quibus, licet praeter auctoris mentem, laesa visa est quibusdam Verbi divinitas. Verum ea de re postea apud Dionysium Pontificem Romanum accusatus, libros quosdam et Apologiam conscripsit ad eam propulsandam criminationem. Ex his autem postremis decessoris sui scriptis Athanasius luculenta quaedam excerpit loca, quibus peropportune Arianorum retundit impudentiam et demonstrat, Dionysium omnino orthodoxe sensisse et alienissimum fuisse ab Arianorum erroribus.[2])

---

[1]) Quae de selecta in Synodo *ὁμοούσιος* voce Athanasius tradit, vid. Jungmann Dissertat. Tom. I Diss. V[a].

[2]) Migne P. G. T. XXV. p. 478. — Advertendum est, Athanasium non ita suscipere vindicias Dionysii, ut eum excuset de aliqua opinione minus orthodoxa, vel ut statuat Dionysium correxisse quae minus accurate docuerit; sed praedecessorem suum ostendit semper recte de Verbo sensisse, nonnisi per calumniam vel inscitiam ei errores attributos fuisse, atque ex Dionysii doctrina Arianos penitus profligari. Id eo majoris momenti est, quod Athanasius Dionysii in sede Alexandrina successor hujus scripta varia prae manibus haberet, apprime sensum verborum et dictionis cognosceret, et conscius esset traditionis ea de re in ecclesia Alexandrina vigentis. Hinc Athanasii auctoritas hac in re praevalere debet s. Basilii verbis in epistola ad Maximum philosophum quibus severius Dionysii scripta sugillat, ac si semina Arianismi in iis contineantur. Atque immerito nostris diebus quidam auctores similes de s. Dionysio Alexandrino opiniones propalarunt.

S. Athanasii Opera histor.

Exstat 3° celebre opusculum historicum Athanasii, videlicet *Historia Arianorum ad monachos.*[1]) Praecedit ipsum opus velut prologus epistola quam cum confecto opere ad monachos misit, ex qua colligitur quaenam scripta petentibus illis s. Athanasius confecerit. Scribit videlicet Athanasius in praevia hac epistola n. 1: *Ut vestrae charitati morem gererem, postquam me frequenter hortati estis, demum nostras Ecclesiaeque calamitates paucis conscripsi, et quoad facultas tulit, execrandam Arianitarum haeresim confutavi ostendique, quam sit illa a veritate aliena.* — Disserit dein de difficultate loquendi et scribendi de mysteriis quae Deum et Christum spectant, et inter alia n. 2.: *Ne autem videar aut vobis molestus esse, aut eos qui illud a vobis postulant iisque de rebus disceptant per silentium meum in impietate detinere, mihi ipse ad haec pauca scribenda vim intuli, et haec misi vestrae pietati . . .* n. 3: *Sic equidem pro facultate scripsi: vos autem, dilecti, haec accipite, non quasi perfectam de divinitate Verbi explicationem complectantur: sed ut quae dumtaxat Christi hostium impietatem arguant, et quae volentibus occasionem praebeant ad piam sanamque in Christo fidem assequendam . . . Cum igitur haec legeritis, orate pro nobis, et invicem vos ad illud cohortamini. Et quam primum haec ipsa ad nos remittite: nulli prorsus hujus exemplar tradatis, nec vobis ipsis transscribatis, sed ut probis trapezitis sat vobis sit horum lectio, saepius repetita si libeat. Non enim tutum est nostrum balbutientium et indoctorum litteras ad posteros pervenire.* — Ex hisce colligitur, ab Athanasio duplex opus ad Monachos transmissum esse, alterum quidem historicum, alterum dogmaticum quo confutatio Arianismi continebatur. Haec vero quae ad confutandam Arianam haeresim et ad Verbi divinitatem propugnandam scripta sunt, an jam supersint, incertum est. Quod aiunt enim nonnulli, id ipsum esse quod *quatuor Orationes contra Arianos*, id difficultate non caret. Nam in eo quod ad Monachos missum est rescripto, *paucis* Arianam haeresim impugnatam fuisse, ex citatis pro-

[1]) Migne P. G. T. XXV. p. 691.

logi verbis inferendum esse videtur. Orationes autem contra Arianos adeo prolixae sunt, ut vix credatur, eas Athanasium *paucis* conscripta dixisse, qui nullum aliud tantae prolixitatis opus, quod sciamus, unquam edidit. Quidam viri eruditi in eam se verterunt sententiam, illud rescriptum dogmaticum quod ad Monachos Athanasius misit, identicum esse cum Epistola secunda ad Serapionem, in qua breviter divinitatem Verbi contra Arianos probat, ut dein compendio etiam divinitatem Spiritus sancti evincat. Quae quidem sententia nihil habet quod repugnet, etsi argumento certo firmari non possit. In illa quidem Epistola secunda Athanasius dicit, divinitatem Verbi breviter a se probari, ut viam sternat ad demonstrandam divinitatem Spiritus sancti. Sed uti sane potuit opusculo jam a se confecto et ante ad Monachos misso. Si hac ratione opusculum hoc postea insertum fuit epistolis ad Serapionem scriptis, mirum non est, quod ut speciale opusculum ad posteros non pervenerit. Sed fieri etiam potuit, ut tractatus ille ad monachos ab Athanasio missus periret. Noluit enim Athanasius ut transcriberetur hic tractatus, nec in animo habebat ut opusculum ad se remissum servaret, uti ex epistola ejus patet. Fortasse igitur illud postea destruxit; nobis tamen hoc minus probabile esse videtur.

Quod spectat ad *Historiam Arianorum*, initio, uti nunc liber ille exstat, mutila est; incipit enim ex abrupto his verbis: „Illi vero ea quorum gratia haec moliti sunt, non diu postea impleverant.“ Ratio defectus haec esse a variis eruditis conjicitur. Supponunt, initium *Historiae* identicum fuisse vel saltem admodum simile illis quae in altera parte Apologiae contra Arianos (c. 59) Athanasius habet, usque ad ea quae synodum Hierosolymitanam anni 335 spectant; inde diversum modum narrandi Athanasium iniisse. Amanuenses autem quum cernerent illam priorem Historiae partem eamdem aut fere similem esse posteriori Apologiae contra Arianos parti (num. 59), ubi ab exordio Arianismi res gestas recenset Athanasius editaque monumenta refert, ab ea describenda supersederunt. — In hac igitur *Historia* s. Athanasius postquam synodi Hierosoly-

S. Athanasii Opera histor.

mitanae (a. 335) gesta leviter attigit, recenset Episcopos ab Arianis dire vexatos extorresque factos. Hinc enarrat res gestas ab anno 338 ad a. 357, ac intermissa passim narrationis serie, acriter in Constantium et Arianos invehitur. — Ad tempus porro quod attinet quo haec *Historia* scripta est, eam ante mortem Leontii episcopi Ariani Antiocheni confectam esse, patet eo quod passim ejus ut viventis Athanasius mentionem facit. Ita n. 4: *Ex quorum numero*, scribit, *est Leontius castratus, qui nunc Antiochiae episcopus est.* Leontius vero mortuus est initio anni 357, uti ex Socrate Hist. eccl. II, 37 et Sozomeno IV, 15 coll. 13 et 14, colligitur; caeterum quae in illa Historia narrantur non se extendunt ultra tempus quadragesimale a. 357. Hinc quae habentur n. 41 de lapsu Liberii: *Porro Liberius extorris factus post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit;* vel ab Athanasio paulo post addita sunt, quum rumor (falsus) de lapsu Liberii ad eum pervenisset, vel, ut aliis placet, supposita habenda sunt.

4°. *Epistola s. Athanasii ad Serapionem de morte Arii,* (*ἐπιστολὴ πρὸς Σεραπίωνα τὸν ἀδέλφον,*) breve quidem sed pretiosum est antiquitatis documentum.[1]) Epistolae scopus, indoles et tempus quo data est, ex ejus initio (n. 1) colliguntur. Legi, scribit s. Athanasius, *pietatis tuae litteras, quibus hortaris nos, ut tibi quae nos spectant, quaeque hoc tempore gesta sunt enarremus: et una scribamus de impiissima Ariana haeresi, cujus causa haec mala pertulimus: necnon quisnam fuerit vitae Arii exitus. Cum tria igitur postulata fuerint, duo quidem libenter executus sum, misique ad tuam pietatem mea ad Monachos scripta: ex his enim poteris cum res nostras, tum eas quae ad haeresim attinent ediscere. Tertium vero quod spectat, nempe Arii mortem, multa mecum perpendi, veritus ne me quis hominis interitui insultare arbitretur; verumtamen, quum disputatione apud vos circa haeresim habita, huc quaestio desierit, num Ecclesiae communione junctus obierit Arius; idcirco quum ex obitus illius historia quaestio solvatur, necesse duxi accu-*

[1]) V. Migne P. G. T. XXV. 680.

rate rem vobis enarrare: ratus perinde esse hoc indicare, atque disputantes compescere. Existimo enim, cognito illius mortis miraculo, ne eos quidem qui ante hac de re quaestiones movebant, ausuros ultra ambigere, Deone odiosa sit Ariana haeresis. — Enarrat dein, qua ratione Arius mortuus sit, indicans unde id compertum habeat. *Equidem*, inquit, *Constantinopoli non aderam, cum ille vita functus est: sed aderat Macarius presbyter, a quo narrante rem comperi.* — Ex Athanasii verbis patet, epistolam posteriorem esse ejus Historia Arianismi ad monachos data, scripta tamen est (c. a. 358) adhuc vivente Constantio, *qui etiamnum Episcopis vim inferebat* (n. 4). Monet porro in fine Athanasius: *Cave nemini horum exemplar edas, aut tibi ipsi transcribas, nam idipsum monachis quoque significavi: sed pro tua ingenuitate, si quidpiam scriptis deerit, id addas, statimque illa ad nos remittas velim.*

Scripsit Athanasius 5⁰ *Epistolam de Synodis Arimini et Seleuciae celebratis.*[1]) Hujus epistolae seu operis tres sunt partes. In *prima* scopum principalem prosequitur, dum scilicet res in Synodis Ariminensi et Seleuciensi actas fideliter enarrat (n. 1—12). In *altera* parte: ut Arianorum instabilem animum et inconstantiam palam faciat, recenset undecim diversas fidei formulas, per eos variis locis et temporibus conscriptas, initio ducto ab Arii Thalia, cujus non modicum affert fragmentum (n. 14—32). — In *tertia* parte voces *οὐσία* et *ὁμοούσιος* pluribus defendit contra Semiarianos, quos tamen non inimicorum loco habere profitetur, imprimis Basilium Ancyranum, cum vocem tantum *ὁμοούσιος*, non rem ipsa significatam respuant (n. 33—54). Ex contextu colligitur, hanc epistolam scriptam esse, quum finito Synodo Seleuciensi, concilium Ariminense adhuc continuaretur, adeoque versus finem anni 359.[2]) Huic autem operi postmodum Appendicis loco monumenta duo adjecit, quae ad historiam Synodi Ariminensis spectant (n. 55).

---

[1]) Migne P. G. T. XXVI. 677.

[2]) Cf. Ceillier T. V. S. Athanase §. 10.

S. Athanasii Opera hist.

Scripta est a s. Athanasio 6⁰ *Vitâ et conversatio s. patris nostri Antonii, (βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀντονίου,)* opusculum historico-asceticum, circa a. 365.[1]) Rogantibus videlicet monachis transmarinis, uti videtur occidentalibus, Antonii patris monachorum, vitam, gesta et miracula scripto mandavit ex iis, quae frequens adeundo virum, nec modico temporis intervallo cum eo versatus oculis ipse conspexit suis, necnon e sodalium monachorum testimoniis texens historiam. — Opus hoc eximium, cujus dignitas omnibus retro saeculis summopere commendata est, perfectam vitae monasticae exhibet normam, atque ea hic proponuntur vitae christianae et monasticae documenta, quae prudens Christianus ut praeclara vitae instituendae praecepta non amplecti non potest. Vitam hanc genuinam esse testimoniis externis luculenter constat.[2]) Cum nihilominus quidam, in his praecipue C. Oudin T. I. col. 358—361, negarent s. Athanasium esse auctorem hujus vitae, ad plenam certitudinem evicit jam B. Montfaucon, (Monitum in vitam s. Antonii n. 3—6., ap. Migne l. c. p. 823), prorsus vanam et futilem esse hanc assertionem adversariorum. Hoc tempore tamen denuo auctor quidam H. Weingarten genuinitatem hujus vitae impugnavit, contendens, non s. Athanasium, sed alium quemdam eam conscripsisse, nec historicam adesse veritatem, verum narrationem confictam ea tendentia, ut ideali quadam ratione institutio monastica pro suo ad Ecclesiae organismum habitu repraesentetur.[3]) Ex

[1]) Migne P. G. T. XXV. p. 839.

[2]) Eam adhuc vivente s. Athanasio, probabiliter jam intra annos 365—370, in linguam latinam, satis libere tamen transtulit Evagrius presbyter, uti testatur s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 125. Hujus porro operis mentionem honorificam fecerunt s. Gregorius Nazianzenus in suo Panegyrico in Athanasium, quem Constantinopoli circa a. 380 adeoque paucis annis post mortem sancti Doctoris habuit (Orat. 21. n. 5), dein s. Ephraem Syrus in illud: Attende tibi ipsi n. 10., s. Hieronymus l. c. c. 87. 88. ep. 57. n. 6, s. Augustinus Confess. l. 8. n. 14 et 29; Paulinus in vita s. Ambrosii n. 1., Rufinus Hist. eccl. l. 10. 48. Socrates l. 1. c. 21; Justinianus Imp. in suo Edicto adv. Origenem ad Mennam (Mansi T. IX. col. 505.)

[3]) Der Ursprung des Mönchthums im nachconstantinischen Zeitatter. Von Dr. H. Weingarten, ö. Professor der Kirchengeschichte an der Univers. Breslau. Gotha ap. Perthes 1877.

argumentis internis praecipue ejus argumentatio desumitur; sed ex praejudiciis eadem revera procedit. Sufficiat advertere, dum ipse multa inepta et Athanasio plane indigna in hoc opere inveniri opinatur, contrarium plane viris summi nominis, uti Möhlero, visum esse; tendentiam vero exhibendi normam vitae monasticae, optime cum historica descriptione Vitae s. Antonii consistere posse.[1])

III. Opera exegetica et moralia s. Athanasii.

S. Athanasii Opera exeg.

Plurimos textus qui SS. Trinitatem, Verbi et Spiritus Sancti divinitatem, et incarnationem spectant, s. Athanasius in suis scriptis dogmaticis fusius perpendit atque explicavit. Praeterea vero etiam aliqua scripta confecit quae speciatim ad interpretationem sacrae Scripturae referuntur. Huc pertinent:

1° *Epistola ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum*, (*εἰς τὴν ἑρμηνείαν τῶν ψαλμῶν*). Scopus opusculi ex initio patet. Inter alia: *Sciscitatus*, scribit, *ex tabellario, qua ratione post aegritudinem versaris: didici, te omnibus quidem Scripturis divinis vacare, potissimum tamen Psalmorum librum evolvere, maximeque studere, ut cujusque Psalmi veram sententiam assequare. Quamobrem te summopere laudo, cum magno eundem librum, totamque Scripturam studio prosequar. Hoc itaque modo affectus, incidi olim in*

[2]) Bene ad rem cl. Möhler: „On ne refusera certainement pas l'admiration (à cet ouvrage), soit que l'on regarde tous les faits qu'il rapporte comme conformes à la vérité historique, soit que l'on pense qu'Athanase y ait ajouté divers détails. Quant à moi, je suis de ce dernier avis, car il me semble en reconnaître par-ci par-là des traces évidentes. Il faut pourtant bien se garder de pousser trop loin ces suppositions; il y a d'autre part des preuves palpables qu'Athanase s'est senti lié par l'impérieuse loi de l'histoire. Le but de cet ouvrage est de faire voir ce que c'est en réalité que la vie religieuse; de montrer de quel côté un moine doit diriger toute son attention; de lui apprendre qu'il doit faire servir la solitude et les privations à une fin plus sublime, c'est à dire à la sanctification intérieure; de décrire avec exactitude les moyens qui y conduisent; de le préserver de toute fausse route, et enfin de prouver que le moine, bien qu'éloigné de la société des hommes, doit pourtant se rendre utile à l'humanité.“ Athanase le Grand, T. II. L. IV. p 84.

S. Athanasii Opera exeg.

quemdam senem studiosissimum, voloque tibi, quae mihi ille de sacro Psalterio, quod manu tenebat, sermocinabatur, perscribere: habent enim quamdam probabilitatem cum enarratione veri simillima conjunctam. — Dein (n. 2—33.) de Psalmorum excellentia, de eorum indole prophetica, de modo quo singulis conveniunt, de variis classibus Psalmorum eorumque usu pie et erudite disserit [1])

2) *Expositiones in Psalmos,* partim ex Catenis deprompтae, non omnibus suis partibus et numeris absolutae, sed amanuensium ausibus hinc inde praesertim in fine totius Operis truncatae, vel in compendium redactae sunt. Plerumque in argumento praemisso synopsin quamdam totius Psalmi ob oculos ponit, in qua litteralem saepe sensum apprime et acute tangit; in ipsa expositione sensum plerumque spiritualem seu mysticum exhibet; haud raro tamen litteralem quoque attingit, et quidem rectissime ad scopum Prophetae. Caeterum sat perspicuus, admodum brevis atque pressus est in isto Commentario, multasque lectiones Aquilae et Symmachi profert. — *Argumentum in Psalmos*, postea repertum, disserit de Psalmorum ordine et auctoribus, ac qua mente Psalmi legendi sint, Ascetas egregie docet.[2])

---

[1]) Hujus libelli mentio habetur apud Cassiodor. de Institut. divin. litter. c. 4 et in Synodo Nicaena II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 361.) Utrum s. Hieronymus commemorans s. Athanasii librum *de Psalmorum titulis* (de Scriptor. eccles. c. 87) idem opusculum denotare velit, incertum est. — Libellus iste correctior et plenior, quam in praeclara Montfauconii editione Paris., habetur in edit. Patav. Opp. s. Athanasii T. III. p. XXI—XXXVI. — Migne P. G. T. XXVII. p. 9.

[2]) *Expositiones s. Athanasii in Psalmos* habentur Athan. Opp. (ed. Montfauc.) T. I. P. II. p. 804—984, item p. 985—1002 et p. 1026—27. Migne P. G. T. XXVII. 59. His adde *Supplementa Commentarii s. Athanasii in Psalmos* Opp. T. III. p. 53—73., ubi etiam *Argumentum in Psalmos* (*ὑπόθεσις εἰς τοὺς ψαλμούς*) exstat p. 52—53. (utrumque huc translatum ex Montfauc. Coll. Nova T. II.) Migne l. c. p. 55. — Commentarii hujus authentia, quae impugnatur a Tillemontio, C. Oudino (T. I. col. 384.) aliisque, vindicatur ex rationibus internis, quales sunt affinitas styli, verbaque frequentia usus Athanasiani, et externis, maxime quod expositio haec ab antiquis auctoribus haud raro citatur fere ad verbum. Vid. Montfaucon Monit. T. I. P. II. p. 801—4. T. III. p. 51—52. Ceillier T. V. Chap. II. Art. II. §. XVI. n. 3—5.

Alia quoque exstat sub nomine s. Athanasii *Interpretatio Psalmorum*,[1]) quae vero praeter explicationem tituli singulorum Psalmorum paulo fusiorem, verbis hebraicis male intellectis haud raro innixam, non est fere nisi paraphrasis exilis singulorum versuum, simillima glossae marginali aut interlineari.

Caeteri ejus Commentarii, ut in Ecclesiasten et in Canticum Canticorum,[2]) fere integri exciderunt.

Nota 1. Operibus hisce adjungenda sunt multa *Fragmenta*, quorum tamen plerumque auctoritas nonnihil dubia est. Ex his praecipua sunt: *Fragmenta ex Commentariis in Canticum Canticorum* (Edit. Maurin. seu Montfaucon T. I. p. 1005.), item *ex Commentariis in Matthaeum* (T. I. p. 1006—9. T. III. p. 19—31.), et *in Lucam* (T. III. p. 32—36. T. I. p. 1009—10.); *De jejunio* ex *Sermone de fide* (T. III. p. 15.); Fragmenta duo historica, unum *de Paulo Samosateno*, alterum *de scelere Stephani Antiocheni* commisso in legatos Synodi Sardicensis (T. III p. 16.), et alia T. I P. II. p. 1003—4. p. 1011—29. T. III. p. 74—78. — Migne P. G. T. XXVII.

Nota 2. Inter *Opera s. Athanasii dubia* pertinet 1) *Synopsis Scripturae sacrae* (T. II. p. 96—156.), cujus auctor summa perspicuitate, sagacitate et eruditione ea fere omnia pertractat, quae Introductio in libros sacros V. et N. Testamenti hodie complecti solet, cf. Monit. T. II. p. 95—96. Fabric. Biblioth. Graec. Vol VIII. p. 195—96. 2) *Liber de Virginitate* sive *de ascesi* (T. II. p. 84—95.) pii cujusdam rerumque ecclesiasticarum periti viri Opus est pulcherrimis praeceptis refertum; non vero Athanasii esse videtur, cum ob diversum orationis genus, tum quia in antiquis collectionibus Operum s. Athanasii non reperitur, tum quia sequioris aevi nonnihil inibi continetur; cf. Monit. T. II. p. 84. Praef. T. II. p. IV. Ceillier T. V. Chap. II Art. III. n 10. (p. 277—80.) 3) *Tractatus* aliquot *dogmatici*, ut: *Tractatus* duo *de Incarnatione*

---

[1]) Interpretatio haec primum edita est ex duobus Codd., uno recentiori, altero saeculi noni, a N. Antonello Romae 1746. fol. Huic editioni praeposita est Praefatio admodum erudita, qua cl. Editor authentiam hujus Interpretationis variis probare conatus est argumentis, et multa ad historiam antiquam interpretationis sacrorum librorum perquam utilia contulit. Interpretatio haec cum Praefatione recusa est in edit. Patav. Opp. S. Athanasii T. III. „Utra istarum in Psalmos interpretationum Athanasio tribuenda sit, eane, quam Benedictini monachi, an vero, quam Antonellus detexit, definire ipsi nos non audemus; Litem hanc Eruditorum judicio dirimendam relinquimus;“ ita Edit. Patav. T. III. Praef. p. VIII Cf. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 191—92. — Migne P. G. T. XXVII. 591.

[2]) Hos legit Photius Cod. 139.

S. Athanasii Fragmenta et Opera dubia.

Verbi Dei, quorum alter brevissimus est, alter nonnihil prolixior; *Testimonia ex s. Scriptura de naturali communione similis essentiae inter Patrem et Filium et Spiritum S.*; *Epistola Catholica ad omnes ubique Episcopos; Refutatio hypocrisis Meletii et Eusebii Samosat.; De aeterna Filii et Spiritus S. cum Deo exsistentia et contra Sabellianos* (T. II. p. 1—37). Cf. Praefat. T. II. p. III—IV. et Admonit. singulis praemissas. Tillemont T. VIII. Art. CXIII. cum Nota 103 et 104 (p. 244 et 715—19). 4) *Homiliae* sive Orationes, quae Athanasii nomine circumferuntur, vel nugis plenae manifesteque spuriae sunt, vel humiliore stylo conscriptae, quam ut Athanasio incunctanter tribui possent, ex. gr. *Sermo de Patientia* (T. III. p. 42—47.), *Sermo in Ramos Palmarum* (ibid. p. 48—49.); *Oratio: quod unus sit Christus sive in Natalem Christi; de Sabbato et circumcisione; Homilia de semente* Matth. 13, 1. seqq.; item *in illud: Profecti in pagum etc.* Matth. 21, 2.; demum *de passione et cruce Domini* Matth. 27, 33. seqq. (T. II. p. 38—84.) Cf. Monita singulis praefixa. — Migne P. G. T. XXVIII.

Nota 3. Ex *Operibus spuriis*, quorum permulta circumferuntur, nominari merentur: *Disputatio contra Arium in Concilio Nicaeno; Sermo contra omnes haereses; Doctrina ad Antiochum; Quaestiones ad Antiochum; Quaestiones in Scripturam; Historia imaginis Berytensis;* Varii *Sermones* et *Homiliae; Dialogi V de Trinitate; De Trinitate libri octo; Vita s. Syncleticae; Epistolae Athanasii ad Liberium*, et *Liberii ad Athanasium*, et al. Quae omnia exhibet T. II. p. 158—652. Cf. Ceillier T. V. Chap. II. Art. IV. n. 1—18. (p. 283—92). — Migne P. G. T. XXVIII.

Nota 4. *Symbolum: Quicunque*, quod vulgo *Athanasianum* audit, Athanasii quidem doctrinam accuratissime et mira claritate ac perspicuitate exhibet, non tamen ab Athanasio concinnatum est, quod hodie inter Eruditos omnes constat. Posteriori tempore, ac latine conscriptum esse censetur, auctoremque esse alii Hilarium Arelat. (m. 449.), alii Vincentium Lirin. (450.) alii Vigilium Tapsensem (c. 525.), alii Venantium Fortunatum (603.) conjecerunt. Sed ad finem vergente saeculo V., forte a Vigilio Tapsensi, conscriptum esse videtur. Vid. Montfaucon Diatribe in Symbolum: Quicunque (Athanas. Opp. T. II. p. 652—67. ap. Migne T. XXVIII. p. 1568.); Pagi Crit. ad a. 340. n. 6—8. Dupin T. II. p. 101. Ceillier T. V. Chap. II. Art. IV. n. 19—21. (p. 292—95). Cf. Sandini Vitae Pontiff. Roman. sub Julio I. (edit. Ferrariae 1748. p. 81—82.) et Ejusdem Disput. histor. XIV. ad Vitas Roman. Pontiff. (edit. Ferrariae 1742. p. 164—78). P. Quesnel Dissert. XIV. in Opp. S. Leonis M. n. 12—16. cum Ballerin. Observatt. (in Opp. S. Leonis M. ed. Ballerin T. III. col. 937—44. et 953—59). — Köllner's Symbolik aller christlichen Confessionen. I. Thl. (Hamburg 1837.) S. 53—91. — Freib. Kirchenlex. ed. 2. s. v. Glaubensbekenntniss.

§. 90.

Character et doctrina s. Athanasii Magni.

S. Athanasii character.

Tanta erat in Athanasio vitae sanctitas, tanta ingenii vis, et eruditionis copia, tam illibata denique ejus orthodoxia in rebus fidei gravissimis ac difficillimis proponendis, explicandis, defendendis, „ut et vita ipsius morumque ratio Episcopatus norma esset, et ipsius dogmata pro fidei orthodoxae lege haberentur," imo ipse „Ecclesiae columna" et „magna veritatis tuba" vocaretur.[1]) Is cum altissima rerum divinarum contemplatione miram in rebus gerendis solertiam et eximiam conjunxit pietatem. Totus ejus vitae cursus continuus erat cum hoste vigili et vaferrimo conflictus, cujus insidias prudenter declinabat, cujus malas artes aperte retegebat, cujus perversa dogmata omnibus perspecta et detestanda reddebat, cujus denique sophismata captiosa penitus destruebat et inania monstrabat. Etsi vero, cum insolentia criminum aut haeresum impietas fidelium saluti minetur perniciem, salibus frequenter inspersis acriter mordeat severeque castiget adversarios, ubi tamen res illi est cum adversariis aliquam aequi bonique rationem tenentibus, sobrie ac prudenter verba facit, caritatem ubique spirans. — Triplici argumentorum genere uti solet: *ex recta ratione*, ubi ex ipsa rerum, de quibus agitur notione, dialectice explicata adversarios argumentis urget; *ex s. Scriptura*, cujus sensum arte hermeneutica in subsidium vocata, praesertim in locis dogmaticis, praeclare exponit; atque *ex Traditione*. — Dictio ejus admodum perspicua et simplex est, nec unquam ejus oratio diffluit aut longius evagatur. Altus est in cognoscendis, facilis in exponendis summis fidei nostrae mysteriis, creber in reperiendis, et acutus in solvendis argumentis Deni-

[1]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 21. n. 37. 26. et 13. cf. n. 1. 4. 7. 9. et 10. Orat. 25. n. 11. S. Basilii M. epist. 80.

S. Athanasii Doctrina.

que si spectemus orationis nervos, sales, acrimoniam, elegantiam nativam, omnes longe antecellit Athanasius, estque hoc in genere facile princeps.[1]) — Eminent porro inter Opera ejus *Oratio contra Gentes,* quae maxime perspicua et nitida, salibus respersa et argumentationibus nervosa est; mirae sunt eloquentiae *Epistola de sententia Dionysii,* et *Epistola ad Dracontium;* elegantissimae sunt *Apologia de Fuga,* et altera *ad Constantium,* quibus plus inest, quam reliquis, diligentiae et artis, tropis apposite et sobrie respersae; acutissimi simul et brevissimi sunt *libri contra Apollinarium;* summa denique ingenii ubertas et cogitatuum sublimitas elucet in *Orationibus contra Arianos.*

Ad mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis Filii Dei penitus cognoscenda nemo ex ss. Patribus magis conferet, quam s. Athanasius. Multa quoque alia dogmata admodum clare enuntiat, scilicet:

1. *De Traditione tamquam fidei revelatae fonte:* „Sufficit his duntaxat verbis ad illa (commenta haereticorum) respondere: Haec catholicae Ecclesiae non sunt, neque ea est Patrum fides.“ Epist. ad Epict. n. 3. Vid. etiam Epist. Encycl. ad Episc. n. 1. Orat. I. c. Arian. n. 8. Ep. I. ad Serap. n. 28. Cf. Concil. Trid. Sess. 4.

2. *De statu naturae integrae et de peccato originali:* „Deus per Verbum suum genus humanum ad propriam imaginem fecit; hinc propriae etiam aeternitatis cogitationem et cognitionem eidem impertivit, ut .... datam Dei gratiam et propriam ex paterno Verbo vim infusam retinens exsultaret, et cum Deo familiariter viveret, securamque ac vere beatam immortalem vitam duceret.“ „Nec vero post haec, quales creati sunt, permansere, sed praecepti transgressio illos ad propriae naturae conditionem

[1]) Cf. Phot. Cod. 32. 139. et 140. (Hi omnes loci collecti exhibentur in s. Athanasii Opp. T. I. p. CLXXII—III.) Vid. etiam Montfaucon Praefat. generalis, ubi disputat *de stylo Athanasii* (T. I. p. XXI—III); idem alibi statuit, *τὸ δριμὺ καὶ τὸ ἀπέριττον* i. e. eam sermonis vim, quae omnem superfluitatem resecat, notam ac tesseram esse styli Athanasiani (T. III. Praef. p. V. n. 16.). Cf. etiam Ceillier T. V. Chap. II. Art. VII.

revocavit.“ „Purus enim homo his, quae accipit, spoliari potest, ut ex Adamo clarum est, qui scilicet, quae acceperat, perdidit.“ Orat. c. Gentes n. 2. De Incarn. Verbi Dei n. 4. Orat. III. c. Arian. n. 38. Cf. Concil. Trid. Sess. 5. S. Athanasii Doctrina.

3. Quid sit *justificatio*, his verbis praeclare describitur: „Dominus dixit: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (Joh. 8, 36.), secundum eam, quae in ipso est, novitatem et *perfectionem, per quam nos, qui credimus, renovamur* secundum imitationem et *participationem perfectae novitatis Christi.*“ De Incarn. c. Apollinar. lib. I. n. 21. Eodem sensu alibi dicit: „Non igitur cum homo esset (Christus), factus est postea Deus; sed contra cum Deus esset, postea homo factus est, quo nos ipse potius deos efficeret,“ seu „ut nos sui Patris filii essemus,“ ac „ut infusa in Dominum, tanquam in hominem, sanctitas in omnes homines ab ipso dimanaret“. Orat. I. c. Arian. n. 39. 38. et 47. vid. etiam n. 43. 46. 48. 49. 50. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. 6. et can. 11.

4. Praeter fidem *necessaria* quoque esse *bona opera* ad mercedem vitae aeternae consequendam, ita declarat: „Quandoquidem fidem habes (in Jesum Christum) et pius es, o Christi amator, gaude et certo spera tuae pietatis et fidei fructum, si modo anima, ut ejus leges praescribunt, adornata fuerit. Ut enim illorum, qui secundum ejus praecepta vivunt, merces est vita aeterna; ita qui contrariam semitam elegerint nec viam virtutis fuerint secuti, probrum ingens et inevitabile periculum in die judicii subituri sunt, quia, etiamsi veritatis viam non ignoraverint, his tamen, quae noverant, contraria egere.“ Orat. contra Gentes n. 47. Cf. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 11. et can. 19. 20.

5. *Gratia justificans iterum amitti potest*: „Quemadmodum filii et dii efficimur ob Verbum, quod in nobis habemus, ita in Filio et in Patre erimus, unumque in iisdem effecti esse existimabimur, propterea quod in nobis sit Spiritus, qui in Verbo est, quod ipsum Verbum est in Patre. Quocirca cum quis vitio aliquo (*διὰ τινὰ κακίαν*)

S. Athanasii Doctrina.

a Spiritu defecerit, illa quidem gratia apud eos, qui voluerint, irrevocabilis permanet, si modo, postquam cecideriint, poenitentiam agant; verumtamen ille, qui cecidit, non amplius in Deo est, eo quod Sanctus et Paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit; sed hujusmodi peccator in illo erit, cui sese ipse subjecit (i. e. in diabolo)." Orat. III. c. Arian. n. 25. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 15. et can. 23.

6. *De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi* docet (explicans difficilem locum Hebr. 6, 4—6.): „Non ait (Apostolus Paulus): impossibile est poenitentiam agere, sed impossibile est, obtentu poenitentiae nos renovare. Est autem ingens inter haec dicta discrimen. Is enim, qui poenitentiam agit, peccare quidem desinit, retinet autem vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur, superne genitus Spiritus gratia." Epist. IV. ad Serap. n. 13. Cf. Concil. Trid. Sess. 14. cap. 2. et can. 2.[1])

Editiones.

Editiones: Editiones praestantiores sunt: Vicentiae 1482. fol. (omnium prima, latine tantum). — Item latine tantum Basileae 1527. fol. per Erasmum Roterodam. Basileae 1556. fol. (editio latina tantum, multa tamen laude digna). — Ed. gr. lat. Heidelbergae ex officina Commelini 1601. 2 Voll. fol. — Paris. 1627. cura J. Piscatoris 2 Voll. fol. (editio omnium ante Maurinam optima) recus. Coloniae (Lipsiae) 1686. — Editio omnium praestantissima est editio Maurina (per Jac. Lopinum et Bern. de Montfaucon) Paris. 1698. Tomi II in tribus Voll. fol. (T. I. duabus Partibus seu Voll. constat). Huic tamen editioni adjungi debent, quae idem B. de Montfaucon in Nova Collectione Patrum Graecorum T. II. Paris. 1706. fol. in publicam lucem emisit. Eadem A. Gallandius in sua Biblioth. Patrum T. V. pag. 159—241 veluti Supplementum edit. Maurinae recudi curavit (cf. ibid Prolegom. c. 13.). — Haec omnia cum Psalmorum etiam interpretatione, per N. Antonellum Romae 1746. fol. edita, exhibet nova editio gr. lat., quam accuravit N. Justiniani. Patavii 1777. III Tomi in

[1]) De ss. *Eucharistiae Sacramento* non semel verba facit s. Athanasius, ut de Incarn. et contra Arian. n. 16., et Epist. IV. ad Serap. n. 19. Cf. Möhler Athanasius II Bd. — Item *Virginitatis* praestantiam in se, ejusque prae matrimonio excellentiam summopere commendat in Apolog. ad Constant. n. 33. De Incarnat. Verbi Dei n. 51. Histor. Arian. ad Monachos n. 25. Epist. ad Amunem (T. I. P. II. p. 766).

4 Voll. fol. (opera praesertim H. Gradonici et Andr. Gallandii). — Eadem editio latine tantum excusa est Patavii 1777. III Tomi in 4 Voll. fol. — Graece et latine cum variis dissertat. Migne P. G. T. XXV—XXVIII. — Vers. germ. Jo. Fisch. Ausgewählte Schriften des Athanasius, Kempten 2 voll. 1872. 1875. — Cf. de variis editionibus earumque pretio Montfaucon Praefat. in Opp. s. Athanasii T. I. p. XV—XXI. Praefat. T. III. p. V—VIII. Dupin. T. II. p. 94—95. Ceillier T. V. p. 369—72. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 179—83 et p. 211—14.

§. 91.

S. Eustathius Antiochenus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: S. Athanas. Epistola ad Episcopos Aegypti et Libyae n. 8. Apolog. de Fuga sua n. 3. Histor. Arian. ad Monachos n. 4. — S. Hieronymus de Scriptor eccles. c. 85. ep. 70. n. 4. et ep. 73. n. 2. Chronic. ad a. Chr. 331. — S. Chrysostomus Homilia in s. Eustathium Antioch. (Opp. T. II. p. 603—10.) — Socrat. lib. 1. c. 24. lib. 4. c. 14. lib. 6. c. 13. Sozom. lib. 1. c. 2. lib. 2 c. 18. 19. lib. 6. c. 13. — Theodoret. Hist. Eccles. lib. I. c. 7. 21. lib. 3. c. 4. et in Dialogis saepe. — Philostorg. Histor. Eccles. lib. 2. n. 7. — Facundus Hermian. Defens. trium Capitul. lib. 21. c. 1. (Galland. T. XI. p. 782—83.).

Subsidia: L. Allatii Praefat. in Edit. suam (vid. infra). — Galland. T. IV. Prolegom c. 14. — P. Boschii Commentar. historicus de s. Eustathio Antioch. in Actis SS. Tom. IV. Julii p. 130—44. item Historia chronolog. Patriarch. Antioch. n. XXIV. (ibid. p. 34—38.). — Ceillier T. IV. Chap. VII. — Dupin. T. II. p. 46—55. — J. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. IX. c. 16. (p. 131—49.). — G. Cave Vol. I. p. 187—89. — Cf. Chevalier s. v. Eustathe.

S. Eustathius, Episcopus Antiochenus, vir doctrina et sanctitate celebris,[1]) primus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit.[2]) Sanctus iste, Side in Pamphilia oriundus, ac in persecutione Diocletiani sive Licinii gloria Confessoris illustratus, primum Beroeae in Syria ecclesiam regendam suscepit; deinceps vero ad Antiochenam sedem

[1]) Martyrolog. Romanum ad diem 16. Julii.

[2]) S. Hieronym. ep. 73. n. 2. Sozom. lib. 2. c. 19. S. Chrysost. Homil. in s. Eustath. n. 3.

S. Eustathii Vita.

cunctorum suffragiis evocatus est a. 325.[1]) Fidei catholicae adversus Arianos strenuus propugnator[2]) Nicaenae Synodo interfuit; ubi quum inter Patres illic congregatos primas ferret, sedis suae dignitate, doctrina et pietate conspicuus, Imperatori Constantino perorasse, atque ad Arianam haeresin profligandam plurimum contulisse perhibetur.[3]) Praeterea adversus Arianorum errores multa conscripsit. Quapropter cum studio verae doctrinae promovendae ardens societate et communione sua Arianos interclusos edixisset, in odium invidiamque Eusebii Nicomediensis Episcopi sociorumque Arianorum incurrit; maxime vero cum Eusebio Caesariensi iniit controversiam, eumque ut Nicaenae fidei infensum scriptis suis exagitavit. Ille contra Eustathium reum egit Sabellianae opinionis; quod Sabellianismi crimen solemne Arianis erat iis offerre, qui haeresin Arianam infesti oppugnarent. Hinc Eusebius uterque cum aliis Episcopis suarum partium in Synodo Antiochiae a. 330. congregata Eustathium tum ob Sabellianismum, tum ob alia crimina eidem objecta, non tamen probata, deposuerunt;[4]) depositum Imperator, Eusebianis auctoribus, exulem egit in Thraciam.[5]) Et hinc quidem usque ad Meletii ordinationem (a. 360.) sollicitam et indefessam ecclesiae suae curam gessit, fidemque gregis sibi commissi infinitis epistolis roboravit.[6]) Obiisse videtur a. 360.[7])

---

[1]) S. Hieronym. de Script. eccles. c. 85. et Chronic. ad a. Chr. 331. Sozom. lib. I. c. 2. Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 7. Cf. Galland. l. c. n. 1. Ceillier l. c. n. 1—2. Pagi Crit. ad a. 324. n. 26.

[2]) Hoc elogio eum ornat Concilium Nicaenum II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 265.). Vid. etiam s. Athanas. locis supra cit. et s. Ephraem Antiochenus ap. Phot. Cod. 229.

[3]) Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 7. Facund. Hermian. Defens. trium Capitul. lib. 11. c. 1. (Galland. T. XI. p. 782 et 783).

[4]) Socrat. lib. I. c. 23. 24. Sozom. lib. 2 c. 18. 19. Theodoret. Histor. Eccles. lib. I. c. 21. Philostorg. lib. 2. n. 7. — Cf. Hefele C. G. T. I. (ed. 2.) §. 46.

[5]) Ita s. Chrysostomus, scriptor domesticus et fere aequalis, Homil. in s. Eustath. n. 2. s. Hieronym. de Script. eccles. c. 85. Aliter de exilii loco statuit Theodorus Lector Histor. Eccles. lib. 2. n. 1.

[6]) Ita rursus s. Chrysostomus Homil. cit. n. 4. cf. s. Hieronym. l. c.

[7]) Haud levis contentio de anno emortuali hujus s. Patris viget, dum alii, Tillemontium secuti, eum versus a. 337. defunctum esse sta-

S. Eustathii Opera.

Multa reliquit scripta, tam ob priscum genus elocutionis sententiarumque gravitatem, quam ob verborum elegantiam atque in rebus explicandis venustatem Veteribus summopere celebrata.[1])

1. Ex his integra adhuc exstat sola *Dissertatio (Διαγνωστικὸς) de Engastrimytho*[2]) *adversus Origenem,* in qua id agitur, an mulier illa habens pythonem, quae fuit in Endor (1. Reg. c. 28.), vere suscitaverit animam Samuelis, ut Saulum alloqueretur. Origenes istud affirmaverat. Eustathius vero, postquam insigni modo omnes hujus historiae circumstantias retulit ac expendit, explicationem Origenis refellit, pro certo statuens, daemonem non posse animas in vitam revocare; hinc in illa apparitione nihil veri fuisse asserit, sed tantum hoc fuisse spectrum in phantasia Sauli istiusque mulieris depictum a daemone, qui eos exagitabat. Ob hanc sententiam discrepantem Eustathius Origenem satis acriter perstrinxit, verumtamen non adeo ob singularem ipsius de pythonissa opinionem, quam ob methodum interpretandae Scripturae allegoricam, quae sacrorum omnium librorum sensum pervertit, ac proinde justam Eustathio indignationem movit.[3]) Multa hic praeclare disputat de sensu litterali s. Scripturae, quem plurimum commendat.

---

tuunt, ideo potissimum, quod nihil de ejus reditu post obitum Constantini legatur; alii vero ipsum anno 360 mortuum esse defendunt, quae sententia maxime testimonio s. Chrysostomi fulcitur, Homil. in s. Eustath. n. 4. coll. Theodoret. lib. 3. c. 4. Haec sententia inde quoque haud parum confirmatur, quod constat, anno 361 a Lucifero partibus Eustathii Paulinum Episcopum ordinatum esse — Aliam denique sententiam fovent Socrat. lib. 4. c. 14. 15. et Sozom. lib 6. c. 13., ubi videsis Notam H. Valesii.

[1]) Sozom. lib. 2. c. 19. cf. S. Hieronym ep. 70. n. 4.

[2]) De hujus vocis significatione vid. Dupin T. II. p 54. Nota m. — Hujus Operis diserte meminit s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 85. Illud etiam indicare videtur Socrat. lib. 6. c. 13. Aliorum ss. Patrum de quaestione in hac Dissert. agitata sententias vide apud Dupin T. II. p. 54—55. Nota n.

[3]) Vid. S. Eustath. Dissert. de Engastr. n. 21. Cf. Galland. T. IV. Prolegom. c. 14. n. 3—4.

S. Eustathii Opera.

2. Ex reliquis ejus scriptis nonnisi pauca *Fragmenta* hodie supersunt. Scripsit autem

a) *libros octo contra Arianos;*[1])

b) *Tractatum seu Orationem* (*λόγος*) *in illud: „Dominus creavit me initium viarum suarum“* (Prov. 8, 22.): item *in illud: „Comedite panem meum“* (Prov. 9, 5.)[2]);

c) *librum de anima* (pariter contra Arianos).[3])

d) Demum etiam aliquot *Psalmorum*, (ut Ps. 15. et 56. ac Psalmorum graduum) inscriptiones explanavit, nec non Psalmos quosdam (Ps. 15. et 92.) interpretatus est.[4])

Epistolae ejus, quarum olim ingens erat numerus, (Hieronym. de Script. eccles. c. 85.), omnes penitus interciderunt.

Commentarius (*ὑπομνῆμα*) *in Hexaëmeron* sive potius Chronicus liber, incipiens ab Hexaëmeri i. e. creationis sex diebus peractae expositione ac dein usque ad tempora Judicum perducens sacram historiam, exinde vero mancus ac deficiens, Eustathii nomine vulgatus, huic s. Patri fere abjudicatur ab Eruditis.[5]) — Pariter *Allocutio ad Imperatorem Constantinum*, quae in Concilio Nicaeno I. habita esse fertur ab Eustathio, genuina non censetur.[6])

---

[1]) S. Eulogius Alexandr. apud Photium Cod. 225. Facund. Hermian. lib. 11. c. 1. (Galland. l. c.).

[2]) Theodoret. Dialog. I. II. III. Ejusdem Histor. Eccles. lib. I. c. 7—8. Concil. Nicaen. II. loco supra cit.

[3]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 85. Theodoret. Dialog. I. II. et III. Eustratius in J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol IX. p. 146. Leontius et Joannes Rerum sacrarum libro II. (A. Maji Collect. Nova Vet. Script. T. VII. p. 85) perhibent, librum hunc etiam *contra philosophos* (*κατὰ φιλοσόφων*) fuisse inscriptum.

[4]) Theodoret. locis modo cit. Leontius Byzant in A. Maji Collect. Nova Veterum Scriptor. T. VII p. 135. Cf. Dupin T. II. p. 54. Nota k.

[5]) Ita P. Boschius in Actis SS. l. c. n. 39. (p. 139). J. A. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 134—35. G. Cave l. c. p. 188. Cas. Oudin T. I. p. 318—19. Dupin T. II p. 50—51. Ceillier l. c. n. 12. (p. 199—201.)

[6]) Vid. Fabric. l. c. p. 132. 133 Ceillier l. c. n. 13 (p. 201).

Editiones: S. Eustathii Commentarius in Hexaëmeron, ac de Engastrimytho Dissertatio adversus Origenem gr. et lat. ed. Leo Allatius. Lugduni 1629. 4°. — Dissertatio isthaec cum omnibus Fragmentis sedulo collectis optime exstat in Galland. Biblioth. T. IV. Migne P. G. T. IV. — Fragmenta sola cum Allocutione ad Imp. Constantinum exhibet J. A. Fabricius Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 132—149. — Alia quaedam fragmenta, quorum unum ex libro hucusque incognito: περὶ ἐβραϊσμοῦ allegatur, habentur in A. Maji Nova Collect. Veterum Scriptor. T. VII. p. 85—86. et p. 106. cf. p. 15.

§. 92.

S. Cyrillus Hierosolymitanus. Ejus Vita.[1])

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Cyrilli Opera. — S. Epiphan. Haeres. 66. n. 20. Haeres. 73. n. 23. 27. 37. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 112. et Chronic. ad a. Chr. 352. — Rufini Hist. Eccles. lib. 10. c. 23. 37. lib. 11. c. 21. — Socrat. Hist. Eccles. lib. 2. c. 38. 40. 45. lib. 3. c. 20. lib. 4. c. 1. lib. 5. c. 3. et 8. — Sozom. Hist. Eccles. lib. 4. c. 5. 17. 20. 22. 25. 30. lib. 7. c. 7. et 14. — Theodoret. Hist. Eccles. lib. 2. c. 26. et 27. lib. 3. c. 14. lib. 5. c. 9. — Philostorg. Hist. Eccl. lib. 4. n. 12. — Nicephori Hist. Eccles. lib. 9. c. 14. 32. et 46. — Vid. Testimonia Veterum in Opp. c. Cyrilli ed. Touttée p. CCLII—LVIV. — Migne P. G. T. XXXIII.

Subsidia: A. A. Touttée Dissertationes tres de Vita, Operibus et Doctrina s. Cyrilli in Ejusdem praeclara edit. Opp. s. Cyrilli. (Migne l. c.) — G. Henschenii Commentarius historicus de s. Cyrillo Hierosolym. Episcopo in Actis SS. T. II. Martii p. 625—33. (ad diem 18. Martii.). — Th. Milles Praefatio ad Cyrilli Opera, Oxonii 1703 edita (recusa in Opp. s. Cyrilli ed. Touttée p. 399—403.). — G. C. Reischl Prolegomena in ejusdem nova edit. Opp. s. Cyrilli Hierosolym. Vol. I. Monaci 1848. — Dupin. T. II. p. 230—49. — Ceillier T. VI. (ed. 2. T. V.). — Delacroix S. Cyrille de Jérus. sa vié et ses oeuvres. Paris 1865. — Gonnet, de s. Cyrilli Catechesibus. Paris 1874. — Cf. Chevalier s. v. Cyrille.

S. Cyrillus circa a. 315. natus ac Hierosolymis ab infantia educatus esse videtur.[2]) Is litteras sacras diurna

[1]) Vitam hujus s. Patris post susceptum Episcopatum paucis enarrasse sufficiat, cum omnia ejus scripta, quae hodie exstant, Episcopatus illius initio terminentur; harum autem rerum studiosis fontes et subsidia ad posteriorem illius vitam accurate cognoscendam uberius indicare consultum duxi.

[2]) Cf. Touttée in Vita s. Cyrilli seu Dissert. I. n. 5—6.

S. Cyrilli Hieros. Vita.

noturnaque versavit manu ac penitus animo hausit; ecclesiasticos etiam interpretes et sanctos Patres studiose admodum evolvit.[1]) Postmodum circa a. 345. ecclesiae Hierosolymitanae presbyter ordinatus est a s. Maximo, illius civitatis Episcopo;[2]) ac paulo post non solum frequentes ad populum Homilias, sed etiam quae erat propria Episcopi vel vices ejus agentis Presbyteri cura, (a. 347. vel 348.) publice habuit celeberrimas illas Catecheses, in quibus singularis ejus pietas, fervens zelus, insignis eruditio et illibata orthodoxia ubique emicant. Tunc scilicet in omnibus orbis ecclesiis conciones sive Catecheses ad eos, qui baptismum proxime suscepturi erant, haberi solebant, quibus tum admonebantur, ne baptismum sine sincera voluntate et fide susciperent, utque se dignis poenitentiae laboribus ad eam gratiam praepararent, tum exponebatur illis Symbolum et Oratio Dominica. Summa tamen cura et diligentia haec baptizandorum institutio facta est in ecclesia Hierosolymitana, ubi totum huic negotio Quadragesimae tempus impendebatur,[3]) ita ut praeter ordinarias Homilias tres aut quatuor singulis hebdomadibus haberentur Catecheses valde prolixae.

Hisce vero conventibus catecheticis, habitis in ipsa Resurrectionis ecclesia, non soli baptizandi, qui Hierosolymis appellari solebant „fideles“, verum etiam omnes ordines ecclesiae interfuerunt.[4]) Hoc tam grave munus de-

---

[1]) Cf. Touttée l. c. n. 8—9.

[2]) S. Hieronym. Chronic. ad a. Chr. 352. Quae tamen ibidem s. Hieronymus de Cyrillo narrat minus honorifica, aliunde certis vitae s. Cyrilli circumstantiis non satis congruunt. Falli autem facile potuit s. Hieronymus, cum Chronicon suum Constantinopoli a. 380 „velocissime dictaret“ (Praefat. Chronic. Opp. T. VIII. p. 3—4). Quum insuper Cyrillus et communione et amicitia cum s. Meletio Antiocheno conjunctus esset (Theodoret. lib. 3. c. 14.), s. Hieronymus, qui cum toto Occidente ex Paulini partibus stetit, iniquo in Cyrillum rumori faciliores fortassis aures praebuit. Cf. Touttée Vita S. Cyrilli n. 10—11. et n. 28—29.

[3]) S. Hieronym. lib. contra Joannem Hierosolymit. n. 13. (Opp. T. II. col. 419—20) Cf. Touttée Dissert. II. n. 4. 23. et 32.

[4]) Cf. Touttée Diss. II. n. 32—35.

mandatum fuerat Cyrillo presbytero, qui integram ecclesiasticam doctrinam animo complexus, eam in tot, quot oportuit, Catecheses divisam per totam Quadragesimam indefesse auditorum animis instillavit, omni argumentorum genere probatam, et contra omnes Ecclesiae hostes, Gentiles, Samaritas, Judaeos, haereticos, propriis adversus unosquosque argumentis roboratam. Maximum illi studium fuit, auditores adversus haereticorum, eorum praesertim, qui illis et locis et temporibus grassabantur, dolos et fraudes armare; propterea diligenter eorum historiam et prava dogmata descripsit, ne earum rerum ignari auditores illorum mendaciis et blandiloquentia caperentur. Cumque inprimis Manichaei periculum crearent, hos majori opera et plurimis in locis oppugnavit. Nec erudiendis et instituendis solum auditoribus officium suum contineri existimavit, sed et ad pugnandum et ultro lacessendum hostes Ecclesiae, et ad praedicandum aliis, quod didicerant, eos praeparare sui muneris duxit.[1]) S. Cyrilli Hieros. Vita.

Difficillima autem tunc erat rerum ecclesiasticarum conditio; duplex praesertim controversia animos movit, utrum Filius Dei Patri ὁμοούσιος dici debeat, et an tres hypostases, quod Eusebiani statuebant, in Deo admitti possint. Eusebiani porro, qui tunc adhuc sub catholicis in speciem fidei professionibus delitescebant, Episcopos catholicos non directe propter divinitatem Christi propugnatam, sed aut accusationibus variis ad mores spectantibus, aut imposita Sabellianismi criminatione oppugnarunt; hinc etiam factum est, ut Maximus, Hierosolymarum Episcopus, eorum, qui Athanasium Episcopatu dejecerant, sententiae adstipulatus esset.[2]) Arius ipse cum sequacibus in ecclesia Hierosolymitana communioni restitutus fuerat. Idcirco Cyrillus, tum de Eusebianae factionis dolis, tum de Athanasianae causae justitia non satis edoctus, neutri parti, quam alteri addictior, et in utraque parte fraterni

[1]) Cf. Touttée Vita S. Cyrilli n. 13—15.

[2]) Socrat. lib. 2. c. 8. cf. lib. I. c. 33. Sozom. lib. 3. c. 6. cf. lib. 2. c. 27.

S. Cyrilli Hieros. Vita.

odii et fotae haereseos suspicionem adhaerere existimans, jubebat auditores eo scandalo minime perturbari.[1]) Schismata haec populorum et ecclesiarum a variis et contrariis haeresibus, quas utrique foverent, sed quae in occulto plerumque serperent, nata existimabat.[2]) Hinc nec voce *consubstantialis* (ὁμοούσιος) in suis Catechesibus unquam usus est, nec *unius vel trium hypostaseon* mentionem in explicanda Trinitate adhibuit, quasi utrumque prava utentium interpretatione suspectum foret.[3]) Denique licet Arii haeresin Cyrillus variis locis graviter oppugnet, omnesque illius surculos extirpaturus persequatur, nunquam tamen Arium de nomine appellavit, vel ejus haeresis sequaces Arianos dixit.[4]) Cum postea Maximus, Arianorum fraude et s. Athanasii innocentia perspecta, Athanasii communionem amplexus esset, Episcopum suum absque dubio secutus est presbyter Cyrillus.[5])

S. Maximo defuncto a. 350. in ejus locum canonice ab Episcopis provinciae ordinatus est s. Cyrillus.[6]) Episcopatus illius initia singulari quodam Hierosolymis portento insignita sunt. Nimirum anno 351. die 7. Maji circa horam diei tertiam magna crux ex luce, solis radios splendore superans, complures horas visa est, super montem

---

[1]) S. Cyrilli Hierosolym. Catech. 15. n. 7.

[2]) Catech. 15. n. 9. Catech. 11. n. 17. Catech. 17. n. 33. Cf. S. Hilar. ex Opere histor. Fragment. III. n. 2. De Trinit. lib. 10. n. 5. Socrat. lib. I. c. 23 et 24.

[3]) Cf. S. Hilar. de Synod. n. 67.

[4]) Cf. S. Athanas. de Synod. n. 22.

[5]) S. Athanas. Apolog. c. Arian. n. 50. et 57. Histor. Arian. ad Monach. n. 25. Socrat. lib. 2. c. 24. Philostorg. lib. 3. n. 12. Cf. Touttée Vita s. Cyrilli n. 21.

[6]) Ita Synodica Concilii Constantinop. a. 382. apud Theodoret. Histor. Eccles. lib. 5. c. 9. S. Hieronym. Chronic. ad a. Chr. 352. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 2. c. 26. Cf. Touttée Vita s. Cyrilli n. 24. et Pagi Crit. ad a. 351. n. 7—8. Criminationes adversus ordinationem s. Cyrilli objectas sive a s. Hieronymo l. c., sive a Socrat. lib. 2. c. 38. Sozom. lib. 4. c. 20. aliisque, explodit Touttée Vita s. Cyrilli n. 26–30.

Golgotha et Olivarum usque montem se extendens.[1]) Cyrillus, oculatus testis, redditis primum Deo gratiis, signum hoc per litteras statim Constantio significavit, ratus Imperatorem in religionis christianae amore per illud magis ac magis confirmatum iri. — Item sanctus Episcopus dein Arianorum, praesertim Acacii Caesareensis, odio levissimas ob causas bis a Constantio in exilium actus est.[2]) Reversus sub Juliano omni fiducia praedixit fore, ut templi Hierosolymitani restauratio a Judaeis perficienda in irritum caderet;[3]) tum Acacio Caesareensi defuncto Gelasium, sororis suae filium, virum omnibus virtutum et doctrinae ornamentis insignem, Caesareae Episcopum constituit.[4]) Sub Valente iterum sede pulsus s. Cyrillus per duodecim fere annos (367—379.) exulavit. Denique sub Theodosio reversus octo annis inconcussum Episcopatum tenuit,[5]) eoque tempore Concilio Constantinopolitano I. interfuit, cui etiam cum Episcopo Antiocheno et Alexandrino praesedisse perhibetur.[6]) Obiit a. 386.[7])

S. Cyrilli Hieros. Vita.

---

[1]) De signo hoc miraculoso vid. Touttée Admonit. in s. Cyrilli Epist. ad Constantium Imp. p. 345—50. et Testimonia Veterum ibid. p. 355—56. item Pagi Crit. ad a. 351. n. 8. et ad a. 353. n. 7—11.

[2]) Cf. Touttée Vita s. Cyrilli cap. 5—10.

[3]) Rufin. Histor. Eccles. lib. 10. c. 37. Cf. Touttée Vita s. Cyrilli cap. 11.

[4]) S. Epiphan. haeres. 73. n. 37. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 130. Theodoret. Histor. Eccles. lib 5. c. 8. Dialog. I. et Dialog. III. Leont. Byzant. de Sectis Act IV. n. 4. (Galland. T. XII. p. 634.). item contra Nestorium et Eutych. lib. I. (ibid. p. 671.) Phot. Cod. 88. 89 et 102. Locis indicatis et scripta Gelasii hujus commemorantur, et pauca quaedam fragmenta, quae sola hodie supersunt, proferuntur. Cf. Ceillier T. VI. Chap XIII. et J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 290—93.

[5]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 112.

[6]) Sozom. lib. 7. c. 7. cf. Touttée Vita s. Cyrilli cap. 15.

[7]) Sozom. lib. 7. c. 14. cf. Socrat. lib. 5. c. 12. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 112. Touttée Vita s. Cyrilli n. 83. Baron. Annal. ad a. 386. n. 57. Pagi Crit. ad a. 386. n. 5.

§. 93.

Scripta S. Cyrilli Hierosolymitani.

S. Cyrilli Hieros. Opera.

Pauca ad nos Cyrilli scripta integra et genuina pervenerunt, scilicet:

1. *Catecheses* 23[1]) una cum instructione praevia seu *procatechesi.*
2. *Homilia in Paralyticum* ad piscinam jacentem (Joh. 5, 1—16.).
3. *Epistola ad Constantium* Imperatorem de viso Hierosolymis lucidae crucis signo.

1. *Catecheses* 23 in duas classes dividuntur; priores 18 inscribuntur: *ad Illuminandos,* posteriores 5 *mystagogicae* vocantur. *Illuminandi — φωτιζόμενοι*[2]) — vocati sunt ii, qui baptismum proximo Paschate suscepturi necessariam sacrae doctrinae institutionem et ad baptismum praeparationem ab Episcopo vel presbytero accipiebant. Totam Quadragesimam occuparunt istae 18 Catecheses, ita

---

[1]) Catecheses has nec Cyrillo esse suppositas, nec interpolatas, contra Acatholicos nonnullos, ut Rivetum, Albertinum, Cocum (quorum argumenta postea in unum congessit, atra simul bile in Cyrillum effusa. Cas. Oudin. T. I. p. 455—74.), fuse solideque ab argumentis tam externis, quam internis probat Touttée Dissert. II. c. 2. et 3.; Ceillier T. VI. Chap. XII. Art. II. Aequiores etiam ex coetu Acatholicorum, iique viri eruditissimi, Catecheses illas genuinas esse, ultro fatentur, vid. J. A. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 440—41. G. Cave Scriptor. Eccles. Historia litteraria in s. Cyrillo (Vol. I. p. 212.). Posterioris auctoris verba digna sunt, quae hic apponantur; ita sonant: „Frustra agunt, qui an genuinae sint hae Catecheses, litem movent, Hieronymo, Theodoreto, Damasceno, ne de aliis jam dicam, Cyrillo nostro eas vindicantibus. Haud merentur responsum, quae objiciunt Rivetus aliique." Idem Cave paulo post subjungit: „Mitto caeteras Riveti exceptiunculas, vix cassa nuce dignas." Testimonia Veterum de hoc Cyrilli Opere vid. infra §. 94.

[2]) Hujus vocis explicatio fuse ac erudite habetur in Touttée Diss. II. n. 24—26. *Illuminandos,* qui in ecclesia Hierosolymitana jam dicti sunt *fideles, a Catechumenis* probe distinguendos esse monet Touttée ibid. n. 21—22. Caeterum qua ratione Catecheses ab ordinariis Homiliis differant, ipse s. Cyrillus exponit in Procatechesi n. 11.

ut Procatechesis prima Quadragesimae Dominica, reliquae per decursum Quadragesimae, exceptis Dominicis et Sabbatis, ultima denique Sabbato sancto sit habita, in ipsa Resurrectionis Ecclesia. *Catecheses 5 mystagogicae*, quasi mysteriorum seu sacramentorum Ecclesiae secretiorem notitiam tribuentes, post Pascha susceptaque una nocte tria baptismi, confirmationis et eucharistiae sacramenta ad Neophytos dictae sunt singulis hebdomadae Paschalis diebus, ad explicandam eorum mysteriorum, quae nonnisi baptizatis declarare fas erat, vim et potestatem. Istae habitae sunt ad monumentum Domini in ipso s. Sepulchri sacello, quod Anastasis dicebatur.[1]) Antequam vero singulae Catecheses haberentur, legebatur a Lectore ex libro s. Scripturae juxta arbitrium concionantis pars quaedam (pericope) ad futurae Catechesis argumentum accommodata.[2]) Omnes illae Catecheses, quae simul sumtae integrum quoddam Opus constituunt, ex tempore pronuntiatae sunt a Cyrillo adhuc juvene anno 348.[3])

Catechesibus istis praemittitur *Procatechesis* seu praevia Catechesis, in qua baptizandos de novi status sui excellentia et officiis edocet, ac simul qua ratione suum illud christianae religionis tirocinium, ad baptismum se diligenter et ex animo praeparando, transigere debeant, diligenter eos instruit. Inprimis sincerum et nulla prava intentione fucatum baptismi desiderium requirit, cujus defectu non solum inutilis, sed et perniciosa hujus tanti doni susceptio futura sit; monet, ut exorcismos studiose suscipiant, Catechesibus assidui adsint, nec ullam praetermittant, di-

---

[1]) Vid. Catech. 18. n. 33. Cat. 20. n. 4. et 7.

[2]) Haec omnia ex ipsis Catechesibus luculenter confirmata, et plura alia, quae pertinent ad formam earundem sive externam sive internam, vid. in Touttée Diss. II. c. 4. 5. et 6.

[3]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 112. Eas autem anno 348. vel (ut asserit Tillemont) a. 347. habitas esse, certissimis argumentis demonstrat Touttée in Vita s. Cyrilli n. 11—12. et Diss. II. n. 10—11, n. 30—31. Extemporales denique esse istas Orationes, singularum inscriptio antiquissima, imo quod admodum verisimile est, iisdem coaeva testatur.

S. Cyrilli Hieros. Opera.

ligentique ac sedula omnium bonorum operum exercitatione se praeparent. Sequitur (Catech. I.) brevis quaedam ad baptismum invitatio, commemoratis ejus utilitatibus, et adhortatio ad illum digne capessendum, cum uberrimam ejus gratiam Deus non sine delectu, nec absque praeparatione mentis considerata concedat. Tum Cyrillus (Catech. II.) ad poenitentiam et confessionem spe remissionis peccatorum baptizandos adhortans, peccati malitiam describit; ejus originem ex voluntate hominis libera et diaboli suggestione repetit; denique multis s. Scripturae exemplis paratum demonstrat in poenitentia hominis ac divina bonitate remedium. — Hoc autem remedium, in quo Deus remissionem peccatorum poenitentibus constituit, in baptismo situm esse deinceps ostendit (Catech. III.). Hujus dignitatem pluribus titulis commendat, ejusque ad salutem necessitatem adstruit; partes ejus exponit, scilicet aquam, quae corpus abluit, et Spiritus S. gratiam, quae animam emundat et obsignat; effectus denique persequitur mirabiles, qui sunt peccatorum etiam gravissimorum remissio, societas cum Christo et similitudo ipsius etc.

His veluti praeparationis gratia praemissis ad explicanda christianae fidei rudimenta aggreditur, quod explanatione Symboli praestandum erat. Quem in finem summam fidei christianae compendio quodam complecti ac explanationi Symboli praemittere instituit, ut per generalem universorum fidei nostrae dogmatum informationem auditorum animos praepararet. Hic igitur inculcata rectae doctrinae et bonorum operum pari ad salutem necessitate decem principalia fidei christianae dogmata tradit, scilicet: De Deo; de Christo; de ejus Incarnatione; de ejus morte, sepultura et ad inferos descensu; de ejus resurrectione, ascensione et sessione ad dexteram Patris ac de secundo illius adventu; de Spiritu Sancto; de hominis et ambarum ejus partium, animae nimirum et corporis, natura; denique de resurrectione generali et novissimo judicio. Quibus expositis fontem horum omnium dogmatum indicat, nempe s. Scripturam divinitus inspiratam, cujus librorum tam Veteris, quam Novi Testamenti indicem texit

S. Cyrilli Hieros. Opera.

(Catech. IV.)[1]). — Deinceps singula fidei capita in Symbolo Hierosolymitano contenta distinctis sermonibus explananda aggressus, primam Symboli vocem: *Credo* exponens fidei vim, dignitatem, necessitatem, efficaciam commendat, ac fidei species distinguit (Catech. V.)[2]). Sequentibus quatuor Catechesibus primum Symboli articulum totum explanat; et primo quidem agit de monarchia seu de *unitate Dei* adversus Gentiles et haereticos, praesertim Manichaeos, quorum originem, progressum et impietates describit (Catech. VI.). Hinc de *Deo Patre* verba facit docens, eum Filii sui Jesu Christi Patrem esse proprie et vere, aeterna et nulli defectui obnoxia generatione, ac prorsus alia ratione eum hominum Patrem dici, quam Filii sui aeterni (Catech. VII.). Tum explicans vocem Symboli: *παντοκράτωρ* contra Gentiles, Judaeos et haereticos omnes, qui duplex principium agnoscebant, sed praecipue contra Manichaeos adstruit *Dei providentiam*, dominium et potestatem ad omnia pertinentem (Catech. VIII.). Tandem Deum Domini nostri Jesu Christi Patrem, *rerum omnium conditorem et effectorem* esse, divinaque sapientia dignum existere opus Universi, non minus eleganti, quam compendiaria totius orbis partium descriptione demonstrat (Catech. IX.).

Secundum Symboli articulum duabus sequentibus Catechesibus exponit. Hic igitur necessitatem *Filii Dei* agnoscendi probat; rationem reddit, cur ille dicatur *unus*; verum ejus et aeternum, ipsi jam ante Incarnationem con-

---

[1]) Catechesis haec, jam olim a Theodoreto (Dialog. II.) citata, inscribitur: *De decem dogmatibus*. Argumentum illud varium et multiplex tanta facilitate et brevitate simul ac copia pertractat, ut nihil in toto Catecheseon Opere magis sit mirandum, nec quidquam forte haberi possit, in quo major eluceat ingenii vis et prompta extemporaliter dicendi facundia; adeo presse et circumscripte, simulque plene et copiose de gravissimis nostrae fidei capitibus disserit.

[2]) Ea in Catechesi *fidei* nomen pro *virtute fidei* constanter usurpat n. 1—11., dehinc autem pro *fidei symbolo* sumit. Eidem subjungitur Symbolum Hierosolymitanum. Cf. Touttée, Observatio Symbolo isti praemissa.

S. Cyrilli Hieros. Opera.

veniens, rerum omnium dominium simulque ejus ante Incarnationem existentiam ex Veteri Test. probat; deinceps duo illius nomina explicat: *Jesus* et *Christus*, indeque illius munia, Salvatoris quippe et Sacerdotis aeterni, deducit ac pluribus exponit (Catech. X.). Tum probat, Eum esse *Filium Dei Unigenitum*, naturalem, ac generationem Verbi excellentissimam et incomprehensibilem fuse pertractat; demonstrat, Filium esse Deum verum, ita in Patre manentem et unum cum ipso divinitate, regno, voluntate, opificiis existentem, ut tamen neque cum Patre confusus, neque ab eo alienus ad instar creaturae, sed simillimus in omnibus et a creaturis prorsus separatus sit; denique aeternitatem Filii et generationis ejus asserit, et Filium conjunctum cum Patre regem ac conditorem esse omnium, seu visibilium, seu invisibilium rerum, ipsorumque etiam saeculorum docet (Catech. XI.).[1]) — Proximis quatuor Catechesibus ea tractat, quae ad *Christi humanam naturam* pertinent. Hic exposita primum humanitatis juxta ac divinitatis in Christo confitendae necessitate *Incarnationis* veritatem contra varios Judaeorum et haereticorum errores propugnat, factae Incarnationis causas aperit, et varias illius circumstantias, a prophetis praenuntiatas, insignem in modum dilucidat (Catech. XII). Hinc transitu facto ad Christi passionem et mortem, hujus veritatem et fructum, omnesque circumstantias ex Veteribus Scripturis cum Evangelica historia conciliatis exponit, crucis mysterium aperit, de vicaria Christi satisfactione luculenter tractat, demum sepulturae ac monumenti modum et rationem ex Prophetis enarrat (Catech. XIII.). Tum in probanda resurrectione Domini declarandisque ejus circumstantiis fuse immoratur, et ascensione obiter tacta Filii ad dexteram Patris sessionem eidem ab omni aeternitate convenire ad-

[1]) Hic omnes Arianorum impias voces refellit, et cavillationes eorum atque locorum s. Scripturae perversas interpretationes persequitur, quin tamen voces in Concilio Nicaeno sancitas „*Consubstantialis* (ὁμοούσιος), *ex substantia Patris*“ adhibeat, aut de substantia sive hypostasi loquatur; nec minus diligenter et intrepide Sabellianorum haeresin refutat.

struit (Catech. XIV.). Tunc secundum Christi adventum exhibet, et signa, qui eum praecedent atque indicabunt, fusius exponit, judicium novissimum accurate describit, ac regni Christi aeternitatem, nullo fine terminandam, adserit (Catech. XV.).

Duabus Catechesibus proxime sequentibus perfecta et absoluta de *Spiritu S.* disputatio continetur, in qua nihil sive ad integritatem doctrinae, sive ad commendationem effectuum *Spiritus Sancti*, sive ad diversorum ejus mysteriorum explanationem desiderari posse videtur (Catech. XVI. et XVII.).[1]) — Denique *carnis resurrectionem* adversus Gentiles, Samaritanos et haereticos invictis tuetur argumentis, atque redivivorum corporum dotes explicat. Tum de *Ecclesia catholica*, ejusque origine, nomine et dignitate tractat; ac postremo de *vita aeterna*, quae in Ecclesia catholica eruditis et recte viventibus proposita est, disserit, et multiplices, quas Deus nobis benignitate sua contulit, illius adsequendae rationes breviter describit (Catech. XVIII.).

Sequuntur *Catecheses mystagogicae* quinque, praecedentibus multo breviores, in quibus s. Cyrillus recens baptizatos erudiebat de tribus sacramentis, quae simul antiquitus percipiebantur, nimirum de *baptismo*, sacro chrismate seu *confirmatione*, et *eucharistia*. In I. mystagogica (seu Catech. XIX.) eas caeremonias explicat, quae in baptisterii vestibulo seu porticu observari consueverant, nempe abrenuntiationes Satanae ipsi, operibus, pompae atque omni cultui illius factas, quarum vim accuratissime et dilucide exponit, tum etiam pactum cum Christo per brevem fidei professionem a baptizando initum. In altera mystagogica (seu Catech. XX.) exponit vim et arcanam rationem caeremoniarum in interiori aede baptisterii ipsoque baptismo

---

[1]) Articulus nonus Symboli Hierosolymitani: „Et in unum baptisma poenitentiae in remissionem peccatorum," jam in primis Catechesibus explicatus, merito hic praetermissus est; oportebat enim, ut a baptismo, quem competebant Illuminandi, institutionis hujusce praeparatoriae initium fieret. Catech. 18. n. 22. Cf. Monit. ad Catech. I. n. 2.

S. Cyrilli Hieros. Opera.

peractarum, ubi agit de tunicae depositione, de unctione olei exorcizati, de interrogatione fidei et subsequente trina immersione. In tertia mystagogica (seu Catech. XXI.) *Chrismatis* seu *Confirmationis* sacramentum, quod baptizatis statim atque e fonte ascenderant, conferebatur, exponit, ejus principium atque originem, vim et ritum, figuras in Veteri Testamento obvias et efficaciam aperiens. In IV. mystagogica (seu Catech. XXII.) tertium sacramentum, quod initiatis statim conferebatur, pertractat, videlicet Eucharistiam, cujus vim et rem, effectus, figuras et commendationes in Veteri Testamento gravissime et dilucide describit s. Cyrillus. Hac tota fere Oratione auditoribus probare studet, panem eucharisticum et vinum, quamvis sensus aliud renuntient, in corpus et sanguinem Christi commutata esse, ejusque conversionis veritatem firmissimis adstruit argumentis.[1]) Denique in V. mystagogica (seu Catech. XXIII.) s. Cyrillus exponit singulas sacrificii incruenti Novi Foederis partes, quas brevibus ac dilucidis interpretationibus illustrat, et communicandi ritus ac modum describit. Catechesis haec, in qua tamen nonnisi ea, quae actioni seu missae fidelium propria erant, exhibentur, unum est ex praecipuis ecclesiasticae antiquitatis monumentis, unde plenissime veteris liturgiae et sacrae communionis ritus addisci, confirmari et explanari possunt.

2. *Homilia in Paralyticum* ad piscinam probaticam jacentem habita est a s. Cyrillo, cum adhuc presbyter esset, circa a. 345.,[2]) ac proinde juvenescentis ingenii tirocinia redolet. Hic explicat illam Joannis Evangelii par-

[1]) Nihil fere ad fidem catholicam de reali corporis Christi in Eucharistia praesentia et transsubstantiatione adstruendam tota antiquitate luculentius ac disertius inveniri potest. Data opera simplicibus et electis verbis, rudibus adhuc rerum nostrarum Neophytis, coram Domini sepulchro, remotis ut videtur arbitris, quid de nostris mysteriis sentire debeant, exponitur; proinde nullus ibi allegoriae, metaphorae, exaggerationi vel dissimulationi locus est Ecclesia catholica hanc Catechesin majori ex parte (n. 1—6) Breviario Romano inseruit, ubi in Octava Corporis Christi Noct. II. legitur.

[2]) S. Cyrillum Hierosolym. vere esse hujus Homiliae auctorem fuse probat Touttée in Monito eidem praefixo n. 5—10; item Ceillier T. VI.

tem (Joh. 5, 1—16.), qua continetur miraculum Christi, Paralyticum annorum 38 ad probaticam piscinam jacentem die Sabbati solo verbo sanantis. Historiae hujus singulas circumstantias expendit et declarat, aptas ubique ad fidei commendationem et emendationem morum exhortationes inserens.

3. *Epistola ad Constantium* Imperatorem de viso Hierosolymis lucidae crucis signo, quod in coelis apparuit, scripta est a. 351.[1]) raptim ac festinanter ipso die, quo apparitio contigit, ut Imperatorem quantocyus de hoc signo miraculoso certiorem redderet, ejusque animum magis ad pietatem accenderet.

Nota 1. Complures s. Cyrilli Homiliae interierunt, ex quibus *Fragmenta* quaedam, licet non extra omne dubium posita, adhuc supersunt, vid. Opp. s. Cyrilli ed. Touttée p. 358. et p. 388. Cf. Touttée Diss. II. n. 3—5. item ejus Monit. ante ista Fragmenta p. 357—58. et Admonitiones ante Opera s. Cyrillo supposita p. 359 seqq.

Nota 2. Quaedam etiam s. Cyrillo *supposita* fuere Opera, scilicet: *Homilia in occursum Domini;* item *historia ecclesiastica et mystagogica* seu sacrae Liturgiae explicatio, quae in nonnullis Mss. Basilio Caesareensi, in aliis Cyrillo Hierosolymitano tribuitur, sed revera est foetus Germani I. vel II. Constantinopolitani Patriarchae, in Bibliothecis Patrum gr. et lat. editus sub titulo: *Theoria mysteriorum;* denique brevis *chronologia.* — Pariter suppositae sunt *Cyrilli ad Julium Romanum, et Julii ad Cyrillum de die nativitatis Domini literae;* nec non *Augustini ad Cyrillum,* et *Cyrilli ad Augustinum litterae de obitu et miraculis s. Hieronymi.* Vid. haec omnia in Opp. s. Cyrilli ed. Touttée p. 359—88. — Migne P. G. T. XXXIII.

Chap. XII. Art. V. Eam circiter a. 345. habitam fuisse, satis verosimile reddit Touttée l. c. n. 11.

[1]) Authentiam hujus Epistolae, quae a quibusdam Acatholicorum olim in dubium vocata fuit, solide asserit Touttée in Monito eidem praemisso n. 4—10. Ceillier l. c. n. V—VI. Inter alios multos jam Sozom. Histor. Eccles. lib. 4. c. 5. hujus Epistolae meminit. — Eam vero datam esse ipso Cyrilli Episcopatus initio (a. 351.), cum Pagi, Ceillier aliisque probat Touttée l. c. n. 11—13.

§. 94.

Character et doctrina S. Cyrilli Hierosolymitani.

S. Cyrilli Hieros. indoles.

S. Cyrillus, doctrinae Apostolicae acerrimus propugnator, fidem orthodoxam, quam in ecclesia Hierosolymitana omnium antiquissima illibatam hauserat, constanter tenuit, strenueque defendit, ac singulari ad plebem docendam facultate praeditus fidelium animis sedulo inculcavit.[1]) Etsi porro aliquamdiu voces: *ὁμοούσιος, οὐσία* et *ὑπόστασις* in exponenda fide catholica non adhibuerit, ipsam tamen Ecclesiae catholicae doctrinam de Filii et Spiritus Sancti divinitate accuratissime et plenissime proposuit, ut nihil plane desideres;[2]) ac postquam s. Athanasius ipse praesens in Concilio Hierosolymitano a. 349. cum Episcopis Palaestinae, meliora edoctis, in gratiam rediit, Cyrillus quoque subinde ad Episcopatum illius civitatis evectus, „*consubstantialem* Trinitatem“ confiteri minime reformidavit,[3]) atque per triginta et amplius dehinc annos cum Arianis impigre decertavit. Ejus autem Catecheses, quibus brevem et perspicuam fidei catholicae summam proxime baptizandis tradere ipsi propositum erat, summopere aestimandae sunt, ut ex omnibus antiquitatis monumentis nihil fere ad nos majoris pretii pervenisse haud incongrue dici possit. Quapropter merito etiam s. Cyrillus ab Ecclesia catholica inter „illustres magistros et incorruptas munitiones Ecclesiae“ recensetur[4]) sanctisque Ecclesiae Doctori-

---

[1]) Theodoret. Histor. Eccles. lib. 2. c. 26. Nicephori Histor. Eccles. lib. 9. c. 46.

[2]) Vid. Catech. 11. 16. et 17.

[3]) S. Cyrilli Epist. ad Constantium n. 8. cf. Touttée Monit. eidem praefixum n. 10.

[4]) Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 293.) et Act. V. (ibid. col. 160). Vid. etiam Concil. Lateran. a. 649 Secret. V. (Mansi T. X. col. 1105.) S. Agathonis P. Epist. I. lecta in Concil. Constantinop. III. Act. IV. (Mansi T. XI. col. 269.). Theodoret. Dialog. II. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 106). Leont. Byzant. contra Nestor. et

bus adnumeratur. In hac enim serie Catecheseon, quae intimo inter se nexu conjunctae unum quoddam integrum christianae institutionis aedificium constituunt,[1]) ita ut alterum hujusmodi Opus apud Antiquos reperire non liceat, singula dogmata dilucide, copiose et accurate exponit, eaque omnia, quae infallibili certitudine in Ecclesia catholica reperire asserit,[2]) rationum momentis contra Gentiles, Scripturae sententiis contra Judaeos et haereticos demonstrat, ac sepositis theologicis vocibus res e media theologia repetitas Scripturae verbis et usitato sermone explanat. Sensum vero s. Scripturae litteralem solum ad faciendam fidem divinorum dogmatum sequi profitetur; in allegoricum tamen et mysticum data occasione non invitus excurrit, ast majoris tantum declarationis, non argumenti probandi causa. — In exponenda fide haec ejus methodus esse solet, ut primo varios errores certo cuidam dogmati adversantes referat, tum catholicam illis veritatem opponat, eamque necessariis Scripturarum aliorumve argumentorum praesidiis muniat, denique adversariorum objectiones confutet. Caeterum religiose cavet, ne fidei catholicae privatas admisceat opiniones. Doctrinae huic, qua singula fidei christianae dogmata exponit, praeclara morum praecepta multis in locis scite inspergit; fugam paganarum et Judaicarum superstitionum, spectaculorum et ludorum gravissime inculcat, vitanda cum haereticis commercia praescribit, orationis studium, corporis castigationem, utilium librorum ac maxime s. Scripturae lectionem, pium secessum, Christi sacramentorum reverentiam magno commendat affectu, virginitatis denique et monasticae vitae propositum summis laudibus extollit. — Compendaria simul et dilucida rerum expositione s. Cyrillus eminet. Stylus ejus simplex est et familiaris, ab omni fuco ornamentoque alienus, facilis et perspicuus, sed parum elimatus.

S. Cyrilli Hieros. indoles.

Eutych. lib. I. (Galland. T. XII. p. 672). Ephraem Antiochenus apud Phot. Cod. 229. Cf. Touttée Praefat. in Opp. s. Cyrilli n. 3—4.

[1]) Ita ipse s. Cyrillus in Procatech. n. 11.

[2]) Catech. 18 n. 23

S. Cyrilli Hieros. doctrina.

Dictio videlicet s. Doctoris facilis quidem est et perspicua vulgo, sed non venusta et elegans, sine multo verborum delectu aut exquisita constructionis cura, ita ut improprias quandoque aut saltem improprie constructas voces adhibeat. Styli defectus autem causam inde habere videntur, quod s. Cyrillus non ante scripto digesserit, sed ex tempore fuderit Catecheses. Quas quum pronuntiarentur, excipientes studiosi quidam scriptis mandarunt.[1])

Doctrinae dogmaticae s. Cyrilli haec erunt specimina:

1. *Necessitas praeparationis et cooperationis humanae ad justificationem per baptismum consequendum* saepe indicatur: „*Praepara* cor tuum ad recipiendam doctrinam, ad sanctorum mysteriorum participationem. Frequentius ora, ut coelestibus et immortalibus mysteriis te dignetur Deus.“ „Potest Deus etiam infidelem fidelem facere, si modo cor illi praebuerit.“ „His, qui spirituale illud ac salutare sigillum (baptismi) suscipiunt, opus est, ut proprium quoque studium adhibeant.“ „Monstra per exercitationem (ἐν ἀσκήσει) animi tui robur et nervos. Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem; remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus Sancti secundum proportionem uniuscujusque fidei conceditur. Si parum *laboraveris*, parum accipies; si vero *multa operatus fueris*, multa erit merces.“ Procat. n. 16. 17. Catech. I. n. 3. et 5. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. et 6. can. 4. 7. et 9.

---

[1]) „Hujus rei fidem facit non solum auctor adnotationis chronologicae Catecheseon indiculo subjectae (ap. Migne P. G. T. XXXIII. p. 326), qui eas ab ore dicentis exceptas a studiosis viris ait, verum etiam ipso multo antiquiores ac majoris auctoritatis catecheseon inscriptiones, quae initio cujusque Catechesis ferunt σχεδιασθεῖσα, *ex tempore pronuntiata*, quamquam id verbum in nonnullis mss. deest. At in ipsis Catechesibus non pauca deprehenduntur extemporalis orationis indicia.“ Ita Touttée Dissert. II n. 40 ap. Migne l. c. p. 166. — Fuse de s. Cyrilli docendi ac dicendi ratione agit idem cl. Touttée hac Dissert. II. c. 6. cf. ibid. n. 25. et Diss. I. (seu Vita s. Cyrilli) n. 8—9. Monit. in Homil. n. 11. ac Monit. in Epist. n. 16. Ceillier T. VI. chap. XI. Art. IX. Reischl Prolegom. edit. Opp. s. Cyrilli Hieros. Vol. I. p. CXXXII—VI.

S. Cyrilli Hieros. doctrina.

2. *Arbitrii humani libertas* hisce adstruitur: „Libera est et sui juris anima; ac diabolus suggerere quidem potest; ut autem praeter voluntatem cogat, potestatem non habet; subjicit tibi impuram cogitationem; si voles, admittis, si nolis, non admittis. Si enim ex necessitate peccares, qua igitur causa Deus gehennam praeparasset? si natura, non arbitrio (*κατὰ φύσιν, ἀλλ οὐ κατὰ προαίρεσιν*) recta faceres, cur Deus ineffabiles coronas praeparasset?“ Catech. 4. n. 21. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. can. 5.

3. Quid sit *justificatio*, ita describitur: „Baptisma captivis est pretium, *remissio peccatorum*, mors peccati, *animae regeneratio*, luminosum indumentum, *signaculum sanctum indissolubile* (seu indelebile), vehiculum ad coelum, paradisi deliciae, regni obtinendi causa, *adoptionis donum*“. „Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiae invocatio animam obsignans non te permittit ab immani sorberi dracone. Qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in justitia.“ — Procatech. n. 16. 17. Catech. 3. n. 12. cf. n. 11. 13. 14. 15. item Catech. 20. n. 6. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 7. et 4. can. 11. Sess. 7. can. 9.

4. *Quolibet mortali peccato amitti gratiam justificationis* testatur: „Praeterita animae ac corporis vulnera sanat Deus per baptisma; sed adversum futura deinceps nosmetipsos communiter muniamus omnes, ut mundam hanc corporis vestem custodiamus, nec per modicae fornicationis et lasciviae aut cujusvis alius peccati perpetrationem coelestis salutis jacturam subeamus.“ Catech. 18. n. 20. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 15. can. 23. et 27.

5. *Confirmationis sacramentum* peculiari Catechesi (XXI.) pertractat, ubi inter alia haec habet: „Dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico *Spiritu* anima sanctificatur.“ „Quemadmodum Christus post baptismum et Sancti Spiritus in se adventum egressus debellavit adversarium; ita et vos *post sacrum baptisma* et *mysticum unguentum*, induti totam S. Spiritus armaturam, adversus oppositam potestatem consistitis eamque debellatis.“ „Chrisma hoc sanctum est spirituale corporis amuletum et animae

S. Cyrilli Hieros. doctrina.

salutare praesidium.“ Catech. 21. n. 3. 4. 7.[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. 7. de Confirmat. can. 1. 2.

6. De *sacrificio incruento Novi Foederis*, de *ejus utilitate pro fidelibus defunctis*, et de *invocatione Sanctorum* praeclarum in modum disserit. Postquam nempe dixit, per invocationem Spiritus S. panem in corpus Christi, et vinum in sanguinem Christi transmutatum esse (*μεταβέβληται*),[2]) et pro vivis primum offerri hoc sacrificium, pergit: „Tum recordamur etiam eorum, qui obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus et intercessione (*πρεσβείαις*) orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis Patribus et Episcopis et *omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt* (*τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων*), *oramus maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima* (*θυσία*).“ „Nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis, tum pro nobis demereri et propitiare satagentes.“ Catech. 23. n. 9. 10. Cf. Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. 2. 3. can. 1. 3. 5. item Sess. 25. Decret. de Purgatorio, et de Invocat. Sanctorum.[3])

---

[1]) Etiam per hoc Sacramentum characterem in anima imprimi (Concil. Trid. Sess. 7. de Sacram. can. 9.), s. Cyrillus testatur Catech. 18. n. 33. docens, „signaculum communicationis S. Spiritum datum esse“ fidelibus in sacro chrismate. Cf. de hoc Sacramento Touttée Diss. III. n. 57—58. et de charactere impresso Nota 2. in Procatech. n. 16.

[2]) Testimonium luculentum et vere praeclarum pro reali praesentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, in Breviario Romano contentum, et alioquin valde prolixum, (vid. supra p. 442 Nota [1]) hic loci consulto praetermisi.

[3]) Multa alia catholicae fidei insignia documenta hic referre angustia spatii non permittit. Hujusmodi sunt: *Ecclesiae catholicae* auctoritas et infallibilitas (Catech. 18. n. 23.), aequalis *bonorum operum* ac fidei necessitas ad salutem consequendam (Catech 4. n. 2. et saep.), *virginitatis* dignitas et praestantia (Catech. 12. n. 25. 31. 33—34. Catech. 4. n. 24—25.), *merces apud Deum ex jejunio* consequenda (Catech. 4. n. 27.), virtus miracula patrandi in Sanctorum *reliquiis*

Operum s. Cyrilli Hier. editiones.

Editiones: Editio *princeps* complectens quinque Catecheses mystagog. gr. et lat. prodiit Viennae in Austria 1560. 4°. — Tum lucem aspexit editio J. Grodecii latine tantum Romae et Paris. 1564 ac postea saepius. — Primus omnes Catecheses s. Cyrilli gr. et lat. ed. J. Prevotius Paris. 1608. 4°. recus. Paris. 1631. iterumque 1640. — Sequebatur editio Th. Milles Oxonii 1703. fol. — Editio omnium praestantissima est, quam gr. et lat. curavit A. A. Touttée (ex Congregat. S. Mauri) Paris 1720. fol. recus. Venetiis 1763. fol., et ap. Migne P. G. T. XXXIII. — Editio praeclara Opp. s. Cyrilli Hierosolym., gr. et lat., una cum apparat. litter. prodiit cura G. C. Reischl. Monaci 1848. 1860. Vol. 2. in 8°. — Versionem germ. Opp. s. Cyrilli Hieros. ediderunt J. M. Feder, Bamberg. 1786 et J. Nirschl, Kempten 1871. — Vide plura de variis editionibus in Praefat. ed. Touttée n. 5–21. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VIII. p 442–48. Ceillier T. VI. Chap XII. Art. IX. Reischl edit. cit Vol. I. Praefat. (p. IX–XI.) et Apparatus litterarius in Prolegom. (ibid p. CXLVII–CLI.)

§. 95.

S. Hilarius Pictaviensis. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: S. Hilarii ipsius Opera. — Vita s. Hilarii a Fortunato scripta (saeculo VI.), quae exstat in Opp. S. Hilarii (ed. Veron.) T. I., ap. Migne P. L. T. IX. et in Venantii Fortunati Opp. (ed. Luchi) P. II. p. 5–25. item in Bollandi Actis Sanctorum Januarii T. I. p. 790–95. cf. ibid. p 784–85. — S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 100. et Chronicon ad a. Chr. 359. 364. et 372. — Sulpicii Severi Historia sacra lib. 2. n. 39–45. — Rufini Histor. Eccles. lib. 10. c. 30. et 31. — Socrat. lib. 3. c. 10. — Sozom. lib. 5. c. 13. — Venantii Fortunati Opp. P. I. lib. II. c. 19.

Subsidia: P. Coustant Vita s. Hilarii in edit. Maurina Opp. s. Hilarii; Migne l. c. Prolegom. — Fr. Oberthür in sua edit. Opp. s. Hilarii Praefat. singul. IV Tomorum (pleraque ex Coustantio desumta sunt). — J. Bollandus in Actis Sanctorum ad diem 13. Januarii: *De s. Hilario Episcopo Pictaviensi in Gallia* (Januarii T. I. p. 782–803.). — Hieronymus de Prato Dissert. IV. in Sulpicium Severum (in ipsius edit. Opp. Sulp. Severi T. I. p. 238–56,). — Tillemont Mém. T. VII. S. Hilaire (p. 432–69. et p. 745–58.). — Ceillier T. V. (ed. 2. T. IV) — Schoenemann Biblioth. histor.

(Catech. 18. n. 16.), *usus signi crucis* (Catech. 4. n 14. et saep.), *veneratio ligni s. Crucis* (Catech. 10. n. 19.) etc. — Vid. de Doctrina S. Cyrilli Touttée Dissert. III. Ceillier T. VI. Chap. XII. Art. VIII. (p. 546–78).

litterar. Patrum Latin. T. I. p. 273—94. — Reinkens, Hilarius v. Poitiers, Schaffhausen 1868. — Hansen, Vie de s. Hilaire évêque de Poitiers et docteur de l'Eglise. Luxembourg 1875. — Cf. Chevalier s. v. Hilaire.

S. Hilarii Pictav. Vita.

S. Hilarius, eruditionis et facundiae laude celebratissimus, natus est ineunte saec. IV. ex familia nobilissima Pictavis in Aquitania, Galliae provincia,[1]) quae caeteras Galliarum provincias urbanitate tunc superabat. Superstitione ethnica, ut videtur, innutritus partim recto rationis usu, partim sedula s. Scripturae lectione et idololatriae vanitatem et religionis christianae veritatem Dei adjuvante gratia perfecte cognovit.[2]) Matrimonium iniit, ex quo unicam suscepit filiam, nomine *Abram*, cujus pietatem, et in divinis rebus intelligendis sagacitatem, nec non in sectandis Evangelicis consiliis studium Hilarius ipse satis commendavit.[3]) Haud exiguo post baptismum intervallo, concordante favore populi aut potius Dei spiritu proclamante paulo ante a. 355 Pictavorum Episcopus electus, inde a suscepto Episcopatu continentiam professus est.[4]) Novo in munere pristinas virtutes, quarum laude homo laicus jam floruerat, novis in dies meritis auxit; praesertim vero divinas Scripturas populo exposuit, sanam ei doctrinam praedicans, et veluti „latini sermonis contra Arianos tuba“

[1]) Rufin. lib. 10. c. 31. Sozom. lib. 3. c. 15. S. Hieronym. ep. 34. n. 3. ep. 84. n. 7. Apolog. adv. Rufin. lib. 2. n. 19. Praef. in lib. 2. Comment. Epist. ad Galat. (T. VII. p. 427). S. Augustin. contra Julian. lib. I. n. 9. et 22. Fortunat. in Vita s. Hilarii lib. I. n. 3. Venant. Fortunat. Opp lib. 2. c. 19. v. 1—2. lib. 8 c. 1. v. 13—14.

[2]) Conversionem hanc ipse s. Hilarius luculenter describit de Trinit. lib. I. n. 1—12. cf. s. Hieronym. Comment. in Isai. c. 60. v. 13. S. Augustin. de doctrina Christ. lib. 2. n. 61. Sed contra Fortunatus haud obscure indicat, eum ab incunabulis religioni christianae fuisse addictum, Vita s. Hilarii n. 3. P. Coustant censet, rem in medio esse relinquendam; cf. ejusdem Vita S. Hilarii n. 3—7.

[3]) Fortunat. in Vita s. Hilarii lib I. n. 3. 6 et 13. S. Hilarii *Epistola ad Abram* filiam suam.

[4]) S. Hilarius de Synodis n. 91. Fortunat. in Vita s. Hilarii lib. I. n. 4. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c 100. Cf. P. Coustant in Vita s. Hilarii n. 19—21 et n. 29—34. C. Baron. Annal. ad. a. 355. n. 69—71. H. de Prato Dissert. IV. n. 24—25.

cum privatae etiam quietis incommodo catholicam fidem tuitus est.[1]) Cum enim Constantius Imperator in conventu Mediolani a. 355 habito nullum non lapidem moveret, ut abolitionem Nicaenae fidei procuraret, et Athanasii condemnationem ab Episcopis extorqueret, Hilarius, cujus maxima erat per omnem Galliam auctoritas, statim post illum Episcoporum conventum atque exilia Eusebii, Luciferi ac Dionysii, auctores totius mali, Saturninum Episcopum Arelatensem, Valentem et Ursacium a fidelium communione separandos decrevit, indulta resipiscendi facultate caeteris eorum consortibus.[2]) Cum porro eodem anno barbari Gallias foede vastarent, atque Constantius timeret, ne quid tum apud Gallos natura praecipites novaretur, nec deessent susurrones, qui meticulosi principis suspiciones augerent, Hilarius misso Imperatori libello timorem illius ita lenire curavit, ut res simul Ecclesiae ea occasione ageret; in id quippe potissimum incubuit, ut injuriam ecclesiasticae fidei ac disciplinae factam propulsaret. — Saturninus autem, „homo impotens et factiosus", aegre ferens, se cum sociis a communione caeterorum Galliae Episcoporum nominatim ut canceratum membrum rescissum, vicem Hilario redditurus, qua pollebat apud Constantium Imperatorem gratia, ab eo elicuit, ut ad Synodum Biterris prope Arelate a se cogendam a. 356 venire compelleret omnes Galliae Episcopos, et maxime Hilarium. Qui statim gravissimis criminibus Arianorum more a Saturnino oneratus et Episcopatu indignus judicatus est.[3]) Post hanc sententiam, dum Hilarius Juliani Caesaris patrocinio fultus paulisper adhuc in ecclesia sua morabatur,

S. Hilarii Pictav. Vita.

[1]) Fortunat. in Vita s. Hilarii lib. I. n. 3—5. S. Hieronym. Apolog. contra Rufin. lib. 2. n. 19. S. Hilarius de Trinit. lib. I. n. 14. et ex Opere histor. Fragm. I. n. 2. et 3. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 22—25.

[2]) S. Hilar. lib. contra Coustant. n. 2. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 26—29. H. de Prato Diss. cit. n. 11.

[3]) S. Hilarii liber contra Constant. n. 2. De Synod. n. 2. Lib. II. ad Constant. n. 2. Lib. contra Auxent. n. 7. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 36—38. H. de Prato Dissert. IV. n. 19—20.

S. Hilarii Pictav. Vita.

Saturnino cum sociis per legatos agente, sanctus iste Episcopus, calumniis oppressus, Imperatoris jussu exul in Phrygiam missus est, quin tamen Galliae Episcopi in locum Hilarii, cui fide ac spiritu semper cohaerebant, alium sufficerent, vel Saturninum in communionem suam reciperent. [1])

Singulari autem consilio divina Providentia s. Hilarium in Orientem relegari permisit, ut vir tantae prudentiae et caritatis, ob constantem fidei orthodoxae confessionem patria et sede Episcopali pulsus, Episcopos Orientis et Occidentis, in mediis Arianorum turbis mutuis suspicionibus laborantes, inter se conciliaret et unitatem Ecclesiae jamjam labefactatam restauraret. Quod eo facilius praestitit, quum ipse, omni verborum contentione seclusa, piam et orthodoxam de SS. Trinitate sententiam constanter tenuit, et non minori zelo, quam prudentia publice docuit, utramque vocem *ὁμοούσιος* et *ὁμοιούσιος* orthodoxum admittere sensum, priorem tamen illam vocem ad impietatem Arianorum tollendam multo aptiorem, ac proinde alteri praeferendam esse.[2]) Exilii aerumnas, patientia beati Job sibi proposita, summa animi fortitudine toleravit, de temporibus nihil conquestus.[3]) Constitutus in exilio ita de Christi confessione sibi nunquam recedendum decrevit, ut neque honestam aliquam ac probabilem ineundae unitatis rationem respuendam statueret, neque criminis loco duceret, „suspensa licet communionis societate“ cum Arianis colloqui iisque pacem inter salutandum optare, aut in una etiam cum illis ecclesia orare, dummodo tali ratione eorum conversionem facilius praepararet.[4]) Neque solum in

[1]) S. Hilar. lib. II. ad Constant. n. 2. De Synodis n. 2. S. Hieronym. de Script. eccles. c. 100. et Chronic. ad a. Chr. 359. Sulpic. Sev. Histor. sacra lib 2. n. 39 et 42. Fortunat. lib. I. n. 5. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 39—40.

[2]) S Hilarius de Synodis n. 91.

[3]) S. Hilarius de Trinit. lib. 10. n. 4. Lib. contra Constant. n. 2. Unde etiam probabilis est conjectura, *tractatus in librum Job* a s. Hilario, cum in exilio degeret, esse conscriptos, ut exemplo patientis Jobi animum suum erigeret. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n 44.

[4]) S. Hilar. lib. contra Constant. n. 2. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 41.

exilio detentus propriae ecclesiae curam assidue gessit,[1]) verum etiam gravissimis malis, quibus universa Ecclesia catholica tunc maxime afflictabatur, tenere compatiens[2]) iisdem pro virili occurrere studuit. Hinc quia urgebat caritas, ne Christi adversarios de pastorum absentia proficere quidquam sineret, otium nactus illico adversus Arianorum impietates atque insanias composuit libros duodecim *de Trinitate* inscriptos, quibus et haereticorum versutias et Catholicorum deceptiones ac male credulam simplicitatem adeo diligenter exposuit, ut et praesentes et longe positos, quibus ipse per se disserere viva voce non poterat, perfectissima instructione corrigeret.[3]) Aliquot exilii annis elapsis cum a. 358. per litteras ab Episcopis Galliae acceptas tam de Saturnini violentia, quam de Gallorum in retinenda fide constantia certior factus esset, Episcopi nonnulli eadem occasione ipsi significarunt, sese ab eo cupere rescire, quae Orientales Episcopi in fidei professionibus gererent et gessissent, et quid ipse super omnibus eorum dictis sentiret. Gallis enim, quibus cara admodum erat fides Nicaena, haud immerito valde suspecti erant Orientales, tot novarum fidei formularum conditores. Litterae hae a Gallicanis Episcopis Hilario datae rescripto ei occasionem praebuerunt, quod vulgo *liber de Synodis* appellatur.[4]) Illuc autem eo in libro maxime animum intendit, ut Episcopi Orientales et Galli, qui contra erumpentem novissime ex Concilio Sirmiensi secundo (a. 357.) Anomoeorum haeresin conspiraverant, sed mutuis tamen inter se suspicionibus laborantes, etsi forte non admodum sententiis, certe verbis adhuc dissidebant, in synodis proxime habendis jam inter se convenirent, ac suspicione omni

S. Hilarii Pictav. Vita.

[1]) S. Hilar. lib. II. ad Constant. n. 2.

[2]) S. Hilarius de Synodis n. 1. 2. 63 et 78. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 45.

[3]) Rufini Histor. Eccles. lib. 10. c. 31. cf. s. Hilar. de Trinit. lib. 10. n. 4. S. Hieronym. Chronic. ad a. Chr. 359. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 42—43.

[4]) Vid. s. Hilarius de Synod. n. 1—5. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 46—51.

S. Hilarii Pictav. Vita.

deposita fidem unam amplecterentur.[1]) Hinc postquam ad consequendum, quod ex uno Christi amore tentabat, opem divinam assiduis precibus exoravit et impetravit, non sine Dei numine sic sermonem temperavit, ut et sibi conciliaret Orientales, nec justam offensae causam Gallis relinqueret.[2]) Cum autem a nonnullis, et nominatim a Lucifero Calaritano Episcopo, vitio ei versum esset, quod approbata voce ὁμοιούσιος, defensores ejus Orientales orthodoxos habuisset, imo in laudes eorum ita effusus esset, ut turpis adulationis notam declinare nullatenus posset, insigni modestiae simul et prudentiae exemplo se suumque librum adversus reprehensores istos singulari libello defendit.[3]) Exinde et Orientales benevolentia ejus capti, et in horum gratiam flexi sunt Galli.

Cum Hilarius quartum exilii annum ageret in Phrygia, inter reliquos Orientis Episcopos Synodo Seleuciensi interesse compulsus est. Quo ubi pervenit, omnium statim in se animos et studia convertit, ac fide sua exposita in communionem receptus Concilioque adscitus est. Synodo sonfecta legatos Concilii secutus est in aulam Imperatoris, opperiens ibi ejusdem voluntatem, si forte ad exilium redire juberetur.[4]) Cum autem eo tempore res ecclesiasticae admodum perturbatae essent, et Imperator Constantius ab Arianis circumventus Episcopos omnes vi aut blanditiis compelleret, ut formulae fidei Sirmiensi tertiae a se propositae subscriberent, Hilarius Episcopos Orientales, qui Filium esse Patri ὁμοιούσιον propugnabant, in fide confirmavit. Episcopos vero Gallos de rebus novis-

---

[1]) S. Hilar. de Synodis n. 8—9. et n 27. De impia ista formula Sirmiensi altera vid. s. Hilarius l. c. n. 9—11. cum Not. P. Coustantii.

[2]) S. Hilar. de Synod. n. 63. 65. et 91.

[3]) *Apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa* exstant in s. Hilarii Opp. T. II. p. 521—24. Migne P. L. T. X. p. 546. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 52—54.

[4]) S. Hilarius lib. contra Constant. n. 12—15. Sulpic. Sev. Hist. sacra lib. 2. n. 42 et 45. Fortunat. lib. I. n. 7—8. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 56—64.

sime in Oriente gestis certiores reddidit, ne et ipsi deciperentur. Litteris ejus perceptis Episcopi Galliae statim Parisiis congregati (a. 360.), errorem suum, quo adducti fuerant ad supprimendum vocabulum *οὐσία*, ultro fatentur, ac Hilarii litteris eodem liberati laeti retractant; deinceps Hilario auctore Ariminensis Concilii gesta abrogant, Auxentium, Ursacium et Valentem, totius fraudis architectos, a communione sua abscindunt, et Filium Patri esse *ὁμοούσιον*, remoto omni haeretico sensu, aperte profitentur.[1]) Cum vero, optimis quibusque Episcopis aut metu territis fractisque, aut in exilium abductis, perfidiae paucorum cuncti concederent,[2]) Hilarius extremum fidei periculum conspicatus, supplici libello ad Imperatorem dato, ut de fide coram adversariis sibi liceret disceptare, ab eo postulavit. Id tamen Ariani, quorum nutu atque arbitrio princeps tunc regebatur, maximopere abnuere.[3]) — Spe sua frustratus Imperatorem de fide alloquendi eumque ab errore avocandi, Hilarius praevidens, quantam stragem editura esset haeresis, quae ad Nicaenam fidem evertendam Conciliorum Ariminensis et Seleuciensis auctoritate sese accingeret, conatibus illius ea, qua posset, ratione occurrere cogitavit. Tum ad hoc consilium suum nihil magis opportunum ratus, quam ut simplicem Synodorum illarum historiam, monumentis fide dignissimis innixam, texeret, librum illum suscepit, qui „adversus Valentem et Ursacium historiam Ariminensis et Seleuciensis Synodi continens" a s. Hieronymo inscriptus est.[4]) Ea demum ratione, illaeso

S. Hilarii Pictav. Vita.

---

[1]) Vid. Epistola a Synodo Parisiensi ad Orientales data in s. Hilarii Fragmento XI. ex Opere histor. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 64—69.

[2]) S. Hilarius lib. contra Constant. n. 15. Sulpic. Sev. Histor. sacra lib. 2. n. 45.

[3]) Sulpic. Sever. l. c S. Hilarius ex Opere histor. Fragm. I. n. 5.

[4]) S. Hieronym. de Script. eccles. c. 100. Libri hujus ad Arianas res elucidandas tam utilis tamque necessarii, cujus jacturam satis lugere non valemus, hodie nonnisi fragmenta exstant — *Fragmenta XV ex Opere historico;* ex quibus conjicitur, eum ita ab Hilario Constantinopoli inchoatum esse, ut tamen deinceps, quoad vixerit, ei sin-

S. Hilarii Pictav. Vita.

Imperatoris nomine, omnibus demonstrare voluit, novam fidei formulam, Ariminensis Concilii specioso titulo pervulgatam, ad quam subscribendam Episcopi omnes ubique cogebantur, minime admittendam, sed potius damnandam esse. — Cum vero res Ecclesiae fere ad incitas redactae essent, praesertim quia Episcopi haud pauci ementita falsaque religionis specie, quam Imperator prae se ferebat, decepti formulae fidei ab ipso propositae subscripserant, vigilantissimus gregis Dominici pastor Hilarius, ut vehementius aliquod praesentiusque remedium Ecclesiae laboranti adhiberet, ovinam Constantio detrahere pellem ac Domini sui gregi lupum ostendere officii sui duxit. Librum igitur vehementem *Contra Constantium Imperatorem* conscripsit, quem tamen non nisi Constantio jam mortuo (a. 361) evulgasse a plerisque censetur.

Varios Hilarii conatus ad haeresim in ipsa regia civitate tanquam in suo fonte comprimendam cum diutius ferre non valerent Ariani, Imperatori persuasere, ut Hilarius „quasi discordiae seminarium et perturbator Orientis“ redire in Gallias juberetur; tum vero Hilarium de proelio revertentem Galliarum ecclesia gaudio exultans complexa est exeunte a. 360.[1]) Statim ubi s. Hilarius Pictavos redierat, s. Martinus eum invisit, ab eoque gratissime susceptus monasterium ibi condidit primum in Galliis.[2]) Caeterum qui olim fortissime haeresin a Galliae finibus repulerat, nunc eo vires intendit, ut vulnera ecclesiae Gallicanae congruis remediis sanaret. Ubi enim Hilarius permensus fuerat orbem paene terrarum, perfidiae malo infectum, dubius animi et magna curarum mole aestuans, cum plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum

gula adjecerit monumenta, quae ad Arianam historiam pertinerent. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 75—77.

[1]) Sulpicii Sev. Hist. sacra lib. 2. n. 45. Fortunat. lib. I. n. 8. S. Hieronymi Chronic. ad a. Chr. 363. cum Nota Vallarsii; item s. Hieronym. Dialog. adv. Lucifer. n. 19. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 82—83. H. de Prato Dissert. IV. n. 27—29.

[2]) Fortunat. lib. I. n. 9—12. Sulpic. Sev. de Vita b. Martini n. 6—7. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 84—86.

factu arbitratus revocare multos ad emendationem et poe- S. Hilarii Pictav. Vita.
nitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis habitis, atque omnibus fere Episcopis errorem suum profitentibus, gesta apud Ariminum condemnavit, et in statum pristinum ecclesiarum fidem reformavit, ita ut apud omnes constaret, unius Hilarii beneficio Gallias piaculo haeresis esse liberatas.[1])

Pace Galliae reddita Hilarius sub Juliani imperio Alpes etiam transcendit, ut in Italia vicinisque regionibus, quae haeresis Arianae furore atque contagione longe magis depravatae fuerant, fidem orthodoxam repararet; junctaque opera cum Eusebio Vercellensi, qui ab Alexandrino Concilio redux singulas quasque Orientis et Italiae ecclesias ad rectae fidei sanitatem revocabat, negotium istud feliciter procuravit.[2]) Potissimum vero auxilio indigebat ecclesia Mediolanensis, cujus Episcopus Auxentius Arianas partes quam maxime adhuc in Italia fovebat, sed callide fraudem tegebat. Quum Valentinianus Imperator tempore verno anni 363 Mediolanum pervenisset, Hilarius et ipse praesens Auxentium eo usque adegit, ut Filium unius cum Deo Patre divinitatis et substantiae profiteretur. Cum tamen simulata hac confessione nondum contentus esset Hilarius, Imperatoris mandato tanquam pacis perturbator Mediolano cedere jussus, statim, ne ecclesiae Mediolanensi aliisque deesset, editis totius congressus gestis et patefacta Auxentii fraude, (libro *Contra Auxentium*,) ut ab eo sibi caverent sincerae fidei amatores, effecit. Eo in scripto mirari subit tum summum illius in detegendis vaferrimi haeretici dolis ingenii acumen, et in his arguendis fidei constantiam, tum in excusando Imperatore prudentiam, moderationem ac reverentiam ei debitam.[3]) Posteaquam

[1]) Sulpic. Sev. Histor. sacra lib. 2. n. 45. S. Hieronymi Chronic. ad a. Chr. 364. Cf. H de Prato Dissert. IV. n. 27. et 31. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 89—92.

[2]) Rufini Hist. Eccles. lib. 10. c. 30. 31. Socrat. lib. 3. c. 10 Sozom. lib. 5. c. 13. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 94.

[3]) *Liber contra Auxentium* exstat in s. Hilarii Opp. T. II. p. 593—602. Cf. P. Coustant Admonit. in hunc librum ibid p. 587—92. et Ejusdem Vita s. Hilarii n. 100—107.

S. Hilarii Pictav. Vita.

hoc scripto Hilarius avertere conatus fuerat discrimen, quod Ecclesiae ab Auxentii fraude imminere timebat, circa finem a. 364 Pictavos repetiit, ubi exercendo muneri pastorali, et libris conscribendis, quos inter *Enarrationes in Psalmos* praecipuum occupant locum, exinde ad mortem usque vacavit. Diem extremum Pictavis obiit a. 367 exeunte vel ineunte a. 368.[1]) — Celeberrima semper fuit in Gallia atque in Ecclesia universa s. Hilarii Pictaviensis memoria; eumque a multis Patribus et Conciliis insignem Ecclesiae Doctorem nuncupatum, atque ut talem in aliquot dioecesibus cultum, demum instante synodo Burdigalensi Pius IX. a. 1852 universae Ecclesiae Doctorem declaravit.

§. 96.

S. Hilarii Pictav. Scripta. A. Opera dogmatico-polemica.

S. Hilarii Pict. Opera dogmat.-polem.

Operum hujus s. Patris duo potissimum genera distinguenda veniunt; alia quippe sanae fidei defensionem spectant, alia s. Scripturae interpretandae serviunt.

A. Inter *Opera, quae ad fidei defensionem pertinent,* longe eminent:

1. *Libri XII de Trinitate,*[2]) in exilio ab eo conscripti. Omnino persuasum habuit s. Hilarius, simplicem fidem

[1]) De mortis ejus tempore testantur Sulpic. Sev. Historia sacra lib. 2 n. 45. S. Hieronymi Chronic. ad a. Chr. 372. S. Gregor. Turon. Histor. eccles. Franc. lib. I. c. 36 Ex quibus locis variae Eruditorum sententiae fluxerunt. Plerique sentiunt, obitum illius in diem 13. Januarii a. 367 incidisse (Bolland. l. c. n 31—32); alii ex rationibus sat firmis Calendis Novembris a 367 eum obiisse asserunt (P. Coustant Vita s. Hilarii n. 113—14. Pagi Crit. ad a. 360 n. 2. et ad a. 369. n. 4.); alii demum Idus Januarias a. 368. die Hilarii extremo insignitas sentiunt, cf. P. Coustant. l. c. n. 115. H. de Prato Dissert IV. n. 29.

[2]) Ita hoc Opus a multis jam saeculis inscribi solet, praeeunte Fortunato in Vita s. Hilarii lib. I. n. 14. et Cassiodorio Instit. divin. litter. c. 16. Apud alios olim titulum obtinuit: Libri XII. *de Fide*, utpote in quibus Filii et Patris consubstantialitas, praecipuum fidei nostrae caput ac fundamentum, ubique propugnatur, quique ad hoc maxime sunt suscepti, ut ea fides, in qua renati sumus, illaesa et integra

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

in Deum Patrem et Filium et Spiritum S., baptismo traditam, sufficere, solaque fide expleri, quae praecepta sunt, oportere, adorare scilicet Patrem, et venerari cum eo Filium, Sancto denique Spiritu abundare (lib. 2. n. 1. 2.). Hinc, simul etiam rei difficultate perculsus, nonnisi aegerrime adductus est, ut quae contineri religione mentium oportuisset, mysteria ineffabilia divina sermone humano eloqui institueret (lib. 2. n. 5.). Verum ubi animadvertit extremum fidei periculum imminere, et fallaciam Arianorum, quorum nomini summa animi moderatione ubique parcit, multis fidelium errore deceptis perniciem afferre, tandem praestantissimo huic Operi scribendi animum adjecit, impellente eum praeter Episcopalis officii necessitatem fraterna etiam caritate, ut scilicet Arianos hoc dogma impugnantes aut refelleret aut emendaret, fideles autem uberius instrueret.[1]) Singulis libris praemittit exordium nonnunquam satis prolixum, quo vel fidei necessitatem adstruit, fideique et intelligentiae mutuam relationem declarat, vel impios adversariorum veritatis errores varios sibique invicem adversantes perstringit (ex. gr. lib. 6. n. 1—16.), nec minori sollicitudine Sabellii et Photini, quam Arianorum haeresin a se depellit (ex. gr. lib. 7. n. 1—8.). Argumenta, quibus utitur ad explanandum, quantum homini fas est, demonstrandumque ss. Trinitatis mysterium

teneretur (lib. I. n. 36.). Ita vero hos libros inscribunt Rufin Hist. Eccles. lib. 10. c. 31. Sozom. lib. 3. c. 15. S. Leo M. in Testimoniis ss. Patrum subjunctis Epist. 165. (T. I. p 1383—88.); Concil. Chalcedon. Act. II. (Mansi T. VI. col. 961—64.) et al. Denique libri isti etiam appellantur „*libri 12 adversus Arianos*“. ut a s. Hieronymo de Scriptor. eccles. c 100. et c. 86. ep 55. n. 5. Idem s. Hieronymus ep. 70. n. 5. testatur, s. Hilarium in hisce libris conscribendis „12 Quintiliani libros et stylo imitatum esse et numero.“ Quodsi Cassiodorius l. c. *tredecim Hilarii de Trinitate libros* recenset, haud dubie libris de Trinitate adjungit librum de Synodis, qui in nonnullis Codd. Mss. antiquissimis libris de Trinitate cohaerens, *liber XIII.* inscribitur. Cf. P. Coustant Praefat. in s. Hilarii libros de Trinitate, ubi etiam n. 2—11. fusius disputat de variis inscriptionibus hujus Operis.

[1]) Vid. de Trinit. lib. I. n. 37. lib. 2 n. 5. lib. 6. n. 2. et n. 15. lib. 8 n. 2. lib. 10. n. 4.

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

ex sola fere Scriptura divinitus revelata depromit, ac uniuscujusque loci sensum quam accuratissime et plenissime declarat.

Totius autem Operis summa haec est: Unigenitus Dei Filius, vere et ab aeterno ex Patre natus, verus Deus est unius ejusdemque cum Patre naturae, ita ut nec singularem (aut solitarium) Deum fides Ecclesiae, nec duos profiteatur Deos, cum neque nativitas Dei solitarium sinat, nec nativitas perfecta diversarum naturarum nomina in Diis duobus admittat (lib. 8. n. 2.).

Hunc in finem s. Hilarius positis et expensis philosophorum de beatitudine Deoque sententiis, e Scripturis Veteris Testamenti sed maxime ex Joannis Evangelio veriorem ac sublimiorem Dei notitiam certioremque immortalitatis spem nobis praeberi statuit. Deinde ex Dei cognitione, quam s. Scriptura subministravit, observat, summam illius majestatem humani ingenii vires superare, nec attingi posse, nisi *fide*, hincque natas haereses, quod „infinitatem illius intra sensus sui finem concludere“ voluerint mortales. Tum duas praesertim sibi invicem oppositas haereses, Arianam videlicet ec Sabellianam, impugnandas proponit; atque excellenti ad lectores admonitione praemissa, refert argumentum sequentium undecim librorum de Trinitate, primum claudens librum invocando divinum auxilium (lib. I.).

Libro II. et III. mysterium SS. Trinitatis perspicue exponit. Itaque progressus a Trinitatis professione, percepta in baptismo ab Ecclesia, accurate proponit doctrinam catholicam de *Deo Patre* et *Filio;* tum inenarrabilem Filii Dei *generationem* ex Evangelio Joannis c. 1. explicat, subjungens, ex mysterio Incarnationis Filii Dei divinitati ipsius nihil detrahi; tandem de *Spiritus S.* dignitate divina ejusque in nobis officio accurate disputat (lib. II.). Quo autem dicta clarius patescant, explicare aggreditur verba Christi: „Ego in Patre et Pater in me“ (Joh. 14, 10. et 10, 38.), et intelligentiam ipsius effati quantum homini licet, ex ipsa Dei Patris et Filii notione deducit. Quamvis nempe impossibile videatur nostrae intelligentiae, Patrem et Filium in se invicem esse, fides tamen nos absolute certos reddit, ejusmodi potestatem in Deo esse. Quam fidem ut sibimet ipse adstrueret, nosque luculentis exemplis edoceret, etiam quae intelligentiam nostram superant, Deo esse possibilia, et ipse Dei Filius homo factus est, et multa in terris miracula patravit. Addit insuper, humanae naturae infirmitate considerata, haud exiguae esse stultitiae, credere homines nolle, quod intellectu non comprehendant (lib. III.).

Tum Arianorum impia sententia de Patre et Filio exposita (lib. IV. n. 1—14.), primum ex Veteri Testamento argumentatur. Quum enim adversariorum principale esset argumentum: „Novi-

mus unum solum Deum, Moyse dicente: Audi Israël. Dominus Deus tuus unus est," ipse contra ostendit, quod Moyses his verbis Filii divinitatem haud negaverit, imo potius in historia creationis ac in historia Patriarcharum, nec non in descriptione rerum a se gestarum „*Deum et Deum*" praedicet, idemque Prophetae omnes testentur (lib. IV.). — Ex iisdem porro locis *Deum verum* (Patrem) et *Deum verum* (Filium) inferri demonstrat, ita tamen ut idcirco nequaquam duos Deos adstruat, sed in Deo et Deo naturam Dei conservet unius (lib. V.). — Dein ex Novo Foedere probare instituit, D. N. Jesum Christum *vere*, non solo nomine, sed ex natura, neque ex adoptione, sed ex nativitate *Unigenitum Dei Filium* esse seu Dei Filium a Deo ex vera et perfecta nativitate subsistere; hoc autem ostendit ex testimonio Dei Patris, ex ipsius Jesu Christi declaratione, ex Apostolorum praedicatione, ex confessione fidelium, imo et daemonum, Gentilium ac Judaeorum (lib. VI.). — Tum ex eodem N. Test. demonstrat, eum, qui vere ex natura Filius Dei est, *vere quoque per naturam Deum esse*, ita tamen, ut neque ad singularem, neque ad alterum Deum fides nostra depereat; hic autem Jesum Christum vere esse Deum probat nomine divino, nativitate ex Deo, natura et potestate divina, ac propria ipsius professione (lib. VII.). — Denique ex eodem Novo Foedere *unitatem naturae, non solius voluntatis* in Patre et Filio demonstrat, docens Patrem in Filio et Filium in Patre per inseparabilis naturae unitatem confiteri, „non confusam, sed indiscretam, neque permixtam, sed indifferentem, neque cohaerentem, sed exsistentem, neque inconsummatam, sed perfectam" (lib. VIII.). S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

His omnibus explicatis solideque probatis ad solvendas difficultates accedit. Hic in antecessum asserta duarum in Christo incarnato naturarum veritate et personae unitate, nec non idiomatum communicatione respondet gravioribus objectionibus Arianorum, petitis ex Evangelii locis, in quibus Christus Deo semetipsum opponit, Patrem se majorem dicit, seque judicii extremi diem ignorare fatetur[1]) (lib. IX.). — Alias quoque objectiones solvit desumtas ex libris Novi Foederis, qui Jesum Christum ex Maria Virgine conceptum natumque, humanis affectionibus timoris, tristitiae et doloris obnoxium, passum denique et mortuum exhibent. Eas autem solvit ex fide Ecclesiae, quae, cum Christi naturas non confundat, nec dividat personas, in uno eodemque Christo et hominem patientem et Deum agnoscit triumphantem (lib. X.). — Dein eos locos explanat, in quibus vel Christus ipse, a mortuis suscitatus et gloriosus, alterius ac diversae a Patre

[1]) Sunt autem loci isti sequentes quinque: Marc. 10, 18. (explicatur n. 15—31.); Joh. 17, 3. (n. 32—42.); Joh. 5, 19. (n. 43—50.); Joh. 14, 28. (n. 51—57.); Marc. 13, 32. (n. 58—76).

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

naturae se profiteri videtur, vel Christum Patri subjiciendum ac regni potestate cessurum esse Apostolus Paulus denuntiat[1]) (lib. XI.). — Denique ultimum et gravissimum haereticorum praesidium, locum scilicet: „Dominus creavit me initium viarum suarum“ (Prov. 8, 22.) aggressus, firmissime probat, Verbum Dei seu Filium *non esse creatum*, sed *ab aeterno genitum* vereque ex Deo Patre natum, atque varia objecta, contra aeternam Filii Dei generationem ab Arianis subtiliter excogitata, dissolvit (n. 1—54.). — Paucis dein *divinitatem Spiritus S.* probat, ejus tamen relationem ad Patrem definire nequaquam audet (n. 55—56.); ac Operi finem imponit Deum rogando, ut illibatam servet in ipsius corde fidem, quam in sacramento regenerationis, baptizatus in Patre et Filio et Spiritu S., professus est semperque retinendam accepit (n. 57.) lib. XII. — Eminet hoc Opus ingenii acumine, naturali in disputando subtilitate, et ordine plane egregio.[2])

Huic Operi proxime subjungendus est

2. *Liber de Synodis* seu *de fide Orientalium*,[3]) utpote et tempore, et materia eidem affinis; nam et fidei illustrandae causa susceptus (vid. §. 95.), et tempore exilii (n. 2. 63. 92.), anno videlicet 358 vel 359, scriptus fuit. Directus est liber iste ad Episcopos Germaniae primae et secundae, Galliae et Britanniae, ut eos de vera fide illorum Episcoporum Orientalium, qui proxime (a. 358) Ancyrae congregati novam fidei formulam condiderant, certiores redderet.[4])

[1]) Sunt loci isti: Joh. 20, 17. et 1. Cor. 15, 21—28. Posterioris loci sane difficillimi uberior explicatio majorem hujus libri partem (n. 21—49.) implet. Cf. s. Hieronym. ep. 55. n. 5.

[2]) Non possum, quin hic subjiciam viri eruditissimi Card. A. Maji de istis libris judicium: „Latinorum contra Arianos propugnatorum princeps sine dubio Hilarius Pictaviensis est, cujus duodecim de Trinitate volumina totidem revera θαύματα sunt. Nam et eloquentiae splendorem, et dialecticae acumen, et theologiae altitudinem, et Scripturarum divinarum peritiam summam, et ecclesiastici zeli fervorem, et quidquid opis in humano ingenio est, ad hoc Opus conscribendum affluenter Hilarius contulit“ A. Maji Collect. Nova Veterum Scriptor. T. III. P. II. p. 188.

[3]) Hujus libri meminit s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 100., et ep. 5. n. 2. S. Augustinus ep. 93. n 31. 32. Facundus Hermian. lib. 10. c. 6. et lib. 12. c. 3.

[4]) Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 46—51. et ejusdem Praefat. in hunc librum T. II. p. 445—56.

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

In hoc libro, postquam Gallis de illaesa et constanti illorum fide verbis amicissimis gratulatus est, primo impiam fidei formulam, Sirmii a. 357 editam, refert, statimque fidei definitiones subjungit, quas Episcopi Orientales seu Semiariani Ancyrae congregati contra Anomoeos Sirmii congregatos ediderant, easque sensu orthodoxo accurate explanat. Reliquas etiam fidei formulas adjicit, post Synodum Nicaenam diversis temporibus et locis conscriptas, Antiochenam videlicet a. 341, Pseudo-Sardicensem a. 347, et Sirmiensem contra Photinum a. 351, quas omnes sese complecti Episcopi Ancyrae congregati (Orientales) in sua Epistola Synodica testabantur.[1]) Quos amice ad veritatem revocare studens, ita laudat eos, qui avita et Apostolica fide contenti scriptas fidei formulas nesciunt, ut tamen multitudinem fidei professionum aliqua saltem ratione excuset, et quidquid in eis defendi potest, benigne interpretetur atque defendat. Imo quidquid contra *ὁμοούσιον* solet opponi, nequaquam tacet, sed singillatim recenset atque dissolvit; nec dissimulat, quod in gratiam verbi *ὁμοιούσιον* potest afferri, ut vera cum eo fides jungatur. Postmodum tamen, subiecto Nicaeno symbolo, retinendum esse *ὁμοούσιον* validissimis rationum momentis conficit atque concludit. Hanc autem veluti fidei catholicae tesseram proponit (n. 61.), „Dominum nostrum Jesum Christum Deum et Dei Filium a Patre nec honoris confessione, nec virtutis potestate, nec substantiae diversitate, nec intervallo temporis separari“ debere.

3. *Apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa* sunt quidem brevissima, sed ad verum libri de Synodis sensum ubique recte percipiendum summopere commendari merentur;[2]) quippe cum ipse Hilarius in his responsis apologeticis complures locos, quibus nimium Orientalibus Semiarianis indulgere videbatur, justo sensu explicuerit, et cum aliis locis ejusdem libri, nec non cum fide orthodoxa conciliaverit.

4. *Liber I ad Constantium Augustum.* — Hoc libello qui anno 355 vel 356 scriptus est, uti jam diximus Hilarius, quum Imperator suspiciones foveret, fore ut barbaris in Gallias incurrentibus, etiam ab incolis turbae excitarentur, Constantio illum timorem adimere studet, fidelesque ei subditos esse Gallos asseverat; simul vero Catholico-

[1]) S. Epiphan. haeret. 73, n 2.

[2]) Vid. supra §. 95. (p. 454). Cf. P. Coustant Praefat in librum s. Hilarii de Synodis n. 8—12.

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

rum causam vindicat. Itaque gravissimis verbis non suo tantum, sed et aliorum Episcoporum nomine Imperatorem deprecatur, ut Catholicis pax et libertas restituatur fidem orthodoxam profitendi neque per vim subjici cogantur haereticis; ut Episcopi egregii in desertis aut in exilio detenti ad suas sedes redire permittantur; praecipue vero ne judices saeculares et provinciarum rectores Clericorum causis dijudicandis sese immisceant.[1]) Hujus libelli fructus is fuisse videtur, ut Imperator Constantius lege lata caveret, ne Episcoporum causae ab aliis, quam ab Episcopis cognoscerentur.[2])

5. *Liber II ad Constantium Augustum.* — Hic libellus supplex, uti advertimus, scriptus est Constantinopoli a. 560, quo obtineret Hilarius a Constantio copiam coram ipso disputandi cum Arianis. Eo in libro postquam iniqua se exilii sententia multatum ostendit, sollicitudinem suam de salute tum Imperatoris ipsius, tum omnium Christi fidelium manifeste declarat; miserum Ecclesiae statum ex Arianorum turbis novandique studio ortum vivis depingit coloribus; fidei ab initio traditae et in baptismo acceptae, quae est immutabilis constanter adhaerendum esse monet, eandemque se Imperatori ex ipsis divinis litteris abunde probaturum in se recipit, summa moderatione servata.[3])

---

[1]) S. Hilarii ad Constantium Augustum liber I., i. e. prior editus, non autem cum libro II ulla ratione connexus exstat in Edit. Maurina T. II. p. 535—540, ap. Migne P. L. T. X p. 557—563. — Haud improbabilis est sententia, libellum istum scriptum fuisse in Concilio quodam Galliae Episcoporum communi eorundem nomine; vid. H. de Prato Diss. cit. n. 12. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 35. Caeterum legenti facile patet, atque inter Eruditos fere convenit, nonnulla in hoc libro deesse; nec levis est suspicio, ea omnia, quae post n. 4. sequuntur. huic libello aliunde esse adsuta; cf P. Coustant Admonit in h. lib. n. 4. H. de Prato Diss. cit. n. 14—18.

[2]) Lex haec, a. 355 edita, habetur in Cod. Theodos. lib. 11. tit. 2. leg. 12. (Cod. Theodos. ed. Ritter T. VI p. 41. c. Not. et Commentar. ibid. p. 41—43.) Cf. C. Baron. Annal. ad a. 355. n. 81—82. H. de Prato Diss. cit. n. 14—18.

[3]) Vid. Sulpic. Sever. l. 2. n. 45. S. Hieron. Chronic. ad a. Christi 363. Cf. P. Coustant Vita s. Hilarii n. 70 -75.

S. Hilarii Pict. Opera dogmatico-polemica.

6. *Liber contra Constantium Imperatorem* [1]) a s. Hilario a. 360 Constantinopoli conscriptus est, quum jam Imperatorem in perversitate haeretica obstinatum, inimicum Ecclesiae perniciosissimum haberet, suique muneris esse censeret fideles contra insidias ejus tueri. Hoc libro igitur statim ab exordio protestatus, se Christi unice causam agere, minime vero suam (n. 3.), Constantii Imperatoris fidem, mores ac gesta, quae Ecclesiae intererat nosse, patefecit, ut Episcopi catholici et maxime Galli, ad quos hunc librum direxisse videtur (n. 2.), Imperatorem haereticum esse, haeresim tueri atque praecipere cognoscerent, persuasumque haberent, ab illo sibi cavendum esse, velut a tyranno tanto periculosiore, quanto majus fidei pacisque studium verbis ostentans, eam ex animis avellere cogitaret[2]). Porro, necessitate acerbioris hujus scripti exposita, persecutionem illa Neronis et Diocletiani nihilo inferiorem perstringit, quam Constantius inde a Concilio Arelatensi usque modo sive blanditiis ac simulatione ovem se mentiens, sive minis ac suppliciis lupum agens excitaverit. Gesta Seleuciensis Synodi, cui ipse Hilarius praesens interfuerat, exhibet; hujus Synodi fidem, „qua Filium Patri secundum Scripturas similem", definierat, dictumque Constantii: „Nolo quae non scripta sunt (in divinis Scripturis) dici", suggillat et non minus solide, quam acriter confutat, Patris et Filii aequalitatem demonstrans. Denique Arianorum ipsiusque Constantii in fide inconstantiam et impietatem repraesentat[3]).

---

[1]) V. Opp. s. Hilarii T. II. p. 561. Migne P. L. T. X. p. 578.

[2]) Vid. Sozom. lib. 4. c. 26. Cf. P. Coustantii Dissert. praevia in s. Hilarii librum contra Constant. n. 4—6.

[3]) Librum hunc, Constantio licet adhuc superstite (a. 360) scriptum, post ejus demum obitum publicatum esse, varii suspicantur ex s. Hieronymo de Scriptor. eccles. c. 100. De hujus libri genio et de verbis s. Hieronymi vid. P. Coustant. Vita s. Hilarii n. 78—81 et Dissert. praevia in hunc librum n. 3—12. — Quae pertinent universim ad trium horum librorum (ad Constant. et contra Constant.) authentiam, integritatem et tempus, quo singuli conscripti sunt, fuse et solide exponuntur in Admonit. seu Dissert. unicuique praefixa ab editore P. Coustantio. In editionibus quae praecedunt editionem insignem P.

S. Hilarii Pictav. Opera dogmatico-polemica.

7. *Liber elegans „contra Auxentium“* vel *contra Arianos* proprie epistola ad Catholicos est contra Arianos, quos exordium spectat, sed nominatim contra Auxentium, Episcopum Mediolanensem, de cujus secum gestis Hilarius Catholicos admonet[1]).

8. *Fragmenta XV. ex Opere historico,* in quo potissimum Concilii Ariminensis historia descripta erat.[2])

Cum enim Ariani plerisque persuasissent, tot Episcopos non fidei, sed unius Athanasii gratia in exilium ejectos esse, quod nempe scelestum illum condemnare detrectarent, eamque non satis dignam esse suscepti exilii causam, errorem hunc sanare curavit Hilarius, cum mendacis haeresis progressus explicando, eam non unius hominis, sed totius fidei expulsionem suscepisse ex ipso exitu demonstraret. Quare libro hoc, quidquid in Occidente Ariana haeresis gesserit, ex ipsis rerum gestarum monumentis comprehendere voluit; quaecunque autem ex variis Conciliis, ut ex Arelatensi et ex Pseudo-Sardicensi protulit ad unum Ariminense Concilium tanquam ad finem referebat, in quo aperte patefecit haeresis Ariana, quid superioribus synodis molita fuerit. Hujus deinceps Acta suo ordine dedit, et quae cum ad illud rescindendum variis in locis a catholicis Episcopis statuta, tum ad ipsum propugnandum ab Ursacio et Valente tentata erant. In hujus Operis Fragmentis quaedam monumenta integra servata sunt, quae historiae illorum temporum haud parum lucis afferunt[2]).

Coustantii, ordo istorum trium librorum plane inversus est, adeo ut liber adversus Constantium primum occupet locum, liber dein secundus ad Constantium alterum obtineat locum, denique liber primus ad Constantium ultimo loco ponatur.

[1]) Vid. supra, p. 357. Cf. P. Coustant Admonit. in hunc librum T. II. p. 587—92. Elegantiae nomine libellus iste commendatur a s. Hieronymo de Scriptor eccles. c. 100.

[2]) Cf. supra p. 355. — Quae fuerit olim istorum Fragmentorum series confusa, et qua ratione novus ordo adhibitus sit, nec non argumenta, quibus Hilario ista vindicantur, docet P. Coustant, Praefatio in haec Fragmenta. Quaestio tamen de his Fragmentis nondum est penitus eliquata. Certa habentur generatim Fragmentum primum et secundum; epistola Liberii „Studens pacis“ (Fragm. IV) certo Liberii non est, imo et aliae epistolae ejus, quibus ab Athanasii communione se recessisse significat et Arianis favet, gravissimis ex rationibus censentur suppositae. (V. Hefele C. G. T. I. §. 81. Jungmann Dissert. T. II. p. 67. 199.) Neque ipse Hilarius haec suo Operi inseruisse videtur. Cf. Coustant l. c. n. 7.

[3]) V. Migne P. L. T. IX. p. 239.

§. 97.

B. Opera exegetica S. Hilarii Pictaviensis.

S. Hilarii Pictav. Opera exegetica.

9. *Commentarii in Psalmos* non tamen omnes, qui ab ipsomet Hilario „Tractatus Psalmorum“ appellantur, et ab Antiquis plurimum laudantur[1]), inter Opera illius exegetica primum dignitate locum obtinent, tum quod s. Doctor in iis fere complexus est, quidquid de praecipuis fidei nostrae dogmatibus sentit, tum etiam quia ab iis lectionis Operum s. Hilarii initium facere admodum est consultum. Etenim cum difficiles ipsius sententiae in his aut enuntientur planius, aut apertioribus intermisceantur, paratior atque instructior lectoris animus hinc poterit transire ad obscuriores de Trinitate libros intelligendos.

In Psalmorum sensu explanando mediam quandam viam s. Hilarius tenuit. Cum enim neque eos probaret, qui in Psalmis aut nihil praeter litteram sapiunt,[2]) aut nihil non ad Christum referri volunt,[3]) ipse diligenter prosecutus est sensum mysticum et moralem, quin tamen litteralem vel excluderet, vel plane negligeret. Quapropter his fere regulis in Psalmorum expositione usus est: „Psalmi non sui tantum temporis res enuntiant, neque in eas solum aetates conveniunt, quibus scripti sunt; sed universis, qui in vitam venirent, Dei sermo consuluit, universae aetati ipse aptissimus ad profectum.“ Statuit igitur, multa quidem in Psalmis

---

[1]) S. Hilarii Tractat. Psalm. 130. n. 1. Tract. Ps. 135. n. 12. et 14. Cf. S. Hieronym. de Scriptor eccles. c. 100. ep. 5. n. 2. et ep. 34. n. 3. 5. S. Augustin. contra Julian. lib. 2. n. 26. 28. et 29. Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 4. Praefat. in Psalter. c. 12. et Exposit. in Ps. 6. ab initio (Opp. T. II. p. 23.) Fortunat. in Vita s. Hilarii lib. I. n. 14. — An s. Hilarius Psalmos omnes exposuerit, adhuc sub judice lis est, cf. P. Coustant. Admonit. in hunc Commentar n. 4—6. Hodie exstant praeter Prologum Expositio in Ps. 1. 2. 9. 13. 51—69. 91. 118—150., quibus addere licet Expositiones in Ps. 15 31. et 41. ex Amplissima Veterum Scriptorum Collect. ed. Martene et Durand T. IX. col 55. seqq. recus. in A. Gallandii Biblioth. T. V. p. 83—93. Cf. ibid. Prolegom. c. 9.

[2]) Tract. in Ps. 124. n. 1. in Ps. 119. n. 13. in Ps. 123. n. 5. in Ps. 125. n. 1. 2.

[3]) Tract. in Ps. 63. n. 2—3. Clavis sive Introitus in Ps. 1. n. 2. 3.

S. Hilarii Pictav. Opera exegetica.

ad Christum pertinere, dum aliis in locis Christi divinitas atque aeterna ex Patre nativitas, in aliis vero ejus natura humana, operatio, passio et resurrectio praedicetur; haud raro etiam Davidem typum Christi gessisse monet. Sed praeterea illud quoque Psalmorum argumentum esse contendit, ut fides et vocatio Gentium annuncietur, Judaici populi aut arguantur peccata, aut praedicatur vindicta, modo etiam ad timorem, modo ad laudem et confessionem Dei erudiamur. Hinc investigare jubet „intelligentiam personae, temporis, causae," ac sedulo discernendum esse monet, ex cujus persona et in quem singula Psalmorum dicta intelligi oporteat, et „qua unusquisque eorum clave intelligentiae aperiendus sit"[1]). Porro cum persuasum haberet, hominem nonnisi ope divina ad verum Psalmorum sensum pertingere posse, praeter studium aliorum interpretum, quos inter Origenem praesertim adhibuit, ac maturam diligentemque contemplationem, maxime orationis ope verum eorum sensum sibi a Deo, eorundem auctore, aperiendum confisus est[2]). — In iis exponendis, etsi fere antiquam versionem latinam sequatur, graecum tamen etiam textum haud raro consuluit ad faciliorem Psalmorum intelligentiam consequendam[3]), et praesertim Septuaginta interpretum translationem maximi fecit, primo quia *legitima* est i. e. sub lege et a Judaeis lege adstrictis longe ante Christum edita adeoque minime suspecta; deinde quia *spiritalis* est, litterae hebraicae, quae valde ambigua est, non adhaeret serviliter, sed spiritum in ea latentem verbis haud dubiis retegit et exprimit; demum quia spiritalis ille sensus non humano ingenio excogitatus fuit, sed a Moyse ex traditione acceptus[4]). Quamquam vero a textus hebraici ambiguitate cavendum monet, nusquam tamen ejus sinceritatem arguit, sed potius ipsius auctoritatem, tanquam fontis ultimi, non semel

---

[1]) S. Hilarii Prolog. in Psalm. Grad. n. 4. Cf. n. 2. et 7. Tract. in Ps. 126. n. 1—2. in Ps. 58. n. 1. in Ps. 63. n. 3. in Ps. 5[illegible]. n. 1. 2. in Ps. 139. n. 1—2. in Ps. 141. n. 1. et 3. in Ps. 142. n. 1. 2. in Ps. 138. n. 20. in Ps. 125. n. 1—2. in Ps. 2. n. 5. Prolog. in librum Psalm. n. 5—7 et n. 24. Clavis sive Introitus in Ps. 1. n 1.

[2]) Tract. in Psalm. 120. n. 1. in Ps. 138. n. 39. in Ps. 133. n. 4. in Ps. 121. n. 1. in Ps. 125. n. 2. Prolog. in librum Psalm. n. 24. Clavis Ps. 1. n. 1. et 5. Qua ratione Origenis lucubrationes in usus suos converterit, prouti saepius nobis testatur s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 100. item ep. 57. n. 6. ep. 61. n. 2. ep. 82. n. 7. ep. 84. n. 7. et ep. 34. n. 3., fusius disquirit P. Coustant in Admonit. hujus Operis n. 13—16.

[3]) Tract. in Psalm. 67. n. 12. et 21. in Ps. 118. lit. 5. n. 1. et lii. 8. n. 1. in Ps. 65. n. 25. Prolog. in librum Psalm. n. 2.

[4]) Tract. in Ps. 2. n. 2—4. in Ps. 59. n 1. in Ps. 118. lit. 5. n. 13.

disertis verbis extollit[1]). — Videntur autem Tractatus isti seu Sermones ad populum habiti fuisse; recte tamen conjiciunt Eruditi, eos postmodum nonnullis mutatis in unum Commentariorum volumen ab ipso Hilario collectos atque editos fuisse[2]). *Prologus* totius Operis pluribus agit de inscriptione totius Psalmorum voluminis ac de inscriptionibus singulorum Psalmorum, de divisione Psalmorum in quinque libros, de Psalmorum auctoribus, numero et ordine, de significatione vocis: *diapsalma*, et de vero Psalmorum sensu. Ibi etiam (n. 15.) de *canone sacrorum librorum Veteris Testamenti* mentio incidit. S. Hilarii Pictav. Opera exegetica.

10. *Commentarius in Evangelium Matthaei*, quem nihil in hoc Opere ex Origene mutuatus, sed „gratia Spiritus S. adjutus," primus aut fere primus inter Latinos hanc arenam strenue ingressus, anno 355. edidit.[3]) Ratio interpretandi ea est, ut *sensum litteralem* diserte quidem adstruat, praecipuam autem et fere unicam operam collocet in *sensu spirituali* seu mystico investigando: quem ut assequatur, sedulo observare et expendere solet ordinem rerum gestarum, verborum proprietates, nec non locorum, temporum ac personarum rationem.[4]) Eo in sensu inda-

---

[1]) Tract. in Ps. 2. n. 2—4. in Ps. 65. n. 3. in Ps. 118. lit. 8. n. 1. in Ps. 124. n. 4.

[2]) Cf. P. Coustant Admonit. praevia n. 22—23. Oberthür in sua edit. Opp. s. Hilarii T. I. p. XCVI—IX.

[3]) Ap. Migne P. L. T. IX. 909. — Hujus Operis mentionem fecerunt s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 100. et Prolog. in versionem Homil. Origenis in Lucam. S. Augustinus de natura et gratia n. 72. Cf. P. Coustant Admonit. in hunc Commentar., praesertim n. 1—2. n. 8—9. et n. 15. — Commentarius hic nonnisi pertingit usque ad Matth. 28, 13.; pauci igitur versus in fine desiderantur. Desideratur quoque Praefatio, quam olim ediderat s. Hilarius, ut patet ex Comment. cap. 1. n. 2. et ex Cassiano de Incarnat. lib. 7. c. 24. — Prooemii loco nunc habetur titulorum seu argumentorum in 33 capitula distributorum elenchus, forte ab ipso s. Hilario profectus, qui in editionibus prioribus *elenchus canonum* inscriptus, ex eoque etiam Commentarius omnis in 33 *Canones* distributus est; sed perperam *Canonis* nomen ea significatione usurpatum est, quocirca in edit. Maurin. et subsequentibus *canonis* loco vocabulum capitis recte substitutum est. Cf. P. Coustant Admonit. hujus Operis n. 10—14. et Nota ultima ad h. Comment.

[4]) Vid. Comment. in Matth. cap. 2. n. 2. cap. 7. n. 1. cap. 15. n. 3. et 9. cap. 21. n. 13. Cf. Tract. in Ps. 123. n. 5.

S. Hilarii Opera exegetica.

gando nihil ei occurrit familiarius, quam Legis et Evangelii, Ecclesiae et Synagogae, Judaeorum et Gentium seu Christianorum status, quem dictis ac gestis evangelicis praeformatum fuse enarrat. Cur vero hanc Evangelii exponendi rationem inierit, ipse Hilarius rationem reddit. Persuasum quippe habuit, non tantum Vetus Testamentum, sed etiam Novum praeter simplicem intelligentiam altera etiam altiore, interiore et spirituali refertum esse, atque duplicem illam intelligentiam utilem ac necessariam esse; declarat autem, se interiori et spirituali potissimum adhaerere, quia simplex, cuique per se obvia, communem captum non superet.[1]) In hoc igitur Commentario ut plurimum evangelica dicta et gesta strictim percurrens sistit; paucis nonnumquam sensum litteralem innuit; nonnihil fusius sensus mysticos plurimasque morales sententias, easque fere plane egregias, indicat, ita tamen ut sermo nusquam latius divagetur, sed prope semper concisus paucisque multa complectens deprehendatur.

11. *Tractatus de mysteriis* ab Hilario scriptus perhibetur a s. Hieronymo.[2]) Deperditus erat, sed nuper a Jo. Fr. Gamurrino e Codice Arretino ex parte in lucem editus est.[3]) Opinabantur quidem hucusque eruditi, in illo *libro mysteriorum* cujus mentio est apud Hieronymum, s. Hilarium tractasse de Ecclesiae sacramentis; sed jam apparet, in eo agi de personis, eventibus et rebus Veteris Testamenti, quatenus ut typi ad Christum Dominum et opus redemptionis referuntur. Hoc sensu igitur mysteriorum appellatio intelligenda est. Exstant modo hujus operis duo libri, vel potius, quum multa exciderint, partes duorum librorum, quorum prior ab Adamo incipit et in Moysem desinit, alter ab Osee orditur et terminat in Eliam. — *Liber*

---

[1]) Comment. in Matth. cap. 19. n. 4. cap. 12. n. 1. et 12.

[2]) „Liber hymnorum et mysteriorum alius.“ De viris illustr. c. 100.

[3]) S. Hilarii Tractatus de mysteriis et Hymni, et s. Silviae Aquitanae Peregrinatio ad loca sancta. Quae inedita ex Codice Arretino deprompsit Jo. Fr. Gamurrini. Accedit Petri Diaconi Liber de locis sanctis. In 4° pp. XXXIX. 150. Romae, Ex Typogr. Pacis Philippi Cuggiani, 1887.

hymnorum qui l. c. s. Hilario ab Hieronymo pariter tribuitur, injuria temporum interiit. Repertus autem est et editus a cl. Gamurrino hymnus didacticus sat longus s. Hilarii de divinitate Christi, cujus singulae sex versuum strophae singulis Alphabeti incipiunt litteris. Deest tamen ultima pars hujus hymni, qui genuinus s. Hilarii foetus habetur. — Genuini etiam consentur tres hymni desumpti ex vetere Breviario mozarabico, in quo iidem s. Hilario tribuuntur.[1])

S. Hilarii Pictav. Opera exegetica.

12. Demum Hilarii Operibus subjungenda venit ipsius *Epistola ad Abram*[2]) filiam suam. Epistolam hanc in exilio detentus ad eam direxit, ut filiam carissimam verbis ad ipsius captum accommodatis a vanis saeculi pompis ac deliciis revocaret, ut virginitatem perpetuam ei persuaderet, eamque coelesti sponso, quem vivis coloribus depingit, bonisque melioribus praepararet. In ea *hymnum matutinum et serotinum* ipsi se mittere memorat, isque etiam nobis servatus est.

Nota 1. *Epistola* sive *Libellus* ad Episcopum quendam, a primo editore J. Chrys. Trombellio (Cypriani, Hilarii aliorumque Veterum Patrum latinorum Opuscula nunc primum edita, Bononiae 1751. 4°.) vindicatus s. Hilario, *dubiae* saltem auctoritatis est. In isto libello et fidei dogmata summatim proponuntur, et ad pietatem mores diriguntur. Exstat haec Epistola etiam in

---

[1]) Incipiunt isti hymni: *Deus Pater ingenite; In matutinis surgimus; Jam meta noctis transiit.* Editi fuerunt a Thomasio, Opp. Tom. II. p. 351 sqq. Romae 1747.

[2]) V. Migne P. L. T. X. p. 549. — Epistolam hanc nonnulli (Erasmus, Gillotius et Scultetus) s. Hilario abjudicant, ast praeter rem, ut monet Fabric. Biblioth. latin. T. II. p. 303. et probat P. Coustant in Admonit. T. II. p. 523—24. Illius jam meminit Fortunat. in Vita s. Hilarii lib. I. n. 6. Cf. Tillemont l. c. Art. X. cum Nota 10. et Ceillier l. c. Art. VI. (Haec Ill. Fessler ed. l.) Epistolam tamen ut spuriam nostra aetate rejiciunt Reinkens (Hilar. v. Poit. p. 227 sqq.), et Fechtrup (K. Lex. 2. ed. s. v. Hilarius.) Cl. Alzog (Patrol.) eam habet valde dubiam, Nirschl eam genuinam esse existimat. Nec video, quid contra genuinitatem moveri possit, nisi quod *senem* in ea se dicat Hilarius. Quum enim epistola ex exilio ante a. 361 scripta censeatur, aegre s. Hilarius, qui passim c. a. 320 natus habetur, eo tempore senem se dicere poterat. Sed facile admitterem, Hilarium aliquot annis prius, initio saeculi quarti natum fuisse.

S. Hilarii Pictav. Opera dubia et spuria.

Opp. S. Hilarii ed. Fr. Oberthür T. IV. p. 7—33. Trombellii Praefationem sistit editio mox laudata in T. I. p. CXLI.—L. — Ap. Migne P. L. T. X. 727 sqq. — Sed contra vid. A. M. Feltri Dissertatio de Epistola seu libello sub s. Hilarii Pictav. nomine a Canonicis Regular. S. Salv. a. 1751 edito, in qua ostenditur, Epistolam illam seu libellum non Hilario Pictavorum Episcopo tribuendum esse. Romae 1762. — Dubiae porro sunt Homilia in initium Evang. s. Matthaei, et altera Homilia in initium Evang. s. Joannis, quas ed. A. Mai, Nov. Bibl. Vet. PP. T. I. — Dubii demum habentur aliquot hymni, scil. a) hymnus in Epiphaniam *Jesus refulsit omnium;* b) hymnus in Quadragesimam *Jesu quadragenariae;* c) hymnus in Pentecosten *Beata nobis gaudia;* d) hymnus de Christo.

Nota 2. Plura quoque *Opera* s. Hilarii non exiguo rei litterariae damno hodie *deperdita* sunt, ut *Tractatus in Job*, quos ex Graeco Origenis transtulit in latinum expunctis tamen erroribus (s. Hieronym. ep. 57. n. 6. ep. 61. n. 2. ep. 84. n. 7. Apolog. c. Rufin. lib. I. n. 2.); *liber hymnorum* de quo jam diximus. („hymnorum quippe carmine floruit primus s. Hilarius," ut testatur s. Isidorus Hispal. de Officiis eccles. lib. I. c. 6. cf. Concil. Tolet. IV. habitum a. 633. can. 13. ap. Mansi T. X. col 622.); *liber ad Praefect. Sallustium* sive *contra Dioscorum*, in quo, quid in litteris posset, ostendit, (s. Hieronym. ep. 70. n. 5.); denique *Epistolae* complures (Sulpic. Sever. Hist. sacra lib. 2. n. 40.). Horum omnium meminit s. Hieronymus de Scriptoribus eccles. c. 100. Cf. P. Coustant Praefat. generalis in Opp. s. Hilarii n. 19—31. et inde paucis mutatis Fr. Oberthür in Opp. s. Hilarii T. I. p. CXXVII —XXXIX. Ceillier T. V. Chap. I. Art. X. n. 1—2. (p. 110—12.). *Fragmenta* ex his aliisque Operibus s. Hilarii deperditis exstant ad calcem Operum s. Hilarii T. II. Fragmentum aliud prolixum elucubrationis anonymae *contra Arianos*, quod ex rationibus non sat firmis Hilario Pictav. adscribendum putat, exhibet Mich. Denis in Codd. Mss. theolog. latin. Bibliothecae Palatinae Vindobon. Vol. II. P. I. (Vindobonae 1799.) col. 1102—1111.

Nota 3. Opera *spuria* sunt: *Liber de Patris et Filii unitate; liber unus de essentia Patris et Filii contra haereticos; Sermo in festo SS. Trinitatis* (seu Fides Alcuini); *Sermo de dedicatione ecclesiae; Metrum in Genesin* (quod nonnulli s. Hilario Arelatensi tribuunt); *Hymnus serotinus:* „Ad coeli clara non sum dignus", *Fragmentum Carminis* de Evangelio (quod ed. Pitra Specil. Solesm. T. I. p. 166 sqq.) et *Epistolae ad s. Augustinum duae.* — De his vid. Appendix Opp. s. Hilarii T. II. Fr. Oberthür T. I. p. CL—LII. et p. CXL—XLI. Ceillier l. c. n. 3.

§ 98.

Character et doctrina S. Hilarii Pictaviensis.

Summa nunquam non in Ecclesia catholica auctoritate floruit s. Hilarius, adeo ut haberetur tamquam reli-

gionis columna, quae nutantem fulciebat Ecclesiam,[1]) ut praeclara Ecclesiae latinae lumina insigni eum veneratione suspicerent,[2]) ut tota demum Ecclesia catholica Chalcedone congregata inter eos illum referret, ex quorum doctrina exponendum esset fidei de Incarnationis mysterio decretum.[3]) Vir natura lenis et placidus, ac proinde ad persuadendum commodissimus fuit,[4]) qui in propria causa irasci omnino nesciebat, et praesertim eos, qui ex imprudentia aut errore etiam contra rectam fidem peccaverant, mitissime habebat; verum ubi Dei gloriam maligne et pertinaciter impeti, animarum salutem aeternam periclitari conspexit, justa etiam ira efferbuit, et veritatem absque fuco palam exposuit, ut quisque sibi diligenter cavere posset.[5]) Quodsi porro nonnulli sanam ejus fidem in suspicionem vocare non dubitarunt, Ecclesia contra ejus Opera „in omnibus recipienda“ declaravit, et s. Hieronymus, acerrimus sane orthodoxiae censor, virgini sacrae suadere non dubitat, ut „Athanasii epistolas et Hilarii libros inoffenso decurrat pede.“[6]) Si ergo alicubi imprudentem lectorem verba offendunt, orthodoxa ejus fides de vero eorundem sensu consulatur,[7]) et benigna difficiliorum

S. Hilarii Pictav. character et doctrina.

---

[1]) S. Hieronym. Apolog. c. Rufin. lib. I. n. 2.

[2]) S. Augustin. contra Julian. lib. 1. n. 9. lib. 2. n. 26. et 28. De Trinit. lib. 6. n. 11. S. Hieronym. Apolog. c. Rufin. lib. 2. n. 19. ep. 34. n. 3. Cf. Cassian. de Incarnat. lib. 7. c. 24. Sozom. lib. 3. c. 14. Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 18. Facund. Hermian. lib. 10. c. 6.

[3]) Concil. Chalcedon. Act. I. et II. (Mansi T. VI. col. 937—38. col. 953—54. et col. 961—64.)

[4]) Rufin. Histor. Eccles. lib. 10. c. 31.

[5]) Hujus generis est *liber contra Constantium*, qui tamen lenitati animi ipsius nihil plane detrahit. Nam, ut praeclare monet s. Gregorius Nazianz. Orat. 21. n. 25. „viri, Dei amore praediti, tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re *lenes* et faciles esse non sustinent, cum per silentium et quietem Dei causa proditur, verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres et feroces, citiusque aliquid, quod non oporteat, emoverint, quam, quod ex officio sit, praetermiserint.“

[6]) S. Gelasii I. P. Decretum de libris recipiendis, editum in Concilio Romano a. 494. (Mansi T. VIII. col. 148). S. Hieronym. ep. 107. n. 12.

[7]) S. Ambros. ep. 48. n. 4.

S. Hilarii Pictav. character et doctrina.

locorum adhibeatur interpretatio.[1]) Obscuritas enim quaedam certe in ejus scriptis deprehenditur, partim ob rerum, de quibus disserit, sublimitatem, cum fere totus versetur aut in asserenda Patris et Filii tum consubstantialitate, tum discretione,[2]) aut in reconditioribus Scripturarum sensibus eruendis, partim ob styli ipsius proprias quasdam dotes. Cum enim primus aut fere primus inter Latinos abstrusum dogma SS. Trinitatis pertractaret et Commentarios s. Scripturae elucubraret, nec isto aevo ad res tam sublimes satis jam accommodatae essent latinae voces, aut usus loquendi aptissime constitutus esset, in vocibus idoneis quaeritandis tanto magis laboravit, quanto latina lingua angustior et minus copiosa erat, quam graeca.[3]) Quapropter hinc inde occurrunt verba parum Romana, sed aut Hilario propria et ad genium linguae graecae conformata, aut ex usu provinciae Gallicanae deprompta. Accedunt haud raro longae et intricatae periodi, densae sententiae, frequentes ellipses, et insolitae metatheses. Hae autem difficultates magna ex parte sublatae sunt, ex quo in praeclara PP. Maurinorum editione textus plurimis in locis emendatus notisque illustratus est. Recte tamen s. Hieronymus Hilarium vocat „eloquentiae latinae Rhodanum," quod scilicet, sicut ille fluvius prae caeteris Galliae

[1]) Hunc in finem egregie inserviet P. Coustant Praefatio generalis in Opera s. Hilarii n. 41—262., ubi vir doctissimus praecipuas suspicionum nebulas prorsus dissipare instituit. Idem quoque praestitit Fr. Oberthür in sua editione Opp. s. Hilarii T. II. p. VIII—CIV. et T. III. p. I—XCII., ubi Summaria Crisis in Scripta s. Hilarii exhibetur.

[2]) Triplex enim de Deo loquentibus generatim imminet periculum, in mente scilicet, in sermone et in auditu, cum „et res divinas mente consequi arduum sit, et verbis explicare perdifficile, et purgatas aures nancisci majoris laboris et difficultatis". S. Gregor. Naz. Orat. 32. n. 14. Triplex illud periculum s. Hilarius utique sensit ac timuit, simulque pro viribus cavit tum precibus ad Deum fusis, tum diligenti atque copiosa veritatum fidei expositione; cf. s. Hilar. de Trinit. lib. 2. n. 2. et 5., item de Synodis n. 5. 6. 62. 65. et 66.

[3]) Jam s. Gregorius Nazianz. Orat. 21. n. 35. „linguae latinae angustiam (στενότητα) et verborum inopiam," rebus divinis tractandis haud sufficientem, conqueritur.

velocius fertur, ita et Hilarii dictio gallico quodam impetu et torrentis instar decurrens legentis animum rapiat.[1]) Quoad doctrinam praesertim dogmata de SS. Trinitate et Incarnatione D. N. Jesu Christi accurate explicat; verum alia etiam permulta Ecclesiae catholicae dogmata variis in locis confirmat, ex quibus pauca delibamus. S. Hilarii Pictav. character et doctrina.

1. Dogma *de sola Ecclesia visibili salvifica* his verbis fatetur: „Qui ab Ecclesiae corpore respuuntur, quae Christi est corpus, tanquam peregrini et alieni a Dei corpore, dominatui diaboli traduntur.“ Tract. in Ps. 118. lit. 16. n. 5. Cf. etiam de Ecclesia Commentar. in Matth. cap. 10. n. 7—9. De Trinit. lib. 7. n. 4.

2. *Solius Ecclesiae esse judicare de vero sensu s. Scripturae*, ita asserit: „Significat (Dominus Jesus), eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim (de qua Matth. 13, 2.) *Ecclesiae* typum profert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi, qui extra sunt, et arenae modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt.“ Commentar. in Matth. cap. 13. n. 1. Cf. Concil. Trid. Sess. 4.

3. *Quid sit justificatio impii*, ita ab eo describitur: „Cum innovamur baptismi lavacro per verbi virtutem, ab originis nostrae peccatis atque auctoribus separamur; et veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, et per Spiritum anima et corpore innovati, necesse est, ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus.“ Comment. in Matth. cap. 10. n. 24. Ita etiam Tract. in Ps. 63. n. 11. et Tract. in Ps. 126. n. 13.[2]) Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. et 7. can. 11. et Sess. 5.

---

[1]) De stylo s. Hilarii praeclare judicat s. Hieronymus ep. 58. n. 10. Commentar. in Galat. Praefat. lib. 2. (Opp. T. VII. p. 427.) Unde obscurus sit s. Hilarii sermo, et quaenam sint styli ejus propriae dotes, fusius disquirit P. Coustant Praefat. generalis n. 32—40. item Fr. Oberthür T. II. p. I—VIII. Cf. Möhler: Athanasius der Grosse. II. Thl. S. 165—66. — Complures difficultates, ex proprio ejus stylo enatas, superare juvabit *Index Glossarum* ad calcem editionis Maur. adjectus, ubi multae phrases ipsi peculiares paucis explicantur.

[2]) De peccato originali, quod ipse appellat „originis vitium“ saepius diserte testatur, ut Tract. in Ps. 118. lit. 22. n. 6. lit. 14. n. 20.

S. Hilarii Pictav. character et doctrina.

4. *De bonorum operum indole et merito* statuit: „De nostro beata illa aeternitas *promerenda* est; praestandumque est aliquid *ex proprio,* ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu praeceptis coelestibus obtemperemus.“ „Dominus nos voluit et efficere, quae jussit, et credere, quae spopondit.“ „Non aliter aut nos meremur, aut aliqui ante meruerunt, quam Verbum Dei Deum naturae nostrae carnem vel habitaturum[1]) sperasse, vel quod habitaverit, credidisse“ (i. e. quam si vel speraverunt habitaturum, vel habitasse crediderunt Deum etc.) Comment. in Matth. cap. 6. n. 5. et 7. Tract. in Ps. 118. lit. 15. n. 5. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11. et 16. can. 19. 20. 21. 26. 31. et 32.

5. *Vera et realis praesentia D. N. Jesu Christi in ss. Eucharistiae sacramento* ita asseritur: „Interrogo, utrumne *per naturae veritatem* hodie Christus in nobis sit, an *per concordiam voluntatis.* Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non *naturaliter* manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae jam inseparabilem sibi homo natus assumsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit?“ „Nos vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus.“ „De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit.“ De Trinit. lib. 8. n. 13. 14.[2]) Cf. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. can. 1. et 2.

Unde nonnisi „Deo gratiam faciente poenitendorum, et novorum bonorum initia reddente“ „in vitam novam renovamur et in novum hominem transformamur.“ Tract. in Ps. 125. n. 6. et 8.

[1]) Hanc vocem, qua postea Nestorius ad haeresin suam adstruendam abusus est, ipse sensu orthodoxo explicat s. Hilarius de Trinit. lib. I. n. 11.

[2]) Omnino digna est, quae legatur, tota argumentatio loci allegati n. 13—17., quae fidem catholicam de ss. Eucharistia praeclare confirmat, dum ibidem (n. 17.) etiam dicitur „Filius carnaliter in nobis

6. *De veneratione Sanctorum reliquiis debita* his testatur: „Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, et *veneranda ossa* quotidie testimonio sunt; dum in his daemones mugiunt, dum aegritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur.“ Lib. contra Constant. n. 8. Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de venerat. Sanctorum.[1]) S. Hilarii Pictav. character et doctrina.

7. Quid in *lectione s. Scripturae Veteris Foederis* observandum sit, praeclare hisce indicat: „Admonuimus frequenter eam lectioni divinarum Scripturarum mentem adhiberi oportere, quae sollicito examine et judicio non inani posset discernere, quando rerum gestarum commemoratio vel simpliciter esset intelligenda vel typice; ne intemperanter atque imperite utroque, aut utrumque inutile audientibus redderemus, si aut simplicium cognitio inani praefigurationum assertione corrumperetur, aut virtus praefigurationum sub simplicium opinione ignoraretur. Quamquam ita sese divinae Scripturae sermo habeat, ut nihil inane, nihilque extra causam alicujus necessitatis, nihil non sub discrimine consectandae a nobis intelligentiae editum sit.“ De Mysteriis L. II. Ap. Gamurrini l. c. p. 26.

Editiones: Editiones antiquiores, quae prodierunt Paris. 1510 per Badium Ascensium, Basileae 1523. per Erasmum Roterodam., Paris. 1544. per Lud. Miraeum, Basileae 1550. per M. Lipsium, Basileae 1570. per J. J. Grynaeum, denique Paris. 1572. per J. Gillotium, Paris. 1605. etc. parum commendandae sunt. Editio demum, omnibus fere numeris absoluta, adornata est a P. Coustant (ex Congregat. S. Mauri) Parisiis 1693. fol. Eadem edi- Editiones.

---

manere per sacramentum carnis et sanguinis.“ Idem Episcopos vocat „concorporatos Christo“ (contra Constant. n. 11.), et Christum in ultima coena „fundendum in remissionem peccatorem corporis sui sanguinem *consecrasse*“ scribit (Comment. in Matth. c. 31. n. 7.). *Disciplinam* quoque *arcani* circa hoc sacramentum observat, ut lib. contra Constant. n. 11. et Tract. in Ps. 121. n. 12. Porro solis sacerdotibus potestatem esse offerendi sacrificium incruentum Novi Foederis, aperte declarat in Op. histor. Fragment. II. n. 16. „Sacrificii opus sine presbytero esse non potuit.“

[1]) *Vota* etiam, et nominatim *votum castitatis*, quae in Ecclesia nuncupantur, utilia esse ac Deo placere asserit, Tract. in Ps. 64. n. 3.

tio novis curis aucta per Scip. Maffei prodiit Veronae 1730. II Voll. fol. — Editio haec recusa est, sed mendis scatens Venetiis 1749. fol. — Eandem quoque recudi curavit additis Dissertationibus et Notis (fere ex edit. Maurina transscriptis) cum supplemento Franc. Oberthür Wirceburgi 1785—88. IV. Voll. in 8°. — Migne P. L. T. IX. X. — Cf. de editionibus Praefat. generalis edit. Maurin. § I. et IV. item in edit. Fr. Oberthür T. IV. p. XXIII—LIV. Migne l. c. T. IX. p. 14. Ceillier T. V. (ed. 2. T. IV.) Chap. I Art. XII. n. 2. J. A. Fabricii Biblioth. latina T. II. p. 302—4. Schoenemann Biblioth. histor. litterar. Patrum Latin. T. I. p. 276—94.

§ 99.

Alii Scriptores Ecclesiastici hoc aevo celebriores.

Varii Scriptores saec. IV.

Permulti hoc aevo viri docti tum in Occidente tum in Oriente Ecclesiam scriptis illustrarunt. Quorum alii solo nomine hodie celebrantur, scriptis eorum deperditis, alii vero, quamvis ab Ecclesia non approbati ut Patres Ecclesiae, scriptis tamen hodiedum exstantibus multum conferre possunt ad dogmata fidei morumque illius aetatis cognoscenda et ad disciplinam historiamque Ecclesiae illustrandam.

Prioris generis est *Rheticius*, Episcopus Augustodunensis, sub Constantino Imperatore circa a. 314. in Galliis celeberrimus, qui a s. Augustino inter Patres Ecclesiae refertur. Scripsit *Commentarios in Cantica Canticorum* et grande volumen *adversus Novatianum;* sed ex ejus Operibus nihil hodie superest.[1])

Ex Scriptoribus vero Ecclesiasticis Occidentis singulari attentione digni sunt: *Juvencus, s. Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Victorinus Afer* et *Phoebadius.*

Juvencus, nobilissimo Hispaniarum genere oriundus et presbyteri dignitate conspicuus floruit sub Constantino Imperatore circa a. 330. Is caeteris rerum sacrarum vatibus primus omnium viam stravit. Opera hodie duo exstant, scilicet: 1. *Historiae Evangelicae libri quatuor.* Heic

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 82. item epist. 5. n. 2. et ep. 37. n. 1. S. Augustin. contra Julian. lib. I. n. 7. et 32. lib. 2. n. 33. et 37. Op. imperfect. c. Julian. lib. I. n. 55. Cf. Ceillier T. IV. Chap. III.

invocatione Spiritus S. praemissa, versibus hexametris, haud ineleganti ratione compositis, historiam vitae Jesu Christi poëtice describit quatuor Evangelia paene ad verbum transferens. Non tamen singulis Evangelistis singulos libros impendit, sed Matthaei seriem prae caeteris secutus, historiam sive harmoniam Evangelicam quatuor istis libris digessit. Opus hoc, quod s. Gelasius Papa summis extollit laudibus et ferme cum Operibus ss. Patrum coaequat, praeter poësis christianae antiquissimae specimen dogmaticum etiam atque exegeticum usum inde praestat, quod ex illo haud raro conspiciatur, qua ratione Ecclesia illius aevi sacri codicis verba intellexerit. — 2. Scripsit 2° Juvencus praeter hanc *Historiam Evangelicam*, pariter versibus *Historiam antiqui Testamenti*, usque ad mortem Josuë, quantum ex iis quae supersunt colligitur. Exstant videlicet *liber ad Genesim* (1441 vers.) cujus prima quatuor capita olim sub nomine Tertulliani vel Cypriani circumferebantur; *metrum in Exodum* (1392 vers.); *in Josuë* (586 vers.); et partes quaedam poëticae *in Leviticum, Numeros et Deuteronomium*, quas partes Em. Pitra invenit et edidit.[1]) — Opus poëticum *de mysteriis* deperditum est. — Juvenci carmina magna apud antiquos in aestimatione fuerunt et quoad ipsum Gelasius in decreto de recipiendis libris: *Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.* Varia ex ipso fidei dogmata, uti praesentia realis Christi D. in Eucharistia, B. Virginis in partu integritas, confirmari possunt. Quoad concinnitatem et versuum puritatem haud sibi semper aequalis est, quum studeret Evangelistas ad litteram sequi, sed multa habentur egregie concinnata.[2]) Juvencus.

S. Eusebius Vercellensis natus versus finem saeculi III. natione Sardus fuit, ac terra sua et cognatione relicta,

[1]) Spicil. Solesmen. T. I. p. 171—261.

[2]) De Juvenco vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 84. Chronic. ad a. Christi 332. Commentar. in Matth. lib I. c. 2. v. 11. et ep. 70. n. 5. S. Gelasii P. Decretum de libris recip. editum in Concil. Rom. a. 494. (Mansi T. VIII. col. 150.) Venant. Fortunat. de Vita s. Martini lib. I. v. 14—15. Gf. Galland. T. IV. Prolegom. c. 15.

S. Eusebius Vercellens.

atque otio domestico peregrinationem praeferens, primum ecclesiae Romanae lector, tum, divino electus judicio, Vercellensis Episcopus ordinatus est. Is primus omnium in Occidentis partibus monasticam vitam clericali conjunxit. In conventu Mediolanensi (a. 355.) eminuit Eusebii fortitudo atque animi firmitas in vera fide et Athanasii causa defendenda; hinc ob confessionem fidei a Constantio Imperatore Scythopolim, dehinc in Cappadociam, atque postea in superiorem Thebaidem relegatus, gravissimas in exilio aerumnas perpessus est. Pace demum Ecclesiae sub Juliano reddita sedem suam repetens praestantis medici instar Orientis provincias peragravit, et ubique infirmos in fide confirmavit. Cum redux haud minori sollicitudine vulnera Italiae ab Arianis inflicta curasset, obiit meritis plenus a. 371. — Pauca admodum hodie supersunt viri hujus praeclara monumenta litteris consignata, *tres* videlicet *epistolae*, quarum una data est *ad Constantium Imperatorem* ante conventum Mediolanensem; altera e loco exilii *ad Vercellensem aliasque fideles ecclesias* scripta est, eique insertus s. Eusebii *libellus facti ad Patrophilum*, quo hunc episcopum Arianum Scythopolitanum, a quo in custodia tenebatur, ob duritiem arguit. Postrema scripta est *ad Gregorium Episcopum Illiberitanum*, audito Hosii lapsu.[1])

Ceillier T. IV. Chap. IV. Gebser Dissert. de Juvenci Vita et Scriptis. Jenae 1827. 8°. (qui etiam de *utilitate exegetica* hujus Operis bene disputat p. 29—45). Bähr: Geschichte der Röm. Liter. (1872) B. IV. 36—44. Nirschl, Patrol. II. § 118. — *Editiones* (quas recensent Ceillier et Bähr l. c. item Gebser Dissert. cit. p. 46—48.) praestantiores sunt duae, quarum unam cur. Erh. Reusch cum Notis Omeisii Francof. et Lipsiae 1710. 8.°, alteram recens. Faust. Arevalus Romae 1792. Exstat haec quoque in Gallandii Biblioth. T. IV, ubi adjectum est *dubium Epigramma de IV. Evangelistis*, et ap. Migne P. L. T. XIX. — Cf. Chevalier s. v. Juvencus.

[1]) Hosii Cordubensis Episcopi (n. c. a. 256., m. c. a. 357), celeberrimi propugnatoris fidei orthodoxae contra Arianos, reliqua est insignis *Epistola ad Constantium Imp.* scripta (a. 355), quam inseruit s. Athanasius historiae Arianorum c. 42 sqq. Eadem s. Athanasium strenue defendit et gravissimis verbis arguit Constantium, quod violenter rebus Ecclesiae sese immisceat. S. Isidorus Hispal. (de Scriptor. eccl. c. 1) ei tribuit etiam *ad sororem suam de laude virginitatis episto-*

In his epistolis, brevioribus licet, s. Episcopi zelum, generosique simul Confessoris divinam audaciam suspicere, ac aerumnas, quas in exilio perpessus est, satis cognoscere licet. — Edidit etiam in Psalmos Commentarios Eusebii Caesariensis, quos de Graeco in Latinum verterat; sed haec versio aetatem non tulit. — Praeterea exstat *Codex Evangeliorum latinus* ejusdem s. Eusebii manu descriptus, qui in majori ecclesia Vercellensi hodiedum asservatur.[1])

Lucifer Calaritanus.

Lucifer Calaritanus, metropolis Sardiniae Episcopus, vir mirae constantiae et animi ad martyrium praeparati, eo tempore claruit, quo Constantius Imperator catholicam exagitabat Ecclesiam. In tanto fidei orthodoxae discrimine

---

lam, pulchro ac diserto comptam eloquio, et adhuc alia quaedam opuscula de *interpretatione vestium sacerdotalium Vet. Testamenti,* ac *de observatione Dominicae disciplinae* Hosio adscribuntur; sed haec penitus exciderunt. — Quae Hosii lapsum, qui dicitur, spectant, valde dubia sunt. Fieri potuit, ut s. Hilarius (De Synod. n. 11.) rumoribus falsis ab Arianis sparsis deciperetur; si forte Hosius Arianis nimium cessit, res eo reduci videtur, quod aliquando licitum habuerit cum illis communicare. Cf. Ceillier, T. V. Ch. XIV. Gams Kirch. Gesch. v. Spanien T. II. p. 137—309. Jungmann Diss. T. II. Diss. VI. p. 35 sqq.

[1]) De s. Eusebio Vercell. vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 96. Dialog. adv. Lucifer. n. 19. Chronic. ad a. Chr. 374. (cum Nota Vallarsii) et ep. 61. n. 2. S. Ambros. ep. 63. n. 2. n. 66—71. S. Athanas. Histor. Arian. n. 33—34. S. Hilarii lib. I. ad Constant. n. 8. Socrat. Histor. Eccles. lib. 3. c. 9. et 10. secutus Rufini Histor. Eccles. lib. 10. c. 30—31. Cf. Galland. T. IV. Prolegom. c. 7. Ceillier T. V. Chap. V. — Simul collectae illae *tres epistolae* exhibentur in Galland. Biblioth. T. IV., quarum priores ambas ex archivo ecclesiae Vercellensis erutas Annalibus Ecclesiasticis intexuit C. Baronius ad a. 355. n. 6. (in Append.) et ad a. 356. n. 92—102.; tertia a s. Hilario Pictav. asservata est, vid. ex Opere histor. Fragm. XI. n. 4—5. Cf. Schoenemann Biblioth. histor. litterar. Patrum. Latin. T. I. p 294—96. — Chevalier s. v. Eusèbe. — *Codex Evangeliorum* luci publicae datus est a J. A. Irico Mediolani 1748 in 4.°; eundem rursus imprimi fecit Blanchini in Opere luculento, quod inscribitur: *Evangeliarium quadruplex.* Romae 1749. Haec omnia cum recens detecta *Expositione fidei de SS. Trinitate,* Symbolo Athanasiano admodum simili, quam Editor absque ullius Codicis testimonio, solis argumentis internis fultus, Eusebio Vercell. adscripsit, exhibet Migne Patrolog. Curs. P. L. T. XII. col. 1—972, excepta epistola tertia quae habetur l. c. T. X. Opp. s. Hilarii in Fragm. hist. XI.

Lucifer Calaritanus.

e sede sua Deo procurante digressus Romam perrexit, et a Liberio P. legatus missus est ad conventum Mediolanensem a. 355. Quum orthodoxam fidem et causam s. Athanasii strenue tueretur, a Constantio Imperatore relegatus est in Palaestinam, ubi continuavit fidei defensionem, variosque edidit libros, quos et ad Constantium misit. Post mortem Constantii, Julianoque apostata indulgentiam affectante, Lucifer a. 362 ex exilio rediens Antiochiam venit. Ubi quum Eustathiani Meletium quem Arianismi immerito suspectum habebant, ut episcopum agnoscere nollent, Lucifer zelo intempestivo se Eustathianis junxit, ac Paulinum in Episcopum ordinavit. Inde scissio quae Antiochenam ecclesiam diu turbavit habuit suam originem. Superveniens porro s. Eusebius Vercellensis Luciferi agendi rationem improbavit; hic vero id aegerrime tulit seseque ab Eusebio sejunxit. Praeconceptam animi acerbitatem auxerunt decreta synodi Alexandrinae de lapsis in Arianismum qui vere poeniterent recipiendis eisque pristina cum dignitate in sedes restituendis. Vir rigidus enim hanc benignitatem improbabat. Dein etiam eos qui Arimini fuerant ibique dolis Arianorum circumventi iis cesserant, dura sententia condemnavit, et non solum ab iis sed etiam ab eorum communione se sejunxit, qui illos resipiscentes in communionem receperant. Unde ex Oriente in Sardiniam reversus gregem suum Calaris gubernavit, ibique mortuus esse videtur a. 371. — Quousque tamen oppositio illa Luciferi progressa sit, utrum videlicet tantum vincula solitae amicitiae solverit quin ecclesiarum communionem rejiceret, an vero a reliquis ecclesiis se omnino separaverit, non penitus liquet. Post mortem ipsius vero qui rigida ejus principia secuti sunt sectam schismaticam *Luciferianorum* constituerunt.[1])

[1]) De Lucifero vid. s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 95. Dialog. adv. Lucifer. n. 20. Chronic. ad a. Chr. 374. S. Athanas. Apolog. de fuga sua n. 4. Histor. Arian. ad Monachos n. 33. Rufin. Histor. Eccles. lib. 10. c. 20. 27. et 30. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 3. c. 4—5. Sulpic. Sev. Histor. sacra lib. 2. n. 45. S. Ambros. de excessu Satyri lib. I. n. 47. Faustini et Marcellini libellus precum ad

Praeter aliquot *epistolas*, ex quibus historia illius aetatis majorem acquirit lucem, atque Episcopi hujus auctoritas et fortitudo animi conspicitur, plura exstant Opera, a Lucifero exule, ac proinde adhuc catholico, scripta, scilicet: Lucifer Calaritanus.

a) *Libri duo pro s. Athanasio*, cujus causam ita tuetur gravissimis argumentis et sacrorum librorum testimoniis, ut mira ingenii vi facile convincat, Athanasium nec visum hominem nec auditum in judicio damnari non potuisse, et e sede sua dejici sola conventus Mediolanensis et Imperatoris auctoritate atque sententia.

b) *Liber de non conveniendo cum haereticis*, in quo id agit, ut gravi orationis stylo atque congestis s. Scripturae exemplis, testimoniis et auctoritatibus probet, sibi et catholicis Episcopis prorsus illicitum fuisse, consentire in conventu Mediolanensi (a. 355.) cum Arianis, quorum fraudes et iniqua consilia noverant, et pacis esse auctores, quam Imperator nefario fictoque animo inter partem utramque conciliare studebat.

c) *Liber de regibus apostaticis;* in quo proposito impiorum regum exemplo, qui, licet pessimam vitam egerint et dolorum cultum probaverint, diutissime tamen in regno floruerunt, ostendere vult Constantio, verum non esse ejus animi sensum, quo ex florentissimo regni sui statu arguebat, se recte Arianam tueri fidem et Nicaenam insectari.

d) *Liber de non parcendo in Deum delinquentibus,* in quo Imperatori rationem reddit, cur priores libros tam acri stylo exaraverit, ostendens, nefas esse Episcopis, errores et iniqua facta hominum, praesertim haereti-

Imperatores n. 7. 16. 30. et 31. (Galland. T. VII. Migne P. L. T. XIII. p. 29.) Cf. Galland. T. VI. Prolegom. c. 2. Ceillier T. V. Chap. IV. D. Papebroch. Commentarius historicus de s. Lucifero. Episcopo Calari in Sardinia, in Actis SS. T. V. Maji (ad diem 20. Maji.) — Quid de ipsius sanctitate sentiendum sit, optime exponit doctissimus Pontifex Benedictus XIV. in praeclaro Opere de Beatificat. et Canonizat. Sanctorum T. I. lib. I. c. 40. n. 2—3.

Lucifer Calaritanus.

corum, vili quadam timiditate et injurioso in Deum silentio dissimulare, quippe cum eorum sit muneris, catholicam fidem palam tueri et impiorum scelera fortiter libereque redarguere.

e) *Liber* inscriptus: *Moriendum esse pro Dei Filio;* in quo Nicaenam fidem, legationis suae gesta, Athanasii causam validissime tutatur, Constantii et Arianorum scelera persequitur, ac gloriosae pro Christo mortis nobilitatem, decus laudesque extollit, quam se avidissime cupere testatur. — In omnibus Operibus Luciferi emicat igneus zelus gloriae Dei veraeque fidei, incredibilis fere orationis libertas atque audacia, promptissimus s. Scripturae usus, et vis magna dicendi; sermo tamen rudis et incomtus est.[1])

S. Phoebadius.

Phoebadius, Aginnensis in Gallia Episcopus, vir pietate atque doctrina clarissimus, et Arianorum perfidiae insectator acerrimus a. 358. *librum contra Arianos* exaravit ad secundam formulam Sirmiensem penitus profligandam. Aliud quoque praeclarum Opus (c. a. 360.) conscripsit *de fide orthodoxa contra Arianos,* quod ab aliis, minus tamen recte, inscribitur: *De Filii divinitate et consubstantialitate,* vel simpliciter *de Fide,* atque perperam a nonnullis s. Gregorio Nazianzeno, s. Ambrosio aut Gregorio Baetico, Phoebadii coaevo, tribuitur. Denique ejus-

[1]) De Luciferi scriptis vid. Coleti Praefat. in suam editionem Opp. Luciferi. D. Papebroch. l. c. cap. 2. 3. et 4. Galland. T. VI. Prolegom. c. 2. n. 5—7. Ceillier l. c. Art. II. Quanti aestimaverit s. Athanasius Luciferi libros, patet ex Faustini et Marcellini libello ad Imperatores n. 24 — 25. et ex ipsius Athanasii epistolis ad Luciferum. Illud certe s. Hilarii de scriptis hujus viri usurpare licet: „Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem." S. Hilarii Commentar. in Matth. c. 5. n. 1. — *Editiones:* Primus edidit Luciferi Opera J. Tilius, Episcopis Meldensis. Paris. 1568. 8°. Praestantissima editio est fratrum Coleti Venetiis 1778. fol. quae integra recusa est in Migne P. L. T. XIII. col. 691—1049. Alia eaque optima editio exstat in Galland. Biblioth. T. VI. p. 153 — 260. Editionem criticam textus curavit Hartel, Lucif. Calar. Opuscula, Corp. Script Eccl. Latin. T. XIV. — In Coleti Praefat. p. VII — IX. et in Schoenemann Biblioth. histor. litter. *Formula fidei,* quae Lucifero tribuitur, *supposititia* est, cf. criticam Animadversionem eidem praefixam in edit. Coleti p. 273 —78.

dem auctoris est *libellus fidei*, praecedentis de fide orthodoxa tractatus veluti compendium, quod brevem quidem, sed claram et distinctam catholicae fidei expositionem continet. Duo autem priora Opuscula nervose ac eleganter Filii substantiam eandem esse cum paterna demonstrant, et Arianorum effugia solerter praestruunt. Obiit sub finem saeculi IV.[1] S. Phoebadius.

Marius *Victorinus* in Africa natus, hinc et *Afer* cognominatus, vir omnium liberalium doctrinarum peritissimus, postquam Romae multos annos Rhetoricam docuisset, tantamque doctrinae suae famam sibi comparasset, ut ipsi etiam statua in foro Romano erecta sit, aetate jam provectus se tradidit fidei ante a. 361.[2] Quum adhuc gentilis esset, jam plura scripta profana Victorinus ediderat, videlicet varia de Grammatica, Commentarios in Ciceronis Oratorem et Dialogos; verterat etiam in latinam linguam quaedam Platonis opera et Porphyrii introductionem. Ad Christianismum vero conversus pro fervore suo plura scripta ad fidei orthodoxae defensionem composuit. Exstant videlicet: Victorinus Afer.

1° Varia opera *contra Arianos*, scilicet a) *Libri quatuor adversus Arium;* b) opusculum *de generatione divini Verbi;* c) opusculum *de ὁμοουσίῳ recipiendo.*

---

[1]) De hoc Phoebadio vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 108. Sulpicii Severi Hist. sacra lib. 2. n. 44. et 45. Formula Sirmiensis ab eo impugnata exstat in libro s. Hilarii de Synodis n. 10—14. Tria haec Phoebadii Opuscula, quorum tamen duo posteriora alium fortassis auctorem habere possent, optime edita sunt in Galland. Biblioth. T. V. Migne P. L. T. XX. Cf. de Phoebadio ejusque scriptis Galland. T. V. Prolegom. c. 15. Clemencet in Opp. s. Gregorii Nazianz. T. 1. Append. Monit. in Tractatum I. et II. de Fide orthodoxa contra Arianos (p. 892—93. et p. 905.) item in Opp. s. Leonis M. ed. Ballerin. T. III. Quesnelli Dissert. XIV. n. 7. (col. 919—925.) et in Ballerin. Observat. in hanc Dissert. § I. (col. 945—50.) Pagi Crit. ad a. 388. n. 13—14.

[2]) Historiam conversionis Victorini Afri, quam inter pulcherrimas christianae antiquitatis citra dubium referre oportet, narrat s. Augustinus Confession. lib. 8. n. 3—5 Tempus autem conversionis ejus indicatur ibid. n. 10.

Victorinus Afer.

Difficiles sane sunt disquisitiones Victorini de ss. Trinitate, uti jam s. Hieronymus illis verbis advertit: „Scripsit adversus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur.“ (De viris illustr. c. 101.) Sed habet Victorinus hoc meritum, quod primus dogma revelatum supponens et orthodoxo plane sensu exponens, subtilius in ss. Trinitatis mysterium inquirere studuerit, ut Arianorum erroneas doctrinas quum multum notionibus philosophicis insisterent, etiam hac ratione refelleret. Difficile est statuere, utrum quandoque Victorinus in subtiliori illa disquisitione aberret; alii ita existimant, aliorum sententia ei favet. Ut quid certi statueretur accuratum requireretur examen philosophiae auctoris. Eadem notionesque ejus et terminologia apte colliguntur ex minore opusculo de generatione Verbi. — Specimen disceptationis Victorini et terminorum quibus utitur hisce habes: „Volo autem audire, o mi dulcissime Candide, quid esse aestimas, quod non est. Si enim Deus omnium causa est, et ejus cui est esse, et ejus cujus non est esse, causa est Deus. Sed si causa, non est id quod non est. Causa enim ut ὄν est: quippe unde et a qua sit id. non futurum est ὄν. Et hoc ipso, causa vere super ὄν. Quod igitur nondum ὄν, id est, quod non est, ad hoc, ὄν causa est. Ideo πρόον dicitur; et juxta istam rationem causa est Deus, et eorum quae sunt, et eorum quae non sunt. — Definiendum est ergo id quod non est: quod quidem intelligitur et vocatur quatuor modis: juxta negationem omnino omnimodis, ut privatio sit existentis: juxta alterius naturam ad alterius naturam, ut hoc non est illud: juxta nondum esse, quod futurum est et potest esse: juxta id quod super omnia quae sunt, habet est, ut quia non est aliquid istorum, nec convenit cum aliquo eorum. Quid igitur dicimus Deum? Τὸ ὄν, ἢ τὸ μὴ ὄν? Sed utique ipsum appellamus ὄν, quoniam eorum quae sunt, pater est. Sed pater eorum quae sunt, non est τὸ ὄν, si nondum sunt ea quorum pater est. Hoc non licet dicere hoc nefas est intelligere, eorum quae sunt, μὴ ὸν causam appellare. Causa enim prior est ab iis quorum causa est. Supremum ὄν igitur Deus est; et juxta quod supremum est, μὴ ὄν Deus dicitur: non per privationem universi ejus quod sit, sed ut aliud ὄν ipsum, quod est μὴ ὄν: juxta ea quae futura sunt τὸ μὴ ὄν: juxta quod causa est ad generationem eorum quae sunt, τὸ ὄν.“[1]) Subtilia sane haec sunt, sed nullus in eis error.

---

[1]) De Verbi generat. n. 3. et 4. — Primum hoc opusculum scriptum esse, asserit D. Ceillier T. V. Ch. IV. n. IV. Videntur tamen a Victorino indicari jam alia ejus scripta contra Arianos, dum versus finem (n. 31) ait: „Dictum est a nobis sufficienter, ut credo in aliis libris, a quo sit progressio et descensio, regressioque Spiritus sancti

Exstant porro 2° Victorini *Hymni tres de Trinitate,* qui tamen metro non ligantur, sed potius rhytmo quodam. Valde pulchri et subtiles sunt illi hymni, quibus praesertim appropriatione tribus personis auctor varia tribuit. In quibusdam benignum interpretem exigunt; videntur tamen omnia orthodoxo sensu accipi posse. Victorinus Afer.

In compositione Officii ss. Trinitatis usui fuit, quantum apparet, hymnus tertius. Hic enim habetur illud: *Caritas Deus est, gratia Christus, communicatio sanctus Spiritus: o beata Trinitas.* (Antiph. 1 ad Noct. III: Caritas Pater est. gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus; o beata Trinitas.) Et ultimo versu: *Libera nos, et salva nos, justifica nos: o beata Trinitas.* (Ant. 3. ad Noct. II: Libera nos, salva nos, vivifica nos, o beata Trinitas.)

Scripsit 3° Victorinus *libellos duos contra Manichaeos* seu ad Justinum Manichaeum. Alter inscribitur *contra duo principia Manichaeorum et de vera carne Christi,* alter vero agit *de verbis Scripturae: Factum est vespere et mane dies unus,* ubi expendit, coeperitne a vespera dies primus an a matutino, atque posteriori opinioni calculum suum adjicit. Haec opuscula stylo planiori confecta sunt.

Reliquit 4° Victorinus *Commentarios in Apostolum* seu in epistolas s. Pauli ad Galatas, ad Philippenses et ad Ephesios. S. Hieronymus quidem in praefatione Commentarii sui in epistolam ad Galatas minus honorifice loquitur de Commentariis Victorini, utpote qui in s. Scriptura explicanda versatus non fuerit; est tamen hujus expositio simplex, clara et contextui inhaerens. Sed quaedam occurrunt opiniones singulares.

Exstat demum 5° sub nomine Victorini opusculum *adversus physicos, sive de physicis,* viginti septem capita continens, in quo plura capita dogmatis Christiani, uti doctrinam de creatione, de lapsu protoparentum, de Christi nativitate ex virgine et alia contra objectiones vindicat.

---

declarata est; et de triplici unitate et unali trinitate.“ Fortasse tamen haec adjecit Victorinus posteriori tempore, quum et alterum majus opus absolutum esset.

Favent opusculi genuinitati stylus et codices; dubium tamen a variis habetur[1]).

Quod ad Ecclesiam orientalem attinet, commemorandi veniunt:

S. Antonius Magnus.

S. Antonius Magnus, monachorum pater et conditor, qui natus a. 251 in Aegypto superiori, quum viginti annos haberet in eremum secessit, ibique vixit usque ad a. 356. De ipso s. Hieronymus: *Antonius monachus, cujus vitam Athanasius Alexandrinae urbis Episcopus insigni volumine prosecutus est, misit aegyptiace ad diversa monasteria apostolici sensus sermonisque epistolas septem quae in graecam linguam translatae sunt, quarum praecipua est ad Arsenoitas. Floruit sub Constantino et filiis ejus regnantibus. Vixit annos centum quinque*[2]). Praeter has *septem epistolas* exstant: 2° *Tredecim aliae epistolae,* quibus uti in prioribus de virtutibus ac de perfectione tractatur; 3° *Sermones viginti duo* quos ad monachos s. Antonius habuit; 4° *Regulae* quaedam et admonitiones ad monachos.[3]) De *Vita* ejus quam scripsit s. Athanasius superius jam egimus (p. 418.)

---

[1]) De hoc Victorino cf. s. Hieronym. de Scriptor, eccles. c. 101. Chronicon ad a. Chr. 358. Praefat. Commentar. in epist. ad Galatas. S. August. l. c.; de doctrina christ. lib. 2. n. 61. P. Orosii Commonitor. ad Augustin. n. 3. (Galland. T. IX. p. 175.) Cf. Galland. T. VIII. Prolegom. c. 4. A. Maji Collect. Nova Vet. Script. T. III. Praefat. n. 3—10. et ibid. P. II. 147. Ceillier T. VI. (ed. 2. T. IV.) Tillemont. T. X. Baehr Gesch. Röm. Liter. T. IV. Nirschl Patrol. II. § 117. — Editio optima in Galland. Biblioth. T. VIII. p. 131. 202. ubi in Prolegom. c. 4. singulorum quoque opusculorum editiones recensentur. Commentarios in s. Pauli epistolas, in Biblioth. Vaticana repertos, cum Opusculo de Physicis, quod cl. Editor pro genuino habet, primus evulgavit A. Majus in Collect. Nova Vet. Script. T. III. P. II. p. 1—162. Omnia ap. Migne P. L. T. VIII. — Carmina aliquot, eidem a nonnullis tributa, saltem dubia censeri debent; sunt autem ista: *Carmen de septem fratribus Maccabaeis*, quod alii s. Hilario sive Pictaviensi, sive Arelatensi adscribunt; *Hymnus de Pascha Domini* seu de *ligno vitae,* i. e. de Cruce; *De Jesu Christo Deo et Domino.* Horum primum recentiori aetate emendatius, quam antea, excusum est cum Monito praevio in Dissert. inaugurali de Orosii historici fontibus etc. ed Beck. Marburgi 1832. 8°. (p. 37—60.)

[2]) De viris illustr. c. 88.

[3]) Migne, P. G. T. XL.

S. Pachomius Tabennensis, ex milite gentili monachus probatissimus effectus, s. Antonii aequalis et forte discipulus, scripsit *Regulam monachorum.* Quam angelum ei dictasse, s. Hieronymus aliique scriptores referunt. Mortuus est s. Pachomius a. 348, relinquens in suis monasteriis ter mille monachos. Similia opuscula ascetica et sermones etiam reliquerunt *s. Isaias* abbas qui temporibus s. Athanasii in eremo Scetico floruit,[1]) et *s. Orsiesius* abbas Tabennensis, qui *doctrinam de institutione monachorum* quinquaginta sex capitibus tradidit.[2]) SS. Pachomius, Isaias et Orsiesius.

S. Serapion quoque tempore s. Athanasii floruit in Aegypto, de quo s. Hieronymus de vir. illustr. c. 99: *Serapion Tmuidis (Θμοΐεως) Aegypti urbis episcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit, charus Antonii monachi, edidit adversus Manichaeum egregium librum, et de psalmorum titulis alium, et ad diversos utiles epistolas. Et sub Constantio principe etiam in confessione inclytus fuit.* — Hodie superest 1° *Liber contra Manichaeum,* in quo Serapion unum tantum Manetis errorem, quo scilicet corpus et materia in se mala asseruntur, refellendum sibi sumpsit. — 2° *Epistola* brevis consolatoria *ad Eudoxium* Episcopum aegritudine laborantem, quam in codd. Vaticanis reperit Em. Ang. Mai Card. et uti margaritam antiquitatis pretiosam publicavit. — 3° *Epistola* prolixior scripta instar libri ad monachos Alexandrinos. Eam pariter Em. Mai reperit et edidit, qui merito eamdem dicit plenam summae pietatis, cum insigni laude ac descriptione monasticae professionis, et cum sanctorum qui circa Antonii Athanasiique tempore floruere virorum commemoratione.[3]) — Eodem fere tempore *Titus Bostrenus sub Juliano et Joviniano principibus, fortes adversum Manichaeum scripsit libros* (quatuor), *et nonnulla alia. Moritur* (a. 374) *sub Valente.*[4]) — Horum Serapion Thmuiensis et Titus Bostrenus.

[1]) V. Migne. P. G. T. 4, p. 1103 sqq.

[2]) Ibidem, p. 870 sqq.

[3]) V. Scripta Serapionis ap. Migne, P. G. T. XL. Galland. Biblioth. T. V. — Cf. Ceillier T. VI. Ch V. Tillemont. T. VIII. Chevalier s. v. Serapion.

[4]) S. Hieron. De Scriptor. eccles. c. 102.

librorum tres priores integri adhuc exstant; utitur in iis Titus frequenter argumentis philosophicis, raro autem Scriptura sacra.[1])

Macarius Magnes.

Commemoratur alius hujus aetatis auctor qui apologetica et exegetica scripta confecit sub nomine *Macarius Magnes*. Sed plurima quoad hunc scriptorem obscura sunt. Ita non liquet, utrum ipse nominetur beatus (*μακάριος*) Magnes, an vero Macarius Magnesius, quod Magnesiae natus sit vel hujus civitatis fuerit Episcopus. Porro alia est Magnesia Cariae, alia Magnesia Lydiae civitas. Quo tempore scripserit, aliquatenus inde colligitur, quod in opere suo dicit, *ter centum annos vel ultra* transiisse, ex quo Christus Dominus miracula sua fecerit, et s. Paulus epistolam primam ad Thessalonicenses scripserit (Apocritici c. 62.) Scriptorum ejus mentio facta est in secundo Concilio Nicaeno (a. 787), in quo Iconomachi falso ad ea provocabant. Exinde in oblivionem venerant, donec nostro tempore iterum detecta et publicata sunt. Videlicet a. 1867 Athenis codex manuscriptus opus Macarii Magnetis magna parte continens, inventus est. Editum fuit Parisiis a 1876 sub titulo: *Μακαρίου Μαγνήτος Ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενῆς*. Macarii Magnetis quae supersunt, ex inedito codice edidit C. Blondel. Par. 1876. 4°. pp. VII.—232.[2]) *Apocriticus* (Responsor) Magnetis continet *quinque libris* disputationem, quam auctor per dies quinque habuit cum philosopho graeco gentili, praesentibus aliis. Utrum illa disputatio reapse facta, an vero Macarius hac forma tantum in opere suo conficiendo usus sit, non liquet. Adversarius gentilis objectiones contra s. Scripturam N. T. et facta ac miracula ibi relata, sermone interdum etiam prolixiori exponit, et eadem ratione ad has *quaestiones*, auctor suas *solutiones*

---

[1]) V. Canisii Lect. antiq. (ed. Basnage) T. I. p. 59—162 cum Basnagii Animadvers. ibid. p. 56—58. Gallandii Biblioth. T. V. p. 267. cf. ibid. Prolegom. c. 16. Migne P. G. T. XVIII. — Cf. Ceillier T. VI. Ch. VI. Tillemont. T. VII. Chevalier s. v. Tite.

[2]) C. Blondel editionem praeparavit, sed eo interim defuncto eam publicavit ejus amicus P. Foucart. — Cfr. De Macario Magnete et scriptis ejus disseruit L. Duchesne Par. 1877. 4. pp. 45.

evolvit. Philosophus gentilis Christianismum acriter impugnat; apte vero solutionibus suis Macarius objectiones dissolvit. Videtur hic *Apocriticus* scriptus esse contra opus deperditum Porphyrii, tempore Juliani Apostatae, quum Imperator hic ac philosophi gentiles Porphyrii objectiones contra religionem christianam magna cum vehementia renovarent. — Apocriticus, uti nunc ex codice vulgatus est, nondum integer habetur; deest enim liber quintus, et libri primi tantum habetur caput sextum: *De Berenice seu hemorrhoissa.* Indolem quaestionum et solutionum habes in his exemplis: *De discrepantia Evangelistarum; de resurrectione; de passione Christi; de porcis et daemoniis; de Ananiae ac Saphirae morte.* — Exstant praeterea quaedam fragmenta *homiliae in Genesim,* hujus Macarii Magnetis.[1])

SECTIO II.

§. 100.

S. Basilius Magnus. Ejus Vita usque ad Episcopatum (a. 370.)

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Basilii M. Opera, praesertim vero ejus Epistolae. — S. Gregorii Nazianz. Oratio funebris in laudem Basilii M. seu Oratio 43. (ed. Maur.); item Ejusdem epist. 1. 2. 4. 5. 6. 8. 19. 40. 45—50. 58—60. et Carmen de Vita sua. — S. Gregorii Nysseni Oratio funebris in laudem fratris Basilii. — Ejusdem Vita s. Macrinae virginis, quae Basilii M. soror. fuit et Lib. I. contra Eunomium initio. — S. Ephraem Syri Encomion in Basilium M. — S. Hieronym. de Scriptor eccles. c. 116. — Rufini Hist. Eccles. lib. 11. c. 9. — Socrat. lib. 4. c. 26. — Sozom. lib. 6. c. 15. 16. 17. 21. et 22. — Theodoret. Hist. Eccles. lib. 4. c. 19. 30. — Philostorg. Hist. Eccles. lib. 8. n. 11. 12. et 13. — Phot. Cod. 137. et 138. 141. 142. 143. 144. 191.

---

[1]) Fragmenta operum Macarii Magnetis v. Migne P. G. T. X. Pitra, Spicil. Solesm. T. I. — Cf. Ceillier T. IV. (ed. 2. T. III.) Tillemont. Hist. des Emp. T. IV. Duchesne l. c Nirschl Patrol. II. § 109. Chevalier s. v. Macaire.

Subsidia: Prud. Marani Vita s. Basilii Magni, praefixa Tomo III. Opp. s. Basilii p. XXXVII—CXCII. (ed. Maur.). — G. Hermant Vie de s. Basile le Grand et celle de Grégoire de Nazianze. Paris. 1674. 2 Voll. in 4°. — Franc. Baertii Commentar. historicus de s. Basilio M. et Vita Ejusdem in Actis SS. Junii T. II. p. 807—936. cum Vita s. Basilii apocrypha, quae vulgo, ast perperam, s. Amphilochio Iconiensi tribuitur p. 936—57. — J. del Pozo Dilucidazioni critico—istoriche della vita di s. Basilio M. Roma 1746. 4°. — Feisser histor. theolog. de vita Basilii M. Groningae 1828. 8°. — Klose, Basilius der Grosse nach seinem Leben und seiner Lehre. Stralsund. 1835. — Scholl, Die Lehre des h. Basilius von der Gnade. Freiburg. 1881. — Weiss, Die drei grossen Cappadocier als Exegeten gewürdigt. Braunsberg. 1872. — Fialon, Etude historique et littéraire sur s. Basile. Paris. 1861. — Dupin. T. II. p. 265—348. — Tillemont. Mém. T. IX. s. Basile le grand p. 1—304 cum Notis p. 628—91. — Ceillier T. VI. Chap. VIII. (ed. 2. T. IV.) — Cas. Oudin T. I. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. — Cfr. Chevalier s. v. Basile.

S. Basilii Vita.

S. Basilius Magnus, Caesareae in Cappadocia natus circa a. 330, paternum genus e Ponto, maternum ex Cappadocia traxit; utrumque non solum nobilitate, divitiis et eloquentiae fama clarum, sed pietate ac religionis studio et rebus pro Christo fortiter gestis longe clarius extitit.[1]) Educatus est Basilius in quodam pago, quem parentes in Ponto possidebant. Regendae infantiae Basilii curam suscepit avia s. Macrina, quae olim tempore persecutionum pro Christi confessione pugnaverat, atque sollicite retinens s. Gregorii Neocaesariensis (Thaumaturgi) documenta, quaecunque ad ipsam memoriae serie pervenerant, tenerae Basilii menti sanae doctrinae semina mandavit, quae nulla

[1]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n. 3—10. cf. s. Gregor. Nyss. Orat. in laudem Basilii (T. III. p. 492). Socrat. lib. 4. c. 26. De anno et loco nativitatis ipsius deque ejus prosapia vid. Marani Vita s. Basilii c. 1. n. 1—4. et Baertius in Actis SS. Junii T. II. Commentar. praevius in Vitam s. Basilii § III. et § V. n. 33. (p. 810—12. et p. 814.) Illud autem silentio haud est praetermittendum, non solum Basilii nostri parentes, Basilium et Emmeliam, atque aviam Macrinam, verum etiam ejusdem Basilii Magni sororem Macrinam virginem, duosque fratres Gregorium Nyssenum Episcopum et Petrum Episcopum Sebastenum insigni sanctitatis laude floruisse, atque singulos ab universa Ecclesia catholica solemni memoria quotannis celebrari.

unquam temporum vicissitudine immutata, sed aucta semper et exculta praeclarissimos tulerunt fructus.[1]) S. Basilii Vita.

Accesserunt dein primae liberalium disciplinarum ab ipso patre, eloquentiae gloria notissimo, collatae notiones. Quo defuncto, studiis operam dedit Basilius Caesareae Cappadociae primum,[2]) ubi tunc vigebant scientiae, Constantinopoli postea, ubi magistro usus est celeberrimo rhetore Libanio, qui juniorem discipulum in publico dicentem nunquam sine admiratione auscultabatur. Profectus est denique Athenas, quo omnes doctrinae cupidi undique confluebant, atque ita, disserentibus Himerio Proaeresioque bonarum litterarum magistris, profecit, ut pietas laboris assiduitate minime laederetur. Hic praecipue crevit, incepta primum Caesareae cum Gregorio Nazianzeno familiaritas, qua copulati, innexi, et velut *conglutinati, par quoddam non obscurum et incelebre non solum apud socios, sed etiam apud universam Graeciam et erant et dicebantur.*[3])

Anno 355 (ad finem vergente) Caesaream Cappadociae reversus, Basilius ibidem magna cum gloria rhetoricam brevi tempore docuit. Sed hortante Macrina sorore mundi honoribus penitus renuntiare secum constituit, ut vitae asceticae sese committeret. Tunc baptismum (c. a. 357) a Dianio Episcopo suscepit, lectorque factus est,[4]) utque vitam monasticam melius exploraret, Syriam, Mesopotamiam et Aegyptum peragravit monachorumque colonias visitavit. Circa a. 358 in patriam reversus, consilium animo jam diu susceptum exsecutus est, et bona sua magna parte pauperibus distribuit. Secessit dein in Pontum, ut ibi vitam asceticam in solitudine duceret, haud procul a civi-

---

[1]) S. Basilii ep. 210. n. 1. ep. 204. n. 6. et ep. 223. n. 3. S. Gregor. Nyss. Vita s. Macrinae (T. II. p. 178.)

[2]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n. 13. Prud. Maranus in Vita s. Basilii c. 1. n. 6. pluribus et firmissimis argumentis probat, s. Basilium una cum s. Gregorio Nazianzeno studiorum causa primum Caesaream Cappadociae advenisse, cum alii Caesaream Palaestinae intelligi mallent.

[3]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n. 22.

[4]) S. Basil. de Spiritu S. n. 71. item ep. 223. n. 2. S. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n. 25. sqq. Cf. Marani Vita s. Basilii c. 3.

S. Basilii Vita.

tate Neocaesarea et a pago Anneros, ubi Basilii mater Emmelia sororque Macrina pariter in monasterio degebant. Plura dein virorum ac mulierum monasteria in illa regione fundavit, in quibus vitam monasticam cum coenobitica junxit, ita ut in illis regionibus auctor vitae religiosorum fuerit s. Basilius.[1])

Interim tamen etiam Arianorum ausibus obviare studuit, et anno 359. ad finem vergente petentibus variis Episcopis Constantinopolim profectus est, ut Aelio Ariano (Anomoeo) disceptationibus suis resisteret. — Quum a 360. Caesaream Cappadociae rediisset, invenit Dianium Episcopum subscripsisse formulae Ariminensi, unde ejus communionem sibi vitandam censuit. Sed a. 362 Dianius aegrotus Basilium accersivit, quumque subscriptae formulae se poenitere ostendisset orthodoxamque fidem profiteretur, ei Basilius reconciliatus est. — Eodem fere tempore (a. 361) Basilius a monachis rogatus scripsit *Moralia;* quo in opere quaecumque sparsim in Novo Testamento interdicta aut approbata inveniebat, ea studiose in regulas quasdam compendiarias pro vitae normae colligit.[2]) Annis proxime sequentibus (a. 363. vel 364.) opus insigne dogmatico — polemicum, videlicet *Libros quinque contra Eunomium Arianum* confecit.

---

[1]) S. Gregor. Nyssen. Orat. in laudem Basilii. S. Gregor. Nazianz. Or. 43. S. Basil. ep. 8. et 207 n. 2. — Praeclarum in modum ipse s. Basilius ep. 2. Gregorio amico suam vivendi rationem describit, atque solitudinis adjumenta ad pietatem exponit; cf. s. Gregor. Nazianz. ep. 5. et 6. — Sozom. lib. 6. c. 17. eam vivendi rationem monasticam his verbis designat: *φιλοσοφεῖν ἔγνωσαν κατὰ τὸν τῆς Ἐκκλησίας νόμον*, i. e. „ex lege Ecclesiae seu modo ecclesiastico philosophari decreverunt“ (Basilius et Gregorius Naz.). Inde a saeculo quarto enim *philosophiae christianae* nomine aut simpliciter *philosophiae* vocabulo apud ss. Patres et Scriptores christianos studium perfectionis christianae, quod maxime in solitudine aut in monasteriis tunc viguit, plerumque intelligendum venit. Vid. ibid. c. 27. 28. 29. 32. 34. et saepe alibi tum apud hunc, tum apud alios. — Cf. J. v. Voorst, Selecta J. Chrysostomi Vol. II. p. 170—177, qui fuse et erudite disputat de hac vocis *philosophia* apud Graecos ad Latinos Patres usu ac multa profert exempla.

[2]) Cf. Marani Vita s. Basilii c. 7. n. 3.

Ab Eusebio Caesariensi Episcopo Dianii successore a. 364. Basilius presbyter ordinatus est.[1]) Atque tum non in solo verbi ministerio Episcopum suum juvit Basilius, sed plures ecclesiae administrandae partes ei concreditae fuisse videntur. At brevi post Basilio difficultates exortae sunt ab ipso Eusebio Episcopo. Qua de re s. Gregorius Nazianzenus: *Cum Basilio simultatem quamdam is, qui ante ipsum ecclesiae praefuit exercebat; (quibus autem de causis, aut quomodo, silentio dissimulare satius est, caeterum exercebat), vir caetera quidem fortis, ac mirabili pietate praeditus, ut illius temporis et acris adversus eum suscepta contentio perspicue declaravit, sed tamen in Basilio humani quid passus. Neque enim vulgares tantum homines, sed etiam praestantissimos quosque viros Momus attingit, ut solius Dei sit omni peccato vacare atque ab animi perturbatione immunem esse.*[2]) Supponunt plerique, ob Basilii famam zelotypia commotum fuisse Eusebium, indeque difficultates provenisse. Quum vero in ecclesia scissio quaedam immineret, Basilius satius duxit Caesarea discedere. *Simul etiam,* ait Nazianzenus, *nobis hac in re consultoribus ac sinceris monitoribus usus, nobiscum hinc in Pontum profugit, ac pietatis gymnasia quae illic erant moderatur.*[3]) S. Basilii Vita.

Sed quum paulo post sub Valente Imperatore Ariani eo tenderent, ut etiam ecclesia Caesariensi potirentur, indeque permagna pericula huic ecclesiae imminerent, Basilius opera Gregorii Nazianzeni in gratiam rediit cum Eusebio Episcopo. Caesaream reversus strenue gregem contra Arianos defendit, et exinde Eusebio intime junctus, in ecclesia regenda ei magna cum solertia adfuit.[4]) Quum

---

[1]) S. Gregor Naz. Orat. 43. n. 25. et 27. item ep. 8. cf. s. Basil. ep. 210. n. 1. Quod autem hoc demum anno presbyter ordinatus sit Basilius, solidis argumentis probat Maranus in Vita s. Basil. c. 9. n. 1—2. Alii, ut Baronius et Tillemontius, eum presbyterum ordinatum fuisse contendunt jam a. 362.

[2]) Orat. 43. n. 28.

[3]) L. c.

[4]) Cf. s. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 25. et 27. item ep. 16. 17. 18. et 19. Quantum post reditum ecclesiae rebus gerendis curam impenderit s. Basilius, patet ex ipsius epistola 28. n. 3. ep. 29. 30. et 34. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 9. n. 4—6 et c. 10.

vero a. 368. dirissima fame Caesareae incolae affligerentur, Basilius tum propriis opibus, tum influxu suo apud divites calamitatem quantum potuit lenivit.[1])

§. 101.

S. Basilii Episcopatus.

S. Basilii Episcopatus.

Mortuo Eusebio a. 370. Basilius in sedem Caesareae evectus est, cui tamen electioni nonnulli etiam Episcopi, ambitione propria forte moti, intercesserunt.[2]) Exinde res ecclesiasticas illius civitatis et Cappadociae, cujus primatialem sedem tenebat, summa virtute administravit, simulque scriptis et gestis suis de universa Ecclesia egregie meritus est. Ascetas sibi contubernales adscivit, summaeque pietatis et abstinentiae omnibus dedit exempla. Quamvis non modici essent ecclesiae Caesariensis reditus, paupertati adeo studuit, ut omnia sua pauperum duceret; ac pauperrimus ipse admodum liberalis fuit in omnes egenos. Quem in finem in suburbio Caesareae Phtochotrophium exstruxit destinatum hospitibus et peregrinis excipiendis atque leprosis curandis, quod tantae erat amplitudinis ut Nova Civitas dici meruerit; postea etiam Basilias istud appellari consuevit.[3]) Neque in sola civitate caritatem

---

[1]) Cf. S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 34 – 36. S. Gregor. Nyssen. Orat. in laudem Basilii, Lib. I. c. Eunom. et Vita s. Macrinae. Rufini Hist. eccl. lib. 11. c. 9. Eodem pariter tempore habita est a s. Basilio *Homilia VIII de fame et siccitate.* Cf. Marani Vita s. Basilii c. 11. et c. 12. n. 4.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 37. Orat. 18. n. 35—36. item ep. 40. 41. 42. 43. 44. S. Gregor. Nyssen. Vita s. Macrinae. S. Basil. ep. 48. Quo Basilius anno ordinatus fuerit, non una est Criticorum sententia. Prud. Maranus in Vita s. Basilii c. 13. n. 4. cum Petavio et Tillemontio statuit ac satis solide probat, ordinationem istam a. 370. contigisse; C. Baronius vero et Bolland. eum a. 369. ordinatum fuisse contendunt; Pagi denique (Crit. ad a. 370. n. 23.) ordinationem illam differt usque ad a. 371.

[3]) S. Basil. ep. 94. ep. 150. n. 3. ep. 176. S. Gregor. Naz. Or. 43. n. 63. S. Gregor. Nyss. Orat. in laud. Basil. Sozom. lib. 6. c. 34.

S. Basilii M. Episcopatus.

suam nobilitavit Basilius, sed etiam rure et in agris humanitatem ac munificentiam in pauperes iis omnibus qui populo praeerant, tanquam commune certamen proposuit. Eadem summa caritas, quae Basilium pauperibus totum addicebat, aditum omnibus afflictis ad illius patrocinium et commendationem dedit. — Insignis porro fuit s. Basilii sollicitudo, ut secundum sacros canones non nisi probatissimi quique ut Episcopi praeficerentur. Disciplinae ecclesiasticae studiosissimus fuit, unde tam propria sponte, quam ab aliis consultus multas easque saluberrimas leges condidit, antiquorum canonum statuta instauravit, ac sedulam curam gessit, ne ulla in parte disciplina ecclesiastica laederetur aut enervaretur.[1])

Valde molestum fuit s. Basilio initio Episcopatus dissidium plurium Cappadociae Episcoporum, qui aegre tulerant ejus electionem, nec cum ipso communicare volebant. Inter hos etiam Gregorius erat ipsius Basilii patruus. Prudentia tamen ac lenitate et interventione amicorum. Episcopi illi s. Basilio reconciliati sunt, ita ut ante medium annum 371. tristissimum illud dissidium finem nactum sit.[2]) — Eodem anno, cum peregre esset Basilius, gravissima calamitas Caesaream afflixit, divisio quippe civilis Cappadociae, ex qua duas provincias effecit Valens, jussitque, ut maxima pars curiae in oppidum quoddam exiguum transferretur. Qua de re a civibus suis certior factus Basilius, amore patriae ductus illico rediit, datisque litteris ad tres potentes amicos, quibus eos obtestabatur, ut communi patriae, tristissimo exitio collapsae, opem ferrent, aliquam saltem mali levationem consecutus est; hinc altera Cappadociae metropolis Tyanis constituta fuit.[3])

Theodoret. Histor. eccles. lib. 4. c. 19. Quid sit ptochotrophium, data opera explicat s. Epiphan. haer. 75. n. 1.

[1]) Huc praecipue pertinent *tres Epistolae canonicae* seu ep. 188. 199. et 217. cf. ep. 270. op. 160. n. 1. item ep. 55. (de lege coelibatus) ep. 169. 170. et 171. ep. 265. et ep. 266. n. 1. ep. 120. 121. 122. et 127.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 40. Orat. 18. n. 36. S. Basil. ep. 48. 57. 58—60.

[3]) Ad hanc causam spectant s. Basil. ep. 74. 75. 76. 77. et 78. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 19. n. 3—6.

S. Basilii M. Episcopatus.

Haec divisio Cappadociae civilis anno insequenti ad ipsius etiam rei ecclesiasticae perturbationem redundavit. Anthimus enim, Tyanensis Episcopus, contendit, hanc civitatem, quae secundae Cappadociae metropolis facta fuerat, eodem jure in rebus ecclesiasticis potiri debere. Contra Basilius veteri consuetudini ac divisioni a Patribus factae inhaerendum esse statuit; quod et principiis Ecclesiae administrandae magis congruum erat.[1]) Hanc rejiciendi Basilii occasionem nonnulli Cappadociae Episcopi lubenter amplexi sunt. Nam nec in fide omnes cum eo consentiebant, nisi quantum id ipsis, cogente multitudine, faciendum erat; nec conceptum dolorem ex illius ordinatione penitus deposuerant; et gloria tam longe ab eo superari molestissimum paucis quibusdam erat. Anthimus vero, hoc praesidio munitus, coepit conventus a Basilio avertere, reditus ecclesiae Caesariensis diripere, et ecclesiarum presbyteros partim sermonum blanditiis allicere, partim violenter expellere et alios substituere. Huic malo ut occurreret Basilius, pluribus in locis novos Episcopatus erexit, eisque dignissimos viros praefecit Episcopos, ut Sasimis Gregorium Nazianzenum, Doarae Eulalium etc. Tandem interveniente opera Gregorii Nazianzeni communis de restituenda pace inita est deliberatio inter Basilium et Anthimum caeterosque secundae Cappadociae Episcopos; qua in Synodo pax, dudum a Basilio ardenti studio expetita, inter ipsum et Anthimum ea conditione sancita est, ut Episcopatus multiplicarentur; unde animarum cura haud parum emolumenti sortita est.[2]) Quapropter etiam aliis eodem consilio suasit Basilius, ut salutis animarum promovendae gratia Episcopatus, quantum fieri posset, multiplicarent.[3])

---

[1]) Cf. S. Innocentii I. epist. ad Alexandrum Antioch. (Epp. Roman. Pontiff. ed. Coustant. S. Innocentii ep. 24. n. 2. ed. Schoenemann T. I. p. 603—4).

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 58—59. S. Basil. ep. 97. ep. 98. n. 2. Huc etiam pertinent s. Gregor. Naz. ep. 47. 48. 49. et 50. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 23. et c 24. n. 2—3. et n. 5—6.

[3]) Vid. S. Basil. ep. 190. n. 1.

Maxime vero inter tot Basilii virtutes eminuit ardens atque sincerum studium defendendi veram fidem, nec non turbatam Ecclesiae pacem scissamque unitatem restituendi. Postquam enim Cappadociam pacificavit, praeclarum quoque totius Ecclesiae pacificandae consilium, quod jam diu meditatus fuerat, exequi studuit. — Tristissimus autem illa aetate erat Ecclesiae Orientalis status. Valente enim Imperatore (364 — 378) Arianis addicto, variae factiones Arianorum in Oriente invalebant, Macedoniani divinitatem Spiritus sancti inficiabantur, Apollinaristae suos errores spargebant, Semiariani inter Catholicos et Arianos, utrisque invisi, haerebant. Plures Episcopi catholici e sedibus suis ejecti in exilium missi erant, alii fluctuabant in fide, ac temporibus inservientes Arianis connivebant, alii desidia ignava torpentes doctrinam orthodoxam non satis defendebant. Accedebat his malis infausta scissio inter Catholicos Antiochiae, quorum altera pars Meletio ut Episcopo legitimo adhaerebat, altera pars quum Meletium suspectum (immerito) haberet, Paulino quem Lucifer Calaritanus ordinaverat addicta erat. Paulinum Occidentales cum Romano Pontifice, Athanasius quoque ejusque successor Petrus Episcopi Alexandrini recipiebant; plerique tamen Episcopi Orientis, inter quos etiam s. Basilius, Meletium, pluries pro fide exulem, ut legitimum agnoscebant Episcopum. Etsi vero scissio illa in schisma completum non degeneravit, vehementer tamen eadem res Orientis turbavit. Episcopis demum catholicis ne synodos celebrarent, interdictum erat ab Imperatore; unde solum conventus minores agere ipsis licuit, qui Arianorum insidias facilius fugere poterant.[1]) S. Basilii M. Episcopatus.

His in rerum angustiis Cappadociae Episcopi erant veluti scopuli quidam in turbido mari prominentes ac furorem haereticorum fluctuum excipientes.[2]) Quum vero

[1]) De hoc Orientis statu vid. s. Basil. ep. 66. n. 2. ep. 90. 91. 92. 156. 164. 191. 195. 212. 231. 237. ep. 239. n. 1. ep. 242. 243. 248. Cf. S. Gregor. Naz. Or. 43. n. 41—42. Sozom. lib. 6. c. 12.

[2]) S. Basil. ep. 203. n. 1.

S. Basilii M. Episcopatus.

Caesariensis ecclesia non solum in Cappadocia principatum haberet, sed jure gauderet exarchico in Pontum, Armeniam et Galatiam,[1]) sollicitudinem suam etiam illis regionibus, quantum potuit, s. Basilius devovit. Praecipuum studium autem in eo posuit, ut Catholicos omnes inter se conjungeret et ab Arianis omnino disjungeret.[2]) Cumque invictam animi fortitudinem summa lenitas in Basilio temperaret, in utroque mirabilis erat, et in adeundo pro veritate gravissimis periculis et in tentandis omnibus pacis conciliandi modis. In his vero negotiis ecclesiasticis promovendis frequens habuit litterarum commercium non solum cum s. Athanasio, cujus amicitia fruebatur, ejusque successore Petro Alexandrino, sed cum plerisque illustribus hujus temporis praesulibus, uti cum s. Meletio Antiocheno, s. Eusebio Samosatensi, s. Amphilochio Iconiensi, s. Ambrosio Mediolanensi, s. Ascholio Thessalonicensi, s. Valeriano Aquilejensi, s. Epiphanio, ac s. Damaso R. Pontifice. Epistolae plurimae quae exstant s. Basilii, indefessae hujus sollicitudinis sunt documentum egregium.[3])

Proficui sane fuerunt illi s. Basilii conatus, ut Arianorum audacia retunderetur, sana doctrina in Ecclesia defenderetur et caritas ac pax inter Episcopos catholicos firmaretur. Quominus tamen brevi Episcopatus sui spatio finem suum ex integro obtineret, plurima fuerunt s. Basilio obstacula, non solum ex variorum Episcoporum desidia ac dubia fide, sed etiam ex difficillimis temporum adjunctis. Sic eo non pervenit, ut scissio Antiochena resarciretur, quum varii Praesules, etsi s. Basilio addicti, ac praecipue Occidentales Paulini potius quam Meletii communionem tenendam esse censerent. Quumque non solum per litteras sed etiam per nuntios, instantius efflagitaret, ut s. Damasus et Episcopi occidentales subvenirent Orientis rebus adeo ob Valentis persecutionem et Arianorum

---

[1]) Cf. Prud. Marani Vita s. Basil. c. 14. n. 2—4.

[2]) S. Basil. ep. 69 n. 2. cf. ep. 113.

[3]) S. Basilii conatus quibus Ecclesiae malis medelam afferret, brevi conspectu exhibet s. Gregorius Naz. Orat. 43. n. 41—43.

violentiam turbatis, auxilia tamen ista tum ob temporum angustias tum ob diffidentiam quamdam Occidentalium retardata sunt, ac nonnisi s. Basilio jam defuncto perturbato Ecclesiae orientalis statui efficacius subveniri potuit.[1]) S. Basilii M. Episcopatus.

Magnas ipsi s. Basilio molestias in provinciis ejus curae submissis creaverunt *Eustathius* Sebastae in Armenia et *Atarbius* Neocaesareae in Ponto Episcopi. Ille quidem s. Basilium quondam pietatis et austeritatis monasticae specie circumvenerat, ut etiam amicitia ei jungeretur: postea vero homo versipellis et dubiae fidei in Arianos sese ostendit propensum. Eo quidem pervenit s. Basilius, ut a. 373 eum adigeret fidem Nicaenam aperte profiteri, sed quum paulo post magis magisque Ariani praevalerent, demum a. 375 Eustathius aperte eorum partes amplexus est, et multos quoque in Ponto a Basilii communione abduxit. Tunc vero s. Basilius, qui eousque consiliis suis fideles Sebastenos sustinuerat, epistola ad plurimas ecclesias missa vaferrimi hominis improbitatem ac versatilem animum manifeste ostendit, communionem cum ipso abrupit fidelesque ut a fraudibus ejus caverent monuit.[2]) — Atarbius Basilii consanguinens et Neocaesareae in Ponto Episcopus qui alienum semper a Basilio animum gesserat, doctrinas tradebat Sabellii erroribus affines. Partim porro invidia tactus, partim veritus, ne a Basilio Sabelliani erroris argueretur, leves quasdam causas, praesertim nova aliqua ecclesiae Caesariensis instituta, uti psallendi morem ac monasterii condita, et Basilii cum Eustathio communionem praetendens, gravissimis eum calumniis proscidit,

[1]) Cf. s. Basil. ep. 66—70 89. 90. 91. 92. ep. 138. n. 2. ep. 156. 214. 215. 216. 239. 242. 243. 253. 254. 255. 263.

[2]) Cf. s. Basilii ep. 98. 99. 125. 129. 130. 131. 23. 224. 244. 245. 250. 251. Eustathius eousque improbitatis processit, ut epistolam haeretico sensu infectam Basilii nomine ad Apollinarium confictam, spargeret in vulgus, qua de re Basilius in suis epistolis non semel conqueritur. Eam primus gr. et lat. edidit Leop. Sebastiani totam simul hujus inter Basilium et Eustathium controversiae historiam dilucidans libello, quem inscripsit: Epistola ad Apollinarium Laodic. celeberrima de divina essentia, divi Basilii nomine ab Eustathio Sebast. toto fere Oriente per summum scelus olim vulgata. Romae 1796 in 8°.

S. Basilii M. Episcopatus.

et etiam Neocaesariensium animos in ipsum concitavit. Studuit Basilius variis litteris pacem conciliare et Atarbium a doctrinis illis suspectis avocare. In Pontum quoque profectus est, ac reliquos quidem Ponti Episcopos concordes sibi reddidit, non eo tamen pervenit, ut Atarbium ac Neocaesariensium animos, quod valde exoptabat, sibi reconciliaret.[1])

Sollicite porro s. Basilius Nicaenam fidem tum quoad Filium Dei, tum quoad Spiritum sanctum tuitus est, omnibusque servandam inculcavit.[2]) Quoniam vero nova Pneumatomachorum haeresis non multo ante Episcopatum s. Basilii emerserat, atque Ariani ad oppugnandam Spiritus sancti divinitatem omnes vires suas tunc converterant, palam et aperte Basilius hoc dogma defendit, et s. Scripturae testimoniis ac necessariis rationibus adversarios ita constrinxit, ut prorsus effugere non possent. Sed cum minime ipsum lateret, Arianis statutum esse eum expellere ac Caesariensem ecclesiam occupare, si Spiritum sanctum verbo Deum appellaret: prudenti oeconomia usus abstinuit ea voce ad tempus, necesse non putans, eam semper in ore habere, modo in tuto esset sententia voci subjecta, quandoquidem ipsa Nicaena Synodus vocem istam nec praescripsisset, nec adhibuisset. Oeconomiam hanc practicam impugnaverunt quidem ferventiores aliqui Catholici, attamen in hac causa s. Basilius defensorem et adstipulatorem nactus est s. Athanasium; Gregorius quoque Nazianz. s. Basilii amicus, licet subdubitans, agendi rationem quam tenuerat Basilius, coram monachis defendit.[3]) Caeterum s. Basilius, quo doctrinam orthodoxam tueretur ab omnibus postulavit, ut non solum fidem Nicaenam reciperent, sed

---

[1]) Cf. s. Basil ep. 65. 26. 294. 207. 210. Marani Vita s. Basilii c. 16. n. 5. c. 26. n. 5. 6. c. 33. n. 1—5.

[2]) V. S. Basil. ep. 52. 114. 125. 140. 159.

[3]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 68. 69 Ad hanc causam spectant s. Athanasii Epistola ad Joannem et Antiochum et altera ad Palladium, item s. Gregorii Naz. ep. 58. et 59. ac s. Basilii ep. 71. Cf. Marani Praefat. Opp. s. Basilii T. III. § III. et Clémencet Vita s. Gregorii Naz. n. 109—117.

etiam faterentur, Spiritum sanctum non esse creaturam; ac praeterea cum iis qui Spiritum sanctum creaturam dicerent non esse communicandum statuit.[1]) Ecclesiae porro doctrinam in usum quoque publicarum plebis suae precum inducere decrevit. Igitur in celeberrimo s. Eupsychii festo (a. 374.) Basilius communes cum populo preces Deo ac Patri fundens solitam glorificationem utroque modo absolvit, interdum *„per Filium in sancto Spiritu“*, quae formula plerisque Orientis ecclesiis solemnis erat, interdum *„cum Filio una cum sancto Spiritu“*, quae formula doctrinam orthodoxam contra Arianos clarius exprimebat. Hinc nonnulli ex iis qui aderant, crimen ipsi intenderunt, dicentes, eum non modo peregrinis ac novis uti vocibus, verum etiam inter se pugnantibus. Tum Amphilochius, Iconii Episcopus et Basilii amicus illorum utilitati consulens, vel saltem eorum qui in ejusmodi homines inciderent securitati, postulavit a s. Basilio dilucidam de vi harum syllabarum *(per-in-cum)* pertractationem;[2]) unde Basilio nata est occasio *librum de Spiritu sancto* conscribendi.

Sagaci etiam sollicitudine s. Basilius una cum amico Gregorio Naz. intervenit in celebri illa quaestione de modo loquendi quoad mysterium SS. Trinitatis. Haud levis quippe animorum contentio jam a pluribus annis, praesertim Antiochiae, exarserat, utrum ad mysterium SS. Trinitatis recte exprimendum unam in tribus personis hypostasin dicere oporteret, an in una essentia tres hypostases confitendae essent. Illud s. Paulinus Antiochenus ejusque amici, hoc s. Meletius ejusque communicatores asserebant. Haec autem de hypostasibus controversia haud levis erat momenti. *Tres* enim *hypostases* suspicione quadam laborabant, eo quod Arius olim in sua fidei professione *tres hypostases*, natura inter se distinctas, asseruerat, hypostasi designans substan-

---

[1]) S. Basil. ep. 125. n. 3. ep. 113. et 114. ep. 140. n. 2. ep. 159. n. 2. ep. 258. n. 2.

[2]) Vid. s. Basil. lib. de Spir. S. n. 3. Cf. Marani Vita s. Basilii c. 30. n. 6. c. 35. n. 1.

S. Basilii M. Episcopatus.

tiam seu essentiam. Hinc qui tres hypostases defendebant, juxta sensum Arii tres deos admittere videbantur.[1]) *Unius* autem *hypostasis* professioni suspicio Sabellianismi inhaerebat. Sabellius enim unum prorsus hypostasi Deum esse contenderat, quamvis tres personas (*πρόσωπα*) admiserit, non tamen per se subsistentes. Unde eo tandem res adducta est, ut objiceretur Arianismus ob tres hypostases, Sabellianismus ob tres personas unamque hypostasin.[2]) Has difficultates Basilius cum Gregorio amico ita declinare studuit, ut *unam substantiam in tribus hypostasibus* firmissime teneret. Quapropter et fidem Nicaenam vocemque *ὁμοούσιος* constantissime docuit, ut Arianismum excluderet; et *tres in Deo hypostases* eo consilio defendit, ut Filium et Spiritum S. non efficientias quasdam ac nomine tenus personas esse, sed Filium vere ut Filium, Spiritum S. vere ut Spiritum subsistere contra Sabellium probaret. Cum enim Catholicis Sabellianismum affingere non desinerent Ariani, latissimum illis ad calumnias campum aperuisset unius hypostasis ad exemplum Sabellii confessio; idcirco necessarium judicavit Basilius tres hypostases confiteri, ut locus omnis Arianorum calumniis praecluderetur.[3])

Eodem fere tempore (a. 376 et 377.) cum Apollinarii errores latius in Oriente serpere coepissent, Basilius tum litteris ad Confessores Aegyptios in Palaestina exulantes datis illius facinora ad scindendas ecclesias, ejusdemque errores praesertim de Trinitate et Incarnatione perstrinxit, tum Sozopolitanis, a quibus ea de re monitus fuerat, atque monachis suis breviter quidem, sed eximiis rationibus demonstravit, quam absurdum sit coelestem Christo carnem affingere, et humanos affectus in ipsam divinitatem conferre, vel etiam Deum ipsum in carnem conversum dicere.[4])

---

[1]) S Basil. ep. 131. n. 2. ep. 189. n. 2.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 21. n. 35.

[3]) Vid. s. Basil. ep. 38 125. ep. 189. n. 3. ep. 210. et 214. ep. 236. n. 6. Cf. Marani Praefat. Opp. s. Basil. T. III. § I. et II.

[4]) Vid. s. Basil. ep. 265. n. 3. cf. ep. 266. n. 1.

Epistolis quoque et legatis Romam missis ad id contulit, ut in Synodo Romana a. 377. vel 378. Apollinarius damnaretur.[1] S. Basilii M. Episcopatus.

Multis encomiis jam antiqui celebraverunt s. Basilii fortitudinem, qua repulit conatus Valentis Imp. qui fraude ac violentia ad Arianismum illum pertrahere studebat. Quum non pauci Episcopi Imperatori jam cessissent, spem conceperat Valens, fore ut etiam Basilium hac in re obnoxium sibi haberet. Immisit igitur Imperator in eum Episcopos canitie et eruditione venerandos, imo amicitiae vinculo dudum Basilio conjunctos; immisit etiam alios sive ex judicum classe, sive ex militari ordine, sive ex gynaeceo, qui cum Basilio congrederentur; immisit denique Modestum, Praetorii Praefectum, qui ejus animum flectere conaretur. Adhibiti sunt insultus, disputationes, pollicitationes, minae; frustra tamen, invicta enim constantia Basilius restitit et adversarios omnes confudit. Demum Valens tanti viri admiratione detentus, ab eius oppugnatione paulisper destitit, et sacro die Epiphaniae (a. 372) ecclesiam in qua s. Basilius sacra celebrabat, ingressus, numerum laicorum auxit, seque hoc modo defunctorie cum Basilio conjunxit. Colloquium quoque paulo post cum Basilio habuit, ac signa quaedam pacati animi ei dedit.[2] — Mox tamen iterum ab Arianis excitatus Valens in Basilium efferbuit, et jam de ipso in exilium ejiciendo actum est. Verum majestate viri et eventu etiam prodigioso Imperator deterritus est, ne consilium illud executioni mandaret.[3] Inde aliqua saltem quies Cappadociae concessa est.

Novam vero in Catholicos a. 375 molitus est persecutionem Vicarius Ponti Demosthenes, in qua s. Grego-

---

[1]) Cf. Maranum in Vita s Basilii c. 37.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat 43. n. 44—53. S Gregor. Nyssen. L. I. c. Eunom. cf. Orat. in laudem Basilii. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 19. S. Basil. ep. 79. 80. ep. 128. n. 2. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 20. et Clémencet Vita s. Gregor. Naz. n. 94. 95. Pagi Crit. ad a. 370. n. 24—26.

[3]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 54 et 68. S. Ephraem Encom. in Basilium. Theodoret l. c. Socrat. lib. 4. c. 26. Sozom. lib 6. c. 26. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 20. n 6—9.

S. Basilii M. Episcopatus.

rius Nyssenus Episcopus, s. Basilii frater, accusatus est, quod sacras pecunias ab ejus decessore relictas dissipasset, et quod in ejus ordinatione violati essent canones. Cum is fuga militum manibus elapsus esset, atque Basilius ejus patrocinium in se suscepisset, Ariani Nyssae congregati Gregorium absentem ac tuto delitescentem, deposuerunt ejusque loco hominem indignissimum intruserunt.[1]) Alias quoque ecclesias vi et armis occuparunt, suique gregis homines eisdem praefecerunt. Hac in tempestate Basilius, quamvis eidem periculo obnoxius, afflictorum animos in vera fide et patientia confirmavit, spe illos erexit, atque ad fortitudinem et perseverantiam accendit, monens imprimis, ne rectae fidei simulatione deludi se paterentur, atque ut precibus assiduis vacarent.[2])

Vidit tandem Basilius, quod omnibus votis exquisierat, pacem ecclesiarum, ac pastores ecclesiis suis redditos. Defuncto enim Valente (9. Augusti a. 378.) Episcopi exulantes Gratiani edicto in ecclesias suas revocati sunt. Non multo post Basilius jam ex longo tempore gravissimis morbis vexatus[3]), annis octo in Episcopatu transactis, plenus meritis obiit in Domino Calendis Januarii a. 379.[4])

---

[1]) Ad hanc causam pertinet s. Basil. ep. 225. cf. ep. 237. n. 2. ep. 239. n. 1.

[2]) Vid. s. Basil. ep. 220. 221. 222. 228. 231. 232. 237. 238. 239. 240. 242. 243. 246. 247. 248. Cf. Marani Vita s. Basilii c. 34. 35. et 36

[3]) Vid. s. Basil. ep. 136. n. 1. ep. 137. ep. 138. n 1. ep. 139. n. 3. ep. 141. n. 1. ep. 193—196. ep. 203. n. 1.

[4]) Obitus atque funus s. Basilii, nec non insignis hominum de illo existimatio describitur a s. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 77—80. Tempus mortis plena certitudine eruitur ex s. Gregor. Nyss. Vita s. Macrinae; s. Gregor. Naz. Epitaph. 119. v. 45. et ex s. Hieronymo de Scriptor. eccles. c. 116. Cf. Marani Vita s. Basil. c. 13. n. 4 et c 40. n. 3. Ceillier T. VI. Ch. VIII. Art I. n. 33. Tillemont. l. c. Art. CXXXI.—II. Baertius in Actis SS. Junii T. II. Commentar. praevius in Vitam s. Basilii §. IV. (p. 812—13.) Dupin. T. II. p. 268. J. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. IX. p. 3.

§. 102.

S. Basilii Scripta. — *Opera dogmatica et exegetica.*

S. Basilii Opera dogmat.

Opera s. Basilii varia eademque praeclarissima exstant,[1]) *dogmatica, exegetica, moralia et ascetica, homiliae et epistolae.*

I. Ad *Opera dogmatica* pertinent:

1° *Libri quinque adversus Eunomium*, quorum tres priores citra dubium s. Basilium auctorem habent, posteriores duo autem inter scripta ejus dubia referuntur.[2]) — Eunomius Cappadox Aëtii Ariani fama permotus, impellente et promovente Secundo Ptolemaidis Episcopo, ipsi socium se adjunxit, et non modo discipulus, sed et amanuensis factus est. Magistro etiam subtilior et in haeresi prodenda audacior, Eudoxio qui sedem Constantinopolitanam tenebat, gratissimus fuit. Hujus igitur apud Constantium Imperatorem auctoritate Eunomius a. 360 creatus est Episcopus Cyzicenus; mox tamen pessima, quam primum

[1]) In recensendis Operibus genuinis s. Basilii sequi placuit editionem J. Garnier, editoris Maurini, qui in discernendis veris et falsis Operibus hujus s. Patris magnam adhibuit severitatem, quae tamen posteris curis Prud. Marani ad justam mensuram temperata est; caeterum ubi ab illo discedere visum fuerit, causae paucis indicantur.

[2]) Migne P. G. T. XXIX. p. 497—774. Multi antiquorum Patrum atque Scriptorum testantur, s. Basilium libros adversus Eunomium exarasse, at librorum numerum non indicant, ex. gr. ipse s. Basilius ep. 20. s. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 67. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 116. Theodoreti Dialog. II. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 97.) Photii Cod. 229. Recentiorum plerique, ut C. Bellarminus, Dupin, Tillemont, Ceillier, ultimos duos libros (IV. et V.) pro genuinis habent, auctoritati inhaerentes Justiniani Imp. in Edicto adv. tria Capitula (Mansi T. IX. col. 552—53.), Concilii Hispalensis II. habiti a. 619. c. 13. (Mansi T. X. col. 566—67.) atque Concilii Florentini Sess. 18. (Harduin T. IX. col. 200. seqq. cf. ibid. col. 623. et 627.). Verum graves quaedam rationes internae hisce duobus libris obstant, propter quas merito ab J. Garnier et Prud. Marano dubii censentur, vid. Opp. s. Basilii T. I. Praefat. n. 65—75. et Monitum in hos libros n. 3. (T. I. p. 205—6) item Prud. Marani Vita s. Basilii c. 43. n. 7. T. III. p. CLXXXVI—VII.) Pro defensione istorum librorum cf. Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. III. n. 15. (p. 120—22.) S. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 21—23.

S. Basilii Opera dogmat.

dissimulaverat doctrina sua graves in Ecclesia turbes excitavit, unde anno sequenti Imperatoris jussu depositus et in exilium missus est. Et quamvis coram judicibus qui damnationis in eum sententiam tulerant obmutuisset, postea tamen librum composuit, quem fallaci et subdolo consilio *Apologiam* inscripsit, ne scilicet haereticum suum dogma sponte edere, sed veluti coactus tueri se ac defensionem suam tradere videretur. — In eo libro Arii doctrinam, quam alii attenuaverant, rigido modo propugnavit. Docuit, Filium ante saecula *creatum,* Patre inferiorem eique dissimilem esse; Spiritum sanctum esse creaturam a Filio productam. Id vero proprium ipse ejusque sequaces habuere, ut suos errores minus ex Scripturis quam ex considerata Dei natura vindicare nisi sint. Deum videlicet indivisibilem, immutabilem, adeoque generationis incapacem asserebant, eumque non sola fide sed scientia quadam sibi propria omnino perfecte a se cognosci jactabant. Dialectica dein sophistica fidem catholicam de Filii generatione ac divinitate subruere, suamque haeresin adstruere conabantur.

S. Basilius igitur a monachis rogatus, quum Eunomii errores latius spargi videret, egregiam eorum confutationem confecit. — Libro I maxime versatur in diluendis sophismatibus quae ex *ingeniti* voce Eunomius petebat. Impugnat Eunomii assertionem, *Dei substantiam in eo sitam esse quod sit ingenitus*, de natura nominum Dei accurate disserit, atque statuit *ingeniti* voce originem seu modum quo quis subsistat, non ipsius naturam seu essentiam indicari. Dein de communicatione naturae divinae per generationem ac de aequalitate Patris et Filii egregie tractat. — Libro II praecipue *aeternam generationem* Filii contra Eunomii fallacias vindicat, eumque non facturam vel creaturam esse demonstrat. — Libro III s. Basilius breviter et accurate de sancto Spiritu agit, Eunomiique blasphemiam, eum tertium natura, adeoque creaturam esse refellit. — In Libro IV argumenta contra divinitatem Filii ex Scriptura desumpta refutantur. — Libro V fusius agitur de divinitate Spiritus sancti ejusque cum Patre et Filio

aequalitate. Dubios esse hos libros (IV. et V.) jam advertimus; major tamen eruditorum pars eos etiam genuinos esse censet.

Scripsit s. Basilius 2° librum egregium *περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος* (*Liber de Spiritu sancto*), qui triginta capitibus constat.[1]) Occasio hujus libri ejusmodi fuit. Olim in doxologiae cantu ac prece dicebatur: „Gloria Patri *per* Filium *in* Spiritu sancto.“ Consentiebant huic doxologiae Ariani et Pneumatomachi, imo inde praesidium petebant suo errori, non aequalem gloriam *cum* Patre Filio et Spiritui sancto convenire. Ut ejusmodi praesidium fallax haereticis eriperetur, Basilius doxologiam immutavit ita ut jam Caesareae cantaretur: „Gloria Patri *cum* Filio

[1]) Migne P. G. T. XXXII. p. 67—210. — Liber iste, de quo ipse s. Basilius ep. 231. verba fecit, haud immerito inde a tempore s. Basilii summo in pretio habitus est, vid. Concilium Iconiense habitum a s. Amphilochio c. a. 377. (Mansi T. III. col. 505. cf. de hoc Concilio Marani Vita s. Basilii c. 38. n. 1.) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 67. et 58. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 116. Theodoreti Dialog. I. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 40). Cf. Tillemont l. c. Art. CXX et CXXXVIII (p. 257 et 293). — Nonnulli ex Acatholicorum coetu, ut Scultetus, Robertus Cocus, A. Rivetus et praecipue Cas. Oudin (T. I. col. 560—565.), quibus dudum facem praetulerat Erasmus Roterod., nixi tamen rationum momentis perquam infirmis, librum hunc interpolatum esse, seu quae sequuntur inde a principio capitis 15., aliena manu adjecta fuisse suspicati sunt. Hanc vero hypothesin omnis retro antiquitas falsitatis convincit; vid. ex. gr. Concil. Nicaen. II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 69.), ubi tanquam notissimo nomine citantur s. Basilii *Triginta capitula de Spiritu S. ad Amphilochium;* item s. Anastas. Sinaita (?) Quaest. 154. (ed. Gretseri p. 624—31.), s. Joannis Damasc. Orat. I. de Imaginibus n. 23. (T. I. p. 318.) et saep., P. Hadriani I. Epist. ad Carolum M. de ss. Imaginibus pro Synodo Nicaena II. (Mansi T. XIII. col. 761.) Nicephori Histor. Eccles. lib. 11. c. 20. — Rationes autem ab adversariis allatas plenissime refutat Tillemont l. c. Not. 86. (p. 684). Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. IV. n. 1. (p. 195—97). Cf. Dupin. T. II. p. 314—15. G. Cave Histor. litter. Vol. I. p. 240. J. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. IX. p. 49—51., qui ita de Opere isto judicat: „Non modo censeo falli hos, qui istum librum vel partem ejus postremam, Erasmum secuti, Basilio abjudicant aut suspectam habent, sed etiam inter pulcherrima illum esse Basilii monumentorum haud dubito.“ Vid. J. Garnier Not. ad h. lib. n. 74. et Frontonis Ducaei Nota 1. in hunc librum (Basilii Opp. ed. Maur. T. III. p. 658—59).

S. Basilii Opera dogmatica.

una cum Spiritu sancto. Immutatio haec nonnullos commovit, quorum offensionem ut tolleret, s. Basilius rogatus ab Amphilochio Iconii episcopo (a. 375) scripsit hunc librum de Spiritu sancto. Occasione libri exposita, sophisticam haereticorum ex syllabis argumentationem sugillat, et ostendit immerito ex anteriori doxologiae formula eos errorum suorum praesidia petiisse (c. 1—5). Dein aequalem gloriam Filio cum Patre convenire demonstrat, adeoque quum id disertius contra sophismata haereticorum per vocem *cum* Filio designetur, jure immutationem factam esse adstruit (c. 6—8). Simili modo dein de Spiritu sancto, ac de vocibus *una cum* Spiritu sancto disputat (c. 9—28). Demum suam glorificationis formulam ex traditione Patrnm vindicat (c. 29), et concludit depingens miserum statum Ecclesiae ab haereticis dilaceratae (c. 30).

II. Ad *Opera exegetia* s. Basilii quod attinet, secundum Cassiodorium ipse totam sacram Scripturam interpretatus est;[1]) sed modo pauca hujus generis Scripta exstant. Supersunt:

1⁰ *Homiliae novem in Hexaëmeron* (εἰς τὴν Ἑξαήμερον), quibus s. Basilius opus creationis sex diebus absolutum plebi fideli in ecclesia adhuc presbyter explanabat.[2]) Prosequitur expositionem usque ad Gen, 1, 26 ubi de forma-

[1]) Cassiodor. Institut. divin. litter. Praefat.

[2]) Migne P. G. T. XXIX. p. 3—208. — Novem has Homilias memorant easque summis laudibus extollunt s. Gregor. Nyss. in Hexaëmeron (Opp. T. I. p. 1—3.) et Ejusdem epist. ad Petrum praefixa libro de opificio hominis (l. c. p. 45.), s. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 67, s. Hieronym. de Scriptor eccles. c. 116. Cassiodor. Instit. divin. litter. c. 1. Summa vero earum laus est, quod s. Ambrosius, quamvis Basilio nulla in re cederet, ejus tamen vestigia premere indecorum sibi esse non duxit, atque ex his novem Homiliis plurima in suos libros sex in Hexaëmeron transtulit, cf. J. Garnier Praefat. in Opp. s. Basilii T. I. §. V. n. 24—29. Caeterum haec duo Opera s. Basilii et s. Ambrosii ita inter se conveniunt, ut s. Basilii Homilia I. respondeat s. Ambrosii libro I. c. 1—6., Homilia II. reliquis capp. libri I., Homilia III. libro II. integro, Homilia IV. libro III. c. 1—5., Homilia V. reliquis capp. tertii libri, Homilia VI. libro IV., Homilia VII. libro V. c. 1—11., Homilia VIII. caeteris capp. libri quinti, denique Homilia IX. libro VI.

tione hominis agitur. Verba: „Faciamus hominem ad imaginem nostram," paucis attingit, sed accuratiorem explanationem in alium differt tractatum. Is tamen ad nos non pervenit, nec eum videtur Basilius fecisse.[1]) — Sequitur s. Basilius in his homiliis sensum litteralem sacri textus, ut ipse passim declarat. Ita e. g. homil. II. n. 5 de tenebris disserens: *Omnem igitur interpretationem*, inquit, *tropis et allegoriis constantem in praesentia praetermittentes, tenebrarum notionem simpliciter et citra curiositatem, sensum Scripturae secutae accipiamus. — Dicimus igitur hasce tenebras non secundum substantiam substitisse, sed fuisse in aëre affectionem, ex luminis privatione provenientem.*[2]) Sapienter, pie, et admodum eloquenter istae homiliae confectae sunt; quaedam explicationes physicae profecto juxta placita scientiae illius aetatis dijudicandae sunt.[3])

Exstant 2° *Homiliae in Psalmos* nonnullos, quae numero tredecim genuinae ab omnibus habentur, quinque aliae sunt dubiae. Illos Psalmos (1. 7. 14. 28. 29. 32. 33. 44. 45. 48. 49. 61. 114.), interpretatione litterali et

---

[1]) Itaque *Homiliae duae de hominis structura* et *tertia de paradiso*, quae olim Basilii nomine circumferebantur, istisque novem Homiliis haud raro adjunctae inveniuntur, eidem hodie recte ab eruditis Criticis uno ore abjudicantur, ut a Tillemont (l. c. Art. CXXXVI. cum Nota 83. p. 390 et 681—82), J. Garnier (Basilii Opp. T. I. Praefat. §. I. n. 13—20.), Prud. Marano (Basilii Opp. T. III. in Vita s. Basilii c. 41. n. 3.), et R. Ceillier (T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. I. n. 9. (p. 99—100).

[2]) Cf. etiam Hom. III. n. 9. et IX. n. 1.

[3]) Generatim de his Homiliis videri etiam possunt J. Garnier in Monito eisdem praefixo (item cf. Basilii Opp. T. I. Praefat. §. II—V). Prud. Maranus in Vita s. Basilii c. 41. n. 2. Tricalet. Biblioth. SS. Patrum T. II. Cap. XI. Art. II (p. 6—10.). Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. I. (p. 91—99.) — Antiquissima hujus Operis exstat versio latina, non tamen satis accurata, quam Eustathius quidam, caetera ignotus, adornavit; habetur in Appendice Opp. s. Basilii T. I. p. 631—76. Hujus translationis jam honorificam fecit mentionem Cassiodor. Institut. divin. litter. c. I. Cf. Ceillier l. c. n. 5. (p. 94.) C. Oudin. T. I. col. 1253—54. G. Cave Vol. I. p. 428. Galland. T. IX. Prolegom. c. 20. n. 5.

S. Basilii Opera exegetica.

allegorica pro argumenti varietate s. Basilius explanat.[1]) Quaedam habentur plane eadem cum iis quae Eusebius Caesariensis scribit; id vero eruditi inde jure explicant, quod tum Eusebius tum s. Basilius ex eodem fonte hauserunt, videlicet ex commentariis Origenis. Explicationem Psalmi 1[i] praecedit prooemium egregium de Psalmorum praestantia. De quo merito Garnerius in Prolegomenis ad ipsius editionem Operum s. Basilii: „Praeclarum sane et imprimis elegans prooemium Basilii in Psalmos: quod qui legerit miram illam in Basilio dicendi artem mirabitur quo quocumque se intendisset excellebat.“[2])

§. 103.

Scripta S. Basilii. — *Ascetica, Homiliae, Epistolae.*

S. Basilii Opera ascetica.

III. *Ascetica* (*Ἀσκητικά*) s. Basilii vocantur communi usu illa s. Doctoris Scripta, quae ad mores formandos pertinent.[3]) Haec *Ascetica* modo complectuntur: *Tractatus praevios* qui dicuntur, *Sermones* aliquot asceticos, *Moralia*,

---

[1]) Migne P. G. T. XXIX. p. 206—494. — Homiliae istae omnes, ultimam si excipias, ab ipso J. Garnier, censore acerrimo, tanquam genuinae agnoscuntur. Idem tamen de Homilia in Ps. 115. addit: „Si quis hanc orationem Basilio tribuere voluerit, per me licet“ (T. I. Praef. n. 39.); quae cum insuper a stylo Basilii discedere non videtur, et jam olim a P. Hadriano I. in Epistola ad Carolum M. de sacris imaginibus (Mansi T. XIII. col. 788) laudata est, inter genuinas omnino referri meretur. — Duplex porro exstat Homilia tam in Ps. 14., quam in Ps. 28.; sed *Hom. altera in Ps.* 14., quamvis doctrinam Basilio haud indignam contineat, dubia tamen est ob insignem styli diversitatem; *altera* vero *Homilia in Ps.* 28. jure ab omnibus rejicitur. *Hom. in Ps.* 37. haud immerito dubia nonnullis visa est, utpote ex variis Eusebii Caesar. locis ad verbum excerptis consarcinata; J. Garnier eam inter spurias refert. Denique *Fragmentum Homiliae in Ps.* 132. recte s. Basilio abjudicatur. Cf. J. Garnier T. I. Praef. §. VI. et VII. n. 30—43. et Monit. hisce Psalmis praefixum (ibid. p. 89.) Prud. Maranus in Vita s. Basilii c. 41. n. 4—6. Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. II. (p. 100—106).

[2]) Praefatio gener. §. VI. n. 30.

[3]) V. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 116. Phot. Cod. 191. Suidas s. v. *Βασίλειος*. Cf. J. Garnier Opp. s. Basilii T. II. Praefat. §. 11. n. 27—28.

S. Basilii Opera ascetica.

Regulas fusiores, *Regulas breviores*, *Epitimia* (dubia), et *Constitutiones monasticas* (dubias). Varia illa opera prouti occasio se praebebat vario tempore a s. Basilio confecta sunt. Seriem itaque incipiunt:

1° *Tractatus praevii* qui dicuntur tres ascetici, videlicet *Praevia institutio ascetica* (*ἀσκητικὴ προδιατύπωσις*) quae ad militiam Christi suscipiendam hortatur; — *Sermo asceticus* de renuntiatione mundi et de perfectione spirituali (*λόγος ἀσκητικός*), quo comparatione facta inter vitam mundanam et monasticam haec maxime commendatur; — Sermo de ascetica disciplina, quomodo monachum ornari oporteat, (*λόγος περὶ ἀσκήσεως, πῶς δεῖ κοσμεῖσθαι τὸν μοναχὸν*), quo praecepta vitae monasticae traduntur.[1]) Hi sermones separatim a s. Basilio in coetibus publicis recitati esse videntur, nec ullo cum sequentibus operibus, nec ullo inter se nexu copulantur. Non inepte tamen in fronte Asceticorum collocantur, quia animum ad praecepta et consilia subsequentia prompte accipienda disponunt.

2° Hisce accedunt *duo libelli*, ex quibus unica operis moralium *Praefatio* coalescit,[2]) videlicet *Prooemium de judicio Dei* (*προοίμιον περὶ κρίματος θεοῦ*), et *De fide* (*περὶ πίστεως*). Haec opuscula ipse Basilius moralibus suis praefixit. Declarat videlicet, se quum scrutaretur unde ingentia quibus Ecclesia premeretur mala provenirent, eam invenisse causam, quod mandata divina violentur, unde poena divina prompta sit (de judicio Dei). Hinc in priori opusculo necessitatem urget observandi mandati divini, ut malum vitetur et bona opera fiant. — *Et quoniam*, inquit *memini Apostoli qui dicit: „In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per charitatem operatur," consequens simul et necessarium existimavi, ut sanam fidem ac piam de Patre et Filio et Spiritu sancto sententiam prius exponerem, et ita demum*

[1]) Migne P. G. T. XXXI. p. 619—652. Alii duo Sermones ascetici (IV. et V.) dubii sunt.

[2]) Migne ibidem p. 653—692. Photius Cod. 191 Praefationem hanc totam „librum primum Asceticorum" nominat. Cf. J. Garnier T. II. Praefat. §. XI. n. 30—31.

S. Basilii Opera ascetica.

moralia attexerem.[1]) Sanam igitur sanctissimae Trinitatis fidem breviter et accurate libello *De fide* exponit. — In fine hujus opusculi Basilius annuntiat ipse

3° *Moralia* (τα Ἠθικὰ), eorumque scopum et indolem indicat: *Cum de his,* ait, *quae ad sanam fidem pertinent, satis pro tempore in superioribus a nobis dictum fuisse putemus, jam moralia quae promisimus, in nomine Domini nostri Jesu Christi tradere conemur. Quaecumque igitur hactenus sparsim in novo Testamento aut interdicta aut approbata invenimus, ea pro nostra virili parte in regulas quasdam compendiarias, quo facilius intelligerentur, colligere curavimus, apposito ad singulas regulas numero etiam capitum Scripturae, quae in qualibet regula continentur, sive ex Evangelio sumpta sint, sive ex Apostolo Actisve, ut qui regulam legerit, numerumque ei appositum viderit, verbi gratia primum aut secundum, deinde Scripturam ipsam sumpserit in manus et praedicti numeri caput investigaverit, ita demum testimonium ex quo regula confecta est, inveniat.*[2]) — Octoginta Regulis ejusmodi Moralia constant, in plurima iterum capita divisis. Exceptis inscriptionibus capitum, nonnisi ipsis verbis novi Testamenti omnes illae Regulae compositae sunt. Hac ratione s. Basilius tum generatim quae ad virtutes et vitia spectant, tum quae variis hominum conditionibus conveniunt, verbis s. Scripturae concinnavit.[3])

4° Connectuntur hisce Moralibus *Regulae fusius tractatae* (Ὅροι κατὰ πλάτος) numero 55[4]); et

[1]) De judicio Dei n. VIII. in fine.

[2]) De fide n. VI.

[3]) Migne P. G. T. XXXI. p. 700—870. — Similis argumenti, locis tamen Scripturae praetermissis, est *Homilia de perfectione vitae monachorum,* quam sub nomine s. Basilii primus graece edidit Chr. Frid. Matthaei in libro, qui incribitur: *Joannis Xiphilini et Basilii M. aliquot Orationes.* Mosquae 1775, recus. in edit. Maurina Opp. s. Basilii T. II. p. 1064—67. Huic tamen Homiliae, quamvis sensus a Basilianis non abludant, et similitudo quaedam inter titulos Moralium s. Basilii atque sententias hujus Homiliae deprehendatur, tam parum inest elegantiae, Basilio familiaris, ut ex hac sola causa merito inter spurias rejiciatur.

[4]) Migne l. c. p. 890—1051.

S. Basilii Opera ascetica.

5°. *Regulae brevius tractatae* (ὅροι κατ' ἐπιτομήν) numero 313.[1]) — Quidquid in christiana de moribus doctrina excellentius atque praestantius invenitur, veluti in speculo hisce proponitur. Sunt autem Regulae istae totidem *interrogationes* et *responsiones* morales, per quas interrogantibus se monachis veluti sancti cujusdam juris regulas statuit: et regulae quidem fusiores continent principia vitae spiritualis perfecte explicata, semperque auctoritate s. Scripturae munita, breviores autem ad specialia praecepta descendunt.

Ita e. g. ex fusioribus regulis haec est Interrogatio: „1° De ordine et serie mandatorum Domini. — Quandoquidem dedit nobis sermo tuus interrogandi potestatem, ante omnia edoceri postulamus, num ordo aliquis sit et series in Dei mandatis, ita ut sit aliud primum, aliud secundum, et sic deinceps:

---

[1]) Migne l. c. p. 1051—1306. — Rationes tam externae, quam internae plane indubitatum reddunt, Regulas fusiores et breviores vere a s. Basilio auctore profectas esse. S. Gregorius Naz. Orat. 43. n. 34. et n. 62. expressis verbis tradit, Basilium leges monasticas litteris consignasse, nec obscure indicat, se Basilio in scribendis regulis (ὅροις) operam junxisse (s. Gregor. Naz. ep. 6.). Rufinus quoque Basilii „instituta monachorum" memorat, addens sibi in votis esse, „eorum plura transferre" (Histor. Eccles. lib. 11. c. 9.); et reapse postmodum Rufinus utrasque regulas in unam conjunxit regulam, quae constat ex 203. quaestionibus cum earum responsionibus; exstat haec versio cum praefatione Rufini in Codice Regularum monast. ed. Holstenius (August. Vindelic. 1759.) T. I. p. 67—108. Adde J. Cassian. de Institutis Coenob. Praefat. p. 2. — S. Hieronymus quidem de Scriptor. eccles. c. 116. ἀσκητικὸν tantummodo nominat; sed quid τὸ ἀσκητικὸν complectatur, Photius Cod. 191. diserte tradit, regulas nempe fusiores et breviores in illo Opere contineri affirmans. Easdem quoque s. Basilii nomine allegant Justinianus Imperator in Epist. ad Mennam adversus Origenis errores (Mansi T. IX. col. 520—21.), Concil. Nicaen. II. Act. VIII. can. 16. (Mansi T. XIII. col. 435.) et s. Theodorus Studita lib. 2. ep. 164. (in Opp. J. Sirmondi ed. Venet. 1728. T. V. p. 515). Tot tantisque testimoniis externis, quibus unus Sozomeni locus (Histor. Eccles. lib. III. c. 14.), incertus tamen et dubius, opponi potest, accedunt gravissima criteria interna, ita ut prorsus nullum solidum dubium de authentia istarum regularum supersit. Vide criteria praesertim interna fuse apud J. Garnier in Opp. s. Basilii T. II. Praef. §. XI. n. 33—43. Tillemont. l. c. Not. 15. (p. 636—44.) et Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. III. §. V. n. 1—5. (p. 174—181).

S. Basilii Opera ascetica.

aut omnia inter se cohaereant, omniaque quantum ad principatus rationem attinet, inter se sint aequalia, sic ut secure posset quivis auspicari, unde velis, tanquam in circulo aliquo. — Responsio: Vetus est quaestio vestra, et jam olim in Evangeliis proposita, cum legisperitus, qui ad Dominum accesserat dixit: Magister, quod est mandatum primum in lege? Et Dominus respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et ex tota mente tua. Hoc est primum et magnum mandatum etc." — Christi responsum dein s. Basilius explanat. — Ex Regulis brevioribus habeas istam Interrogationem 34am: „Quomodo quis effugerit vitium complacendi hominibus; et quomodo hominum laudes ei futurae non sint admirationi? Responsio. — Si sibi certo persuaserit, Deum praesentem esse; si studuerit assidue Deo placere; si denique beatitudines a Domino promissas animo ferventi concupiscat. Nemo enim in sui heri oculis ad illius ignominiam et ad suam ipsius condemnationem, conservo placiturus evagatur." — Omnes istae s. Basilii regulae refertae sunt infinito sapientiae spiritualis thesauro, quo non monachorum tantum, sed etiam Christianorum omnium vita ad veram salutem tuto dirigitur. Innumera ibi s. Scripturae testimonia tam apte tamque concinne proferuntur, ut plurimae atque gravissimae cujuscumque generis quaestiones doctissime ac dilucidissime solvantur, difficillima Scripturae loca explicentur breviter simul et perdiligenter, ac ubique saluberrima utilissimaque praecepta ad componendos mores tradantur.

S. Basilii Homiliae.

IV. *Homiliae* s. Basilii exstant diversae vigintiquatuor numero, quae ab omnibus uno consensu tanquam genuinae agnoscuntur.[1]) — Distingui possunt: *Dogmaticae et exegeticae*, in quibus maxime errores illius aetatis contra s. Trinitatem perstringit, atque etiam (hom. IX.) de origine et natura mali disputat. — Homiliae *morales*, in quibus de baptismo (XIII.), de vitiis ac virtutibus, de subsidiis virtutis et remediis peccatorum tractat.[2]) Praecipua

[1]) Migne P. G. T. XXXI. p. 163—617. — Ex his aliisque s. Basilii Homiliis Rufinus Aquilejensis quarto adhuc saeculo octo selectas in linguam latinam sat libere transtulit (cf. Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. et Praefat. hujus versionis), quae exhibentur in Append. T. II. Opp. s. Basilii p. 713—744. Migne l. c. p. 1723—1794. Cf. J. Garnier Praef. ejusdem T. II. n. 61.

[2]) *Homilia II. de jejunio*, quam J. Garnier s. Basilio abjudicat (Opp. s. Basilii T. II. Praef. n. 41.) a Prud. Marano eidem solide vindicatur (Vita s. Basilii c. 43. n. 1.). Ita etiam Ceillier absque scrupulo s. Basilio eam attribuit, T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. V. n. 1—2.

attentione digna est Homilia XXII, seu potius Tractatus ad adolescentes *de legendis Gentilium librum*. In ea Basilius docet, quid habeant utilitatis profanae litterae, quid cavendum in poëtis, atque in ipsis etiam historicis et rhetoribus, ac quomodo praeclare dictis et factis, quae in ejusmodi disciplinis percipiuntur ad morum institutionem utendum sit.[1]) — Homiliae *panegyricae*, in quibus laudes variorum Sanctorum celebrat. Huc pertinet Homilia celeberrima in *Quadraginta Martyres* (XIX.) et Homilia in *laudes s. Mamantis* martyris (XXIII.), qui pastor ovium erat; unde accepta occasione Basilius de bonis Ecclesiae pastoribus et de mercenariis disserit. Homilia in *s. Barlaam* martyrem (XVII.) brevis quidem est, sed ita elegans et ornata, ut ejus auctor (s. Basilius vel s. Chrysostomus) praestantissimum inter Oratores mereatur locum.[2]) S. Basilii Homiliae.

De illis Homiliis s. Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri in laudem s. Basilii (or. 43. n. 67.): „Cum martyrum encomia lego, corpus contemno, et cum iis qui laudibus efferuntur animo versor, atque ad certamen excitor. Cum orationes eas quas de moribus ac bene vivendi ratione scripsit, in manus accipio, animo et corpore purgor, templumque Dei capax efficior,

---

(p. 132—35). Cf. Tillemont l. c. Art. CXLI. (p. 297—98). *Homilia III. de jejunio*, a Cotelerio primum edita, inter spurias ablegatur in edit. Maurina, quamvis Tillemont l. c. eam ut genuinam admitti posse judicat.

[1]) Oratio isthaec ob insignem utilitatem, quam affert juvenibus humaniorum litterarum studiosis, seorsim edita est. Ita eam edidit Hugo Grotius gr. et lat. Paris. 1623. J. Potter gr. et lat. Oxon. 1694. J. H. Majus gr. et lat. Francof. 1714. J. T. Krebsius gr. Lipsiae 1779. F. Sturzius gr. Gerae 1794. Frémion gr. et gall. Paris. 1819 et 1843 (ed. Dubner et Lefranc.) Lotholz gr. et germ. Jenae 1857. Wandinger gr. et germ. Monachi 1858. Nusslin germ. (Basilius d. Gr. Rede an christliche Jünglinge über den Gebrauch der heidnischen Schriftsteller.) Mannheim 1839. — Editores isti doctissimi eruditas etiam Notas et Observationes adjecerunt.

[2]) Lis adhuc sub judice pendet, utrum Homilia haec adscribenda sit s. Basilio (quemadmodum cum Concilio Nicaeno II. Act. IV. ap. Mansi Tom. XIII. col. 80. censet Tillemont l. c. Not. 88. p. 685.), an s. Chrysostomo, (quod verisimilius putant Dupin T. II. p. 317 Garnier T. II. Praef. n. 5—10, et Ceillier T. IV. Ch. I. Art. VIII. n. 1.) Prud. Maranus (Vita s. Basilii c. 43. n. 4.) eam quaestionem in medio relinquit.

S. Basilii Homiliae.

atque instrumentum musicum a Spiritu pulsatum divinamque gloriam et potentiam canens; ipsius afflatu corrigor et concinnor, atque divina quadam immutatione alius ex alio efficior.“ Et profecto in his Homiliis omnes dicendi virtutes, miras illas ingenii dotes quas antiqui in Basilio laudarunt videre cuique licet; eloquentiam vere admirandam, in explicandis mysteriis tradendisque morum praeceptis diligentiam maximam et perspicuitatem, perfectissimam disciplinarum liberalium intelligentiam, vim persuadendi singularem ac denum felicem quandam naturam cum ad caetera, tum ad panegyricum dicendi genus accommodatissimam. Certe dignissimae sunt, quae saepius ab omnibus legantur, cum earum lectio cuivis et utilissima et jucundissima sit futura.

S. Basilii Epistolae.

V. *Epistolae s. Basilii 466* hodie exhibentur: earum tamen, dubiis spuriisve rejectis,[1]) dumtaxat 325 (secundum alios 319) s. Basilio vere adscribendae sunt. Epistolae hae omnes secundum ordinem temporum in tres classes distributae sunt, quarum prima continet epistolas ante Episcopatum scriptas (ep. 1—46.), altera, quas scripsit Episcopus usque ad obitum (ep. 47—291.); classis denique tertia complectitur epistolas nulla temporis nota signatas cum pluribus dubiis et spuriis nonnullis (ep. 292—366)[2]). In hisce epistolis singulares animi dotes, et in-

---

[1]) Scilicet de epist. 47. hodie inter eruditos fere convenit, eam a Gregorio patre filii manu ad Eusebium Samosat. scriptam fuisse; pariter ep. 166. 167. et 321. s. Gregorii Nazianz. sunt; ep. 117. Firmini cujusdam, religiosi juvenis, responsionem ad s. Basilium continet, quemadmodum etiam ep. 187. Antipatri praesidis responsio est ad s. Basilium. *Litterae Basilii ad Libanium* Sophistam et quas a Libanio Basilius accepisse fertur (epist. 335—359.), quamvis eas magni faciat Tillemont, easque in dubium revocari minime probet (l. c. Art. IX. X. XLIX. et Nota 36. p. 20—21. 23. 114—15. et 659—60.) admodum dubiae sunt, cf. P. Marani Vita s. Basilii c. 39. n. 2—3. *Epistolae Juliani Imperatoris ad s. Basilium* (ep. 39. 40.) *hujusque responsio* (ep. 41.) etiam dubiae, seu potius spuriae habendae sunt; vid. P. Maranus in Vita s. Basilii c. 8. n. 1. et 5. Denique sex ultimae epistolae (ep. 360—365.), scilicet *Fragmentum ex epistola s. Basilii ad Julianum apostatam, epistolae s. Basilii ad Apollinarium* hujusque responsa, atque *epistola s. Basilii ad Theodosium Imperatorem* ut manifeste spuriae ab omnibus explodi debent, cf. Prud. Marani Vita s. Basil. c. 39. n. 4.

[2]) V. Migne P. G. T. XXXII. — Probationes, quibus singulis epistolis locus suus assignatur, et authentia dijudicatur, valde accurate

genii vires, quibus s. Basilius tantopere excelluit, maxime eminent; sollicitudo omnium ecclesiarum, quam assidue gessit, et gravissimus animi dolor de tot tantisque malis Ecclesiam affligentibus; verae fidei zelus, studiumque pacis et concordiae; insignis in omnes, maxime calamitatibus oppressos, caritas, atque prudentia in rebus gerendis; animi moderatio in gravissimis etiam injuriis ipsi inflictis, atque humilitas erga aemulos quoque et adversarios veluti ex speculo inde emicant lectoremque vel invitum in admirationem tanti viri rapiunt. Epistolae ejus, ut brevi quodam conspectu exhibeantur, commode dividi possunt in *a) epistolas historicas, b) dogmaticas, c) morales et asceticas, d) disciplinares, e) consolatorias, f) commendatitias, g)* et *familiares.* S. Basilii Epistolae.

a) *In epistolis historicis* totam suae aetatis historiam ad vivum depingit, statum ecclesiarum Orientis et Occidentis vividis et nativis coloribus adumbrat, earumque calamitates deplorat; consilia in rebus gravioribus exposcit, ac mutuo tribuit; discordias sanat, concordiam ubique firmat; sanae fidei invigilat, haereticos impugnat; generatim omnis harum epistolarum scopus in eo versatur, ut fidem orthodoxam, pacem et veram concordiam ubique restauret atque conservet. et omnium ecclesiarum unitatem restituat. Praeterea suas ipsius res nonnunquam amicis indicat, suamque adversus calumnias et cavillationes inimicorum innocentiam tuetur.

b) *In epistolis dogmaticis* castigata temeritate Eunomii divinae naturae comprehensionem sibi arrogantis (ep. 16.), antiquae fidei religiose inhaerens, symbolum Nicaenum frequenter commendat, suamque huic plane consonam fidei professionem edit; praecipue mysterium ss. Trinitatis, quantum homini fas est, explicat, ac contra Sabellianos et Arianos defendit. Discrimen essentiae (*οὐσία*) et hypostasis, nec non hypostasis et personae (*πρόσωπον*) accurate exponit, ac tres hypostases unamque essentiam seu substantiam in Trinitate defendit.[1]) Contra Apollinarii

exhibet Prud. Maranus in Vita s. Basilii, Tomo III. Opp. praefixa, in qua etiam occasio et adjuncta singularum epistolarum diligenter expenduntur, omnesque difficultates solvuntur. Hanc Vitam s. Basilii ducem sequi debet, quicunque ex lectione epistolarum s. Basilii summam utilitatem percipere desiderat.

[1]) S. Basil. ep. 8. 9. 38. 52. 105. 113. 114. 125. 159. 175. 189. 210. 214. 226. 236. 251. Honorificam epistolae 38. mentionem facit Concilium Chalcedonense, dum testatur, „magnum Basilium, gratiae

S. Basilii Epistolae.

autem errores demonstrat, Christum eandem, ac nos carnem habuisse, affectusque humanos naturales a Christo assumtos fuisse, vitiosos autem nequaquam.[1])

c) *In epistolis*, quae *ad mores formandos* pertinent, egregia tradit praecepta: in vitia invehit, ad virtutem colendam magno fervore excitat.[2]) — *Epistolae asceticae* maximam partem spectant vitam monasticam. Ibi solitudinis ad pietatem adjumenta describit, hortatur ad vitam asceticam et monasticam amplexandam, et officia vitae monasticae breviter exponit. In quinque praesertim epistolis (ep. 42—46.) praeclarissima instituti ascetici praecepta continentur, in quibus etiam monachi et virgines sacrae, a suscepto vitae sanctioris instituto deficientes, acri castigatione emendantur.[3]) Praeterea docet, bonum esse et perutile quotidie communicare, et de communione corporis Christi sacrum ritum sui aevi exponit (ep. 93.).

d) Inter *epistolas disciplinares* primo certe loco referri debent *Epistolae tres canonicae* ad Amphilochium,[4]) scriptae circa a. 375. et tota retro antiquitate celeberrimae. In his, explicatis etiam quibusdam s. Scripturae locis ac solutis quaestionibus moralibus, praecipue varia peccatorum genera proponuntur et gradus culpae, attentis circumstantiis aggravantibus vel minuentibus, ac poena canonica pro illis subeunda accurate determinatur; demum praescribitur, quae agendi ratio variis in causis ad disciplinam Ecclesiae pertinentibus observari debeat. — In aliis quoque epistolis sancit leges, et poenas ecclesiasticas in varia scelera infligit.[5])

---

ministrum, in epistola hypostaseon differentiam explanasse.“ Allocutio Concil. Chalced. ad Imp. Marcianum (Mansi T. VII. col. 464).

[1]) Huc spectant. s. Basil. ep. 261. (seu epistola ad Sozopolitanos celeberrima) et ep. 262.

[2]) Huc pertinent ep. 24. 25. 26. 49. 65. 83. 85. 97. 106. 112. 115. 116. 161. 174. 182. 183. 197. 219. 220. 221. 222. 240. 246. 251. 259. 277. 283. 291—294. 296—299.

[3]) Sunt istae ep. 2. 10. 11. 14. 18. 22. 23. ep. 42—46. ep. 150. 173. 249. 295. Diffiteri tamen non licet, quod quinque illae epistolae (ep. 42—46.) nonnihil dubiae sunt, vid. P. Marani Vita s. Basil. c. 12. n. 8. cf. Not. ad inscriptionem ep. 42. item Not. in ep. 42. n. 4. Sed contra nec illud silentio praetermitti debet, *epistolam* 46. *ad virginem lapsam* s. Basilii nomine jam olim a Rufino latine versam esse, et inter „homileticos libellos“ ab ipso translatos septimum occupare locum (Opp. s. Basil. T. II. p. 740—42).

[4]) *Epistola canonica I.* est ep. 188., *canonica II.* est ep. 199., *tertia* vero ep. 217.

[5]) S. Basil. ep. 53. 54 55. 61. 81. 160. 169—171. ep. 265. et 266. 270. ep. 286—290.

S. Basilii Epistolae.

e) *Epistolae consolatoriae* partim consolantur et ad spem in Dei auxilio collocandam erigunt ecclesias pastore orbatas et ab haeretico furore vexatas, Episcopos quoque et monachos eandem ob causam gravi moerore oppressos; partim ad homines privatos directae, quos rerum humanarum vicissitudo, mors parentum, liberorum, conjugum tristitia opplevit, rationibus ex intima religione christiana petitis, leni ac dulci alloquio eorum dolorem lenire satagunt.[1])

f) *Epistolae commendatitiae* animum caritate plenum et cum egenis pressisque benignissime compatientem ostendunt. Ex his perspicitur, quanta auctoritate apud potestates valuerit et quam libenter hac gratia ad ferendam pauperibus et afflictis opem usus fuerit. Caeterum in necessitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus nunc pro totis civitatibus et pagis, nunc pro amicis, nunc pro necessariis et cognatis, nunc pro viris ex summo dignitatis culmine dejectis, nunc pro hominibus infimae conditionis eadem semper promtitudine patrocinium suum et commendationem impendit.[2])

g) *Epistolae ad familiares* salutandi causa scriptae, ut caritatis christianae vinculum magis magisque firmaretur, miram ubique caritatem et pietatem spirant ac leporibus et perpolite dicēndi genere suavissimae sunt.[3])

§. 104.

S. Basilii Scripta. — *Opera dubia, deperdita, spuria.*

Praeter librum IV. et V. adversus Eunomium et alias quasdam dubias lucubrationes minores jam adductas, Operibus dubiis s. Basilii itidem accenseri merentur: *Commentarius in Isaiam* amplissimus, sed imperfectus; *libri duo de baptismo; Constitutiones monasticae; breves duo*

---

[1]) S. Basil. ep. 5. 6. 28. 29. 62. 101. 107. 139. 140. 206. 227. 228. 238. 247. 256. 257. 269. 300. 301. et 302.

[2]) S. Basil. ep. 15. 31. 32. 33. 35. 36. 37. 72—78. 83—88. 96. 104. 108—112. 137. 142—144. 177—180. 271. 273—276. 279—281. 303—319.

[3]) Hujusmodi sunt ep. 1. 4. 12. 13. 17. 19—21. 27. 50. 56. 57. 63. 64. 95. 118. 123. 124. 132—134. 145—149. 152—155. 157. 158. 162. 163. 165. 168. 172. 176. 181. 184—186. 192—196. 198. 200. 201. 208. 209. 211. 232. 241. 252. 254. 255. 259. 267. 268. 272. 278. 282. 284. 285. 320. 322—334.

S. Basilii Opera dubia.

Tractatus ascetici, inter Moralia et Regulas fusiores inserti; et *Homiliae quaedam.*

1) *Commentarius in Isaiam* priora sedecim hujus prophetae capita integra calamo fusiori styloque simplici et inaequali interpretatur. Commentator, qui varias etiam versiones Graecas subsidii loco adhibet, dum in explicando propheta litteram sequitur, explicationes profert claras et perspicuas, non longe petitas aut per vim tractas; dum autem in moribus informandis versatur, morum doctrinam tradit sanctam et puram, atque ex singulis prophetae vocibus naturali facilitate deductam.

Veterum silentium saltem usque ad saeculum VII. aut VIII., et styli discrepantia, loci complures verbotenus ex Eusebii Commentario in Isaiam huc translati, et singulares quaedam opiniones illic obviae dubium hoc Opus reddiderunt. Fortassis Commentarius iste a s. Basilio, qui divinae Scripturae intelligentiam ex majorum, praesertim Origenis, auctoritate scriptisque repetere consuevit, ac praecipue eorum in Prophetas Commentarios discutiens thesauros sapientiae recondidit,[1]) ex Origenis potissimum lucubrationibus exceptus et comportatus est; materia vero isthaec, sollicitudine muneris Episcopalis superveniente nunquam elaborata et expolita fuit. Id eo magis verisimile fieri debet, cum ab ipso Basilio non videatur in lucem editus fuisse; reperiuntur enim Codices, in quibus Commentarius in Isaiam a quodam presbytero vulgatus fuisse dicitur post mortem s. Basilii.[2]) Illud certe in dubium revocari vix potest, Commentarium hunc ipsa s. Basilii aetate scriptum fuisse.

2) *Libri duo de baptismo*, quibus nihil fere in Operibus Basilii ad morum sanctitatem praestantius reperitur. Sed nemo Veterum hujus Operis mentionem aliquam fecit,

---

[1]) Rufini Histor. Eccles. lib 11. c. 9. Sozom. lib. 6. c. 17.

[2]) Recentiorum plerique, ut Combefisius, Natalis Alexander (Histor. Eccles. Saec. IV. Cap. VI. Art. 19. §. 3.), Dupin (T. II. p. 313—14.), Tillemont (l. c. Art. CXXXVII. c. Not. 85. p. 292 et 683—84), Lequien, Prud. Maranus (in Vita s. Basil. c. 42.), et Ceillier (T. VI. Chap. VIII. Art. II. §. IV.), hoc Opus s. Basilio tribuunt; plurimis vero, nec omnino levibus rationibus allatis J. Garnier Commentarium hunc Basilio „indignissimum“ esse judicavit, Opp. s. Basil. T. I. Praef. §. X. n. 52—64. Eodem teste vir eruditissimus Montfaucon pariter de authentia hujus Operis dubitavit. — V. hunc Comment. Migne P. G. T. XXX. p. 118—668.

stylus admodum diversus parumque elegans est, et modus citandi s. Scripturam a Basiliano prorsus abludit. Hujus Operis auctor libro I. ostendit, quid baptismum praecedere debeat, et quo animo illum suscipere oporteat; baptismi christiani praestantia ex illius comparatione cum baptismo Mosis et Johannis Baptistae, nec non ex ejus effectibus declaratur; tum de digna perceptione ss. Eucharistiae, quae baptismum proxime sequitur, verba facit. Libro autem II. solvens multas (13) quaestiones sibi propositas de vita christiana recte instituenda docet, qua ratione posthac vere Deo vivere et promissa in baptismo facta rite exequi possit homo christianus.

Forte Basilius morbo quodam impeditus, quo citius iis satisfaceret, quorum rogatu scribebat, inceptum a se Opus, et in iis, quae ad sententias spectant, informatum, alicui ex suis absolvendum commisit, ita ut sententiae sint Basilii, alium verba habeant auctorem.[1])

3) *Sermones duo ascetici*, qui inter Moralia et Regulas s. Basilii inserti reperiuntur, praecipua vitae monasticae munera paucis exponunt et inculcant, tam pro viris, quam pro feminis. Dubii censentur, licet Codices Basilio eos attribuant nec sententiae discrepent, tum ob styli diversitatem, tum quod Photius in asceticis eos non habuerit, nec antiquorum ullus eos noverit.[2]) — Dubius quoque est *Sermo de contubernalibus* (*περὶ τῶν συνεισακτῶν*), quo sermone in cohabitationem ecclesiasticorum cum feminis vehemen-

---

[1]) „Duos de baptismo libros Basilii esse nemo dubitat, etsi ab Antiquis non citentur", inquit Dupin T. II. p. 315. Quam opinionem vulgatam secutus est Tillemont (l. c. Art. CXLIII. c. Not. 89. p. 301—2 et p. 685); Combefisius ipsos suspectos habuit; J. Garnier „dubitari nullo modo posse arbitratur, quin hi libri falso hactenus s. Basilio adscripti sint", idque fuse probat (Opp. s. Basil. T. II. Praef. §. XII. n. 54—58.) Mitius vero de hisce libris judicium tulere Prud. Maranus in Vita s. Basil. c. 43. n. 7. et Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. VI. n. 10. (p. 334—35.) — Ap. Migne l. c. T. XXXI. ubi et alia s. Basilii Opera dubia et supposita habentur.

[2]) Vid. J. Garnier in Opp. s. Basil. T. II. Praef. n. 32. — Migne l. c. T. XXXI. 770, sqq.

S. Basilii Opera dubia.

tius invehitur.[1]) Demum dubius pariter est *Sermo de sacerdotum instructione* (*περὶ καταστάσεως Ἱερέων*), allocutio concinna in institutione presbyteri.[2])

4) *Constitutiones monasticae* (*ἀσκητικαὶ διατάξεις*) Prooemio et 34 capitibus absolvuntur, in quibus de arctioris vitae disciplina, de cibis et vestitu, de virtutibus monachorum ac de vitiis eorumque occasionibus fugiendis sermone plano et simplici monachis, et praesertim anachoretis praecepta tribuuntur.

Earum nemo Veterum diserte mentionem fecit, si forte excipias Sozomenum; recentiori quidem aevo omnes in eo convenerunt, quod Basilius M. Constitutionum monasticarum auctor habendus sit; postremo tamen viri eruditi, quorum summa in rebus criticis est auctoritas, moti rationibus internis gravissimis has Constitutiones s. Basilio abjudicarunt.[3])

5) *Epitimia* seu poenae in monachos delinquentes, nec non in Canonicas (moniales) praecepta vitae monasticae transgredientes, ex parte saltem inter Opera s. Basilii dubia referri debent.[4])

6) Huc denique pertinent *Homiliae quaedam*, a Basilii quidem stylo discrepantes, caeterum si pietas et doctrina spectentur, Basilio dignissimae, scilicet: *Homilia*

---

[1]) V. Migne l. c. T. XXX. p. 810. sqq.

[2]) Eum ex Cod. Vatic. publicavit A. Mai Biblioth. nova Patrum T. VI. p. 584. ap. Migne l. c. T. XXXI. p. 1686. sqq.

[3]) Ita J. Garnier in Opp. s. Basil. T. II. Praef. n. 34—38. et n. 44—48, qui n. 48. Sozomeni locum (Histor. Eccles. lib. 3. c. 14.) sat verisimili ratione de his Constitutionibus interpretatur. Cui assentitur Prud. Maranus in Vita s. Basilii c. 43. n. 7. Cf. Tillemont l. c. Art. XXIII. (p. 50.) et Not. 15. (p. 642—43.) item Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. III. § 6. n. 2. (p. 190—193.) — Ap. Migne l. c. T. XXXI. p. 1321 sqq.

[4]) *Epitimia priora undecim in monachos*, et *Epitimia* (19) *in Canonicas* valde dubia sunt; *Epitimia* vero *in monachos inde a* 12. *usque ad* 60. aperte spuria sunt et adulterina; cf. J. Garnier T. II. Praef. n. 49—51. et Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. III. §. 6. n. 4. (p. 195.) Uterque Epitimia omnia suppositicia esse atque adulterina judicat; quod eo magis verisimile est, cum ipse s. Basilius (Regul. brev. 106.) modum et tempus puniendi fratres delinquentes monasteriorum praepositis commiserit. Cf. etiam Tillemont. l. c. Art. XXIII. (p. 50.) — Ap. Migne l. c. T. XXXI. p. 1305. sqq.

adversus calumniatores ss. Trinitatis, altera *de Spiritu s.* (seu in sanctum baptisma); item *in sanctam Christi generationem;* et alia *de libero arbitrio;* denique *Homilia in aliquot Scripturae locos, dicta in Lacizis.* Ad pietatem fovendam tendunt *Homilia III. de jejunio; Homilia de poenitentia;* et alia de vigilantia laborisque studio, in qua explicantur verba Scripturae: „*Ne dederis somnum oculis tuis*“ etc. (Prov. 6., 4—8.)[1]) S. Basilii Opera dubia.

7) *Precatio* quaedam pro inimicis, amicis et benefactoribus, brevis atque christiano Doctore digna.[2])

Nota 1. Habentur etiam *Sermones* 24 *de moribus* (*ἠθικοὶ λόγοι*), quos ex Basilii Operibus juxta similitudinem materiae diligenter collegit Simeon Metaphrastes; eoque in Opere nihil fere apponit de suo, nisi cum rerum junctura unum aliquod verbum addi postulat aut mutari. Qui cum toti sint ex Basilii Operibus contexti, Basilium ipsum loquentem nobis exhibent, et magnam lectori utilitatem praestant. Cf. Monitum Editoris hisce Sermonibus praefixum in Opp. Basilii T. III. p. 468 (ed. Maur.). — Ap. Migne l. c. T. XXXII. p. 1113. sqq.

Nota 2. *Liturgia s. Basilii* huic quidem s. Patri originem debere, aliquas tamen mutationes subiisse videtur; satis quippe inter Eruditos constat, eam Liturgiam, quae hodie nomen Basilii prae se fert, haud paucis in locis vel mutilam, vel auctam, aut variis denique modis mutatam esse; vid. J. Garnier in Opp. s. Basilii T. II. Praefat. n. 59. Tillemont. l. c. Art. CXLIV. c. Not. 91. (p. 304—4 et p. 686—87). Exstat Liturgia s. Basilii tam fusior, quam brevior gr. et lat. in Euchologio Graec. ed. J. Goar Venetiis 1730. fol. p. 135—56 et alia gr. et lat. in E. Renaudot

---

[1]) Ap. Migne l. c. T. XXXI. p. 1430. sqq. De his vid. J. Garnier Opp. s. Basil. T. II. Praef. n. 11—26. P. Maranus in Vita s. Basil. c. 43. n. 6. Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. VI. n. 1—8. (p. 331—34). *Sermo de religiosae exercitationis informatione* a J. Garnier merito ut spurius rejicitur, l. c. n. 52—53. cf. Ceillier l. c. n. 9. — Alia Homilia, quae inscribitur: *Ὁμιλία παραινετικὴ ἀσθενοῦντι* (graece ed. Chr. Fr. Matthaei inter *J. Xiphilini et Basilii M. aliquot Orationes* Mosquae 1775, recus. in edit. Maurina Opp. s. Basilii T. II. p. 1070—74.) miseriam vitae humanae graphice describit et pietatem cum sufficientia valde commendat; caeterum, quamvis haud sit inelegans, nec Homilia esse videtur, nec satis apte cohaeret.

[2]) Exstat gr. et lat. in J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 63—64. Ejusdem *precatio dicta ante s. communionem Dominici corporis*, item *precatio et exorcismus super homine vexato ab impuris spiritibus* gr. et lat. in J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 93—100 (edit. antiq.). — Cf. Migne l. c. T. XXXI. p. 1676. sqq.

S. Basilii Liturgia.

Collectione Liturgiarum Orientalium Paris. 1716. 4° Tom. I. p. 56—89. item alia latine tantum conversa ex Coptico Jacobitarum in eadem Collect. T. I. p. 1—25 cum Commentario Editoris ibid. p. 169—300, ac rursus alia latine tantum ex Syriaco converso ib. T. II. p. 548—62; item Liturgia gr. lat. et lat. ex Copt. ex Renaudot. recus. in Basilii Opp. (ed. Maur.) T. II. p. 674—97. Migne l. c. T. XXXI. p. 1629—1678; Daniel, Codex liturgicus ecclesiae orient. Lipsiae 1853. — Cf. de hac Basilii Liturgia variis in formis obvia, J. Goar in Eucholog. cit. Notas Basilii Liturgiae in calce adjectas (p. 157—58.), item E. Renaudot l. c. T. I. Dissert. I. c. 4—5. et Commentar. ad Liturg. Copt. s. Basilii (ibid. p. 169—95), T. II. Dissert. praevia n. 31. 33. et Observatt. in Liturgiam Basilii ex Syr. a Masio conversam (ibid. p. 562—65). De formae varietate haec optime monet Renaudot: „Liturgia illa, quod extra dubium est, usurpatur in Graeca Ecclesia ab annis plus mille ducentis; atque inde originem habuerunt leves aliquot discrepantiae in precibus praeparatoriis aut in aliis Orationibus. Quaedam exemplaria caeremoniales rubricas habent, quae in aliis non reperiuntur; at alicujus momenti discrimen in illis partibus, quae Canonem sacrae Actionis constituunt, non reperitur. . . Varietates in Codicibus omnes prope ad ritus spectant, qui enucleatius in aliquibus, in aliis brevius explicantur, in nonnullis omittuntur, quia aliunde peti debebant.“ Eo autem sensu Liturgiae hujus auctor dicitur Basilius, non quod proprio ingenio eam excogitaverit, sed quod preces publicas eisque contiguos ritus, quoad rei essentiam ex communi Traditionis Apostolicae fonte manantes, ordinaverit et in scriptis Codicibus ad certam formam redegerit. Cf. Eus. Renaudot. l. c. T. I. Dissert. I. et II. p. XVII. XXVIII—IX. XCVI. et CVIII. Eam denique haereticorum assertionem. Graecos posteriores hanc Liturgiam composuisse et perperam attribuisse Basilio, falsitatis aperte convincit Eus. Renaudot l. c. p. XXIX—XXXI. et p. LII. „Sufficit“, idem postea addit, „praecipuas preces (in Liturgia Basilii Graeca, Coptica et Syriaca) easdem esse, et quamvis verbis differant, in unam convenire sententiam, ut non suppositicia judicetur; at qui Graecam, Syriacam et Copticam attente legerit, agnoscet omnes ex uno limpidissimo fonte prodiisse“, l. c. p. XL. cf. p. LII. — Liturgiae versionem Germ. habes ap. Storf, Die griech. Liturgien. Kempten 1877.

Nota 3. *Expositio fidei* duplex, quarum una inscribitur: *S. Basilii Magni expositio fidei in compendio*, breves interrogationes et responsiones continens (gr. et lat. in Steph. le Moyne Variis sacris T. I. p. 147—49), altera: *Expositio ss. Patrum Basilii M. et Gregorii Theologi de sancta et orthodoxa fide* (latine tantum in Canisii Lectt. antiq. ed. Basnage Vol. I. p. 188—89. Migne l. c. T. XXX. p. 831.) ex eorum forsan scriptis posteriori aetate decerpta atque conflata est. Cf. Tillemont l. c. Art. CXL. (p. 296).

S. Basilii Opera deperdita.

Nota 4. Opera quaedam s. Basilii injuria temporum interciderunt, ut: *Liber adversus Manichaeos* (s. Augustin. c. Julian. lib. I. n. 16—17.); *Commentarius in Job* (cf. Tillemont. l. c. Art. CXXXVII. p. 290.), et alia nonnulla, de quibus cf. Tillemont. l. c. Art. CXLIV. (p. 303), qui ibidem etiam auctores indicat, in quibus *Fragmenta* ex Operibus deperditis s. Basilii reperiantur.

Nota 5. *Opera spuria* quaedam jam suis locis indicata fuere. Iisdem recte adnumeratur *liber de vera virginitatis integritate,* (Migne l. c. T. XXX. p. 669. sqq.) tum ob testimoniorum defectum, tum ob insignem styli dissimilitudinem manifestamque temporum repugnantiam, demum ob ipsum argumentum, quod nonnullis in locis tam sanctum prudentemque Episcopum plane dedecet. Cf. P. Marani Monitum huic libro praefixum (Opp. Basilii T. III. p. 588.) Tillemont. l. c. Art. CXLIV. c. Not. 90. et Ceillier T. VI. Chap. VIII. Art. VI. n. 15. Demum ad opuscula spuria pertinent *Tractatus de consolatione in adversis,* item *de laude solitariae vitae* et insignis *Admonitio ad filium spiritualem,* latine tantum superstites (in Opp. s. Basilii T. II. p. 697—712 Migne l. c. T. XXXI. p. 1688—1704.), de quibus videsis T. II. Praef. n. 60. Plura alia Opera spuria nominat J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 60—66. S. Basilii Opera spuria.

§. 105.

Character et doctrina s. Basilii.

S. Basilius, „vir fide et operibus et omni sanctitate satis clarus“,[1]) jure optimo dictus est *Magnus.* Is enim summa cum eruditione summam quoque pietatem et caritatem, singularem prudentiam et vere admirandam humilitatem conjunxit. Idem in Scriptura s., Patrum Traditione et canonibus Ecclesiae versatissimus erat, Logices et Dialecticae peritissimus, Orator facundissimus; intimam quoque virtutis indolem, humani animi recessus naturaeque infirmitatem apprime noverat. Nullus est auctor, cujus scripta mentem magis afficiant atque percellant, quam Basilii scripta, quae „inaestimabilis thesaurus“ ab Erasmo Roterodamo appellantur. Res adeo vivide depingit, ratiocinationes suas adeo valide exponit atque persequitur, vitii imagines adeo horrendas exhibet, adeo suasorias hortationes ad virtutem adhibet, instructiones adeo amplas et proficuas suggerit, ut nemo ejus scripta legere possit, quin se veritate imbutum atque persuasum sentiat, et quin amore complectatur virtutem, vitium odio prosequatur. Locutiones illius sublimes sunt atque magnificae; stylus perquam elegans, nitidus, atque ad persua- S. Basilii character et doctrina.

[1]) Rufini Aquilej. Praefat. in Regulam s. Basilii a se latine redditam (L. Holstenii Cod. Regul. monast. T. I. p. 67.)

S. Basilii character et doctrina.

dendum accommodatus; oratio semper naturalis cum lenitate fluens, et omni carens affectatione. Hinc mirantur eruditissimi quique in scriptis Basilii orationis perspicuitatem eximiam, facundiam, singularem quamdam in Scripturis interpretandis facilitatem, verborum delectum et sententiarum gravitatem; praesertim felicissimus est in seligendis exemplis aptis, in rerum natura explicanda et in praeceptis morum aptissime deducendis. In Homiliis ejus nihil otiosum, nihil redundans invenitur; in illis densa sunt et compacta omnia, nervorum et virium plena, cum omnibus condita dicendi festivitatibus, tum praeclarissimis saluberrimisque praeceptis refertissima. Nihil autem est inter Opera Basilii, et forte in tota antiquitate ecclesiastica magis eruditum lectuque dignius, quam ejusdem Epistolae, quae vivam imaginem ipsius s. Basilii et Ecclesiae illius aetatis exhibent.[1])

Doctrina ejus purissima est et maxime orthodoxa. Praesertim vero Basilius doctrinam de Spiritu S. diligentius tradidit, eaque pollet auctoritate, ut ipsi in materia Spiritus Sancti universa assentiatur Ecclesia.[2]) Pariter in usu vocis ὑπόστασις ad singulas ss. Trinitatis personas de

---

[1]) Hunc in modum de s. Basilio tam Veteres, quam recentiores, quorum summa est in hujusmodi rebus auctoritas, judicarunt, ut s. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n. 66., cujus verba sunt: „Is apud nos eruditissimus habetur, qui libros ipsius quam maxime intelligit, ac lingua versat auribusque instillat: unus enim omnium loco studiosis ad eruditionem comparandam sufficit;“ s. Gregorius Nyss. in Hexaëmeron (Opp. T. I. p. 4) et Orat. in laudem s. Basilii (Opp T. III. p. 479—80 et 487); Concil. Nicaen. II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 72.); Phot. Cod. 141. 142. 143. 144. et 191. item Photii epist. 207. (ed. Rich. Montacutius. Londini 1651. p. 305); Card. Bessarionis Epistola ad Alexium Lascarim (Harduin T. IX. col. 1047.); Erasmus Roterod. in sua Editione graeca Opp. s. Basilii (Basileae 1532) p. I. —III.; Dupin T. II. p. 343—44.; J. Garnier passim, vid. Opp. s. Basil. T. I. Praef. n. 1—5. Viri isti doctissimi pronuntiare non dubitant, s. Basilium vel praestantissimis Graeciae Oratoribus Pericli, Lysiae, Isocrati, Demostheni eloquentiae palmam praeripere.

[2]) Concilii Chalcedon. Allocutio ad Imp. Marcianum (Mansi T. VII. col. 464.) et Concilium Florent. Sess. XIX. (Harduin T. IX. col. 220.).

S. Basilii Doctrina.

signandas, qua de re haud levis olim disceptatio erat, luculentam ejus expositionem universa Ecclesia, vestigiis ejus inhaerens, approbavit. Tantam porro ejus Regulae consecutae sunt auctoritatem, ut tanquam perfectionis christianae exemplar omnibus numeris absolutum in omnibus ecclesiae Graecae monasteriis hodiedum vivendi legem constituant. Merito igitur Photius (Cod. 14.) ait, eos, qui praecepta illa observant, certissime salvatum iri.[1])

Doctrinae ejus specimina haec sint:

1) *Traditionis* ceu fontis doctrinae revelatae *necessitatem* sic agnoscit: „Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem; nec iis quisquam contradicet, nullus certe, qui vel tenui experientia noverit, quae sint Ecclesiae instituta. Nam si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tanquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus, imo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus.“ (Lib. de Spiritu s. n. 66.). „Oportet eum, qui Christi judicium ob oculos habet, novitque, quam periculosum sit quidquam subtrahere aut addere iis, quae a Spiritu tradita sunt, non conari quidquam a se ipso innovare, sed in iis, quae prius a Sanctis annuntiata sunt, acquiescere. Quod igitur nec communis consuetudo,[2]) nec Scripturarum usus admisit, id audere summae dementiae est.“ Lib. II. adv. Eunom. n. 8. Vid. etiam Homil. XXIV. n. 6. et Lib. de Spiritu s. n. 75. Cf. Concil. Trident. Sess. 4.

2) *Liberum hominis arbitrium* et *meritum bonorum operum* ita vindicatur: „Magnae illae Christianorum spes evanescentes excident nobis, cum neque justitia honoribus

[1]) „Mihi crede, reddet te tibi meliorem, quisquis hunc familiarem habere voles“, de s. Basilio inquit Erasmus Roterodamus in ipsa inscriptione suae editionis graecae Opp. Basil. a. 1532.

[2]) Ἡ κοινὴ συνήθεια nihil aliud est, quam praxis Ecclesiae.

S. Basilii Doctrina.

ullis afficiatur, neque puniatur peccatum; propterea quod nihil ab hominibus libero animi proposito (*κατὰ προαίρεσιν*) agatur. Nam ubi necessitas et fatum dominatur, ibi dignitatis meritique ratio (*τὸ πρὸς ἀξίαν*) nullum locum habet; id quod tamen praecipuum justi judicii fundamentum est.“ Hom. VI. in Hexaëm. n. 7. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. can. 5. et 6. item cap. 16. et can. 32.

3) *Observatio mandatorum Dei possibilis est:* „Impium est dicere, mandata Spiritus S. perfici non posse.“ Hom. III. n. 2. Vid. etiam Hom. IV. n. 1. et Regul. fus. c. 2. n. 1. — *Opera* quoque *bona praeter fidem necessaria* sunt ad salutem consequendam: „Imprimis vos adhortor, ut fidei Patrum memores sitis, illud scientes, neque accuratam vitam, si fide in Deum illuminata non sit, per se ipsam prodesse, neque rectam fidei confessionem, si bonorum operum sit expers, commendare nos Domino posse; sed necesse esse utrumque concurrere, ut Dei homo integer sit ac perfectus, nec aliqua re deficiente vita nostra claudicet. *Fides enim, quae salvos nos facit, ea est,* ut ait Apostolus, *quae per caritatem operatur.*“ Epist. 295. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. et 11. can. 18. 19. 20.

4) *De vera et reali Jesu Christi praesentia in ss. Eucharistiae sacramento* fidem suam haud dubie manifestat. Proposita enim interrogatione: „Quali cum timore aut qua animi persuasione corpus et sanguis Christi nobis accipienda sint“, respondet: „*Timorem* quidem docet nos Apostolus, cum ait: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. *Persuasio* vero *integra* habetur ex fide verborum Domini, qui dixit: Hoc *est* corpus meum, quod pro vobis traditur; hoc facite in meam commemorationem.“ Regul. brev. 172. Vid. etiam lib. de Spiritu s. n. 66. Cf. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. et 7. can. 1. et 11.

5) De *sacramento poenitentiae* totam plane doctrinam catholicam aperte pronuntiat. Explicans enim illa verba: Diligit Dominus misericordiam et judicium (Ps. 32, 5.), hinc infert: „Haec inter se conjuncta sunt misericordia cum judicio, ne aut misericordia sola mollitiem pariat,

aut judicium solum afferat desperationem. Vult tui misereri judex, teque miserationum suarum facere participem, si modo post peccatum repererit te humilem, *contritum*, prava opera multum deplorantem, ac ea, quae clam facta sunt, evulgantem citra pudorem.“ (Hom. in Psalm. 32. n. 3.). „Quoniam conversionis modus debet peccato congruere, ac etiam opus est fructibus dignis poenitentiae, *peccata eis confiteri* necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.“ (Regul. brev. 288.). Expressis denique verbis adstruit: „Quod illud non satis sit poenitentibus, si tantummodo recesserint a peccatis, sed eis opus esse, ut *fructus poenitentiae dignos ferant.*“ (Mor. Reg. I. c. 4.). Interrogatus autem: „Qui sint fructus digni poenitentiae?“ respondet: „Opera justitiae peccato contraria, quos fructus edere debet poenitens“ (Reg. brev. 287.). „Quoniam enim in corpore peccavimus, cum nostra membra serva peccato ad iniquitatem praebuimus; corpore etiam confiteamur (i. e. satisfaciamus), eodem utentes instrumento ad peccatum dissolvendum.“ (Homil. in Ps. 32. n. 2.). Vid. etiam Reg. brev. 229. et Hom. III. n. 4. Cf. Concil. Trid. Sess. 14. cap. 3. 4. 5. 6. 8. can. 4. 5. 6. 7. 12. 13. S. Basilii Doctrina.

6) *Cultum Sanctorum* quam maxime commendat scribens ad s. Ambrosium Mediolanensem de reliquiis s. Dionysii Episcopi et Confessoris: „Tuus in s. Dionysium Episcopum ardor animi omnem de te erga Dominum amorem, reverentiam in antecessores, et studium fidei testatur. Animi enim erga fideles conservos affectio refertur ad Dominum, cui servierunt; et quisquis eos, qui pro fide decertarunt, honorat, eodem se fidei ardore accendi ostendit, ita ut una eademque actio multiplicis virtutis testimonium habeat.“ Epist. 197. n. 2. cf. ep. 252. et 257.[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum.

[1]) Idem quoque saepius *reliquias Sanctorum* ab aliis sibi mitti rogavit, aliisque libenter concessit, praesertim si nova aliqua ecclesia exstructa fuerat; vid. ep. 49. 155. 164. 165. et ep. 197. n. 2. *Invocationis* autem *Sanctorum* exempla occurrunt in Homil. XIX. n. 8.

Editiones Operum s. Basilii.

Editiones: Antiquissimae editiones graecae Operum s. Basilii prodiere Basileae 1532. Venetiis 1535. iterumque Basileae 1551 (ed. multo auctior.) Editio gr. lat. lucem aspexit Paris. 1618. 2 Voll. fol. et rursus 1638. 3 Voll. fol. (editio prior altera castigatior est et accuratior). — Basilius Magnus ex integro recensitus, ed. Combefisius. Paris. 1679. 2 Voll. in 8°. — Praestantissima editio prodiit gr. et lat. Paris 1721—30. III Voll. fol. (a J. Garnier, quam absolvit Prud. Maranus, uterque ex Congregat. s. Mauri), novissime recus. Paris. 1839. 3 Tomi in 8°. maj.; pluribus additis ap. Migne P. G. J. XXIX—XXXII. — Haec editio tota recusa est, solo textu Graeco omisso, Venetiis 1750—51. III Voll. fol. eademque editio Veneta repetita Bergomi 1793. VI Tomi (III Voll.) in 4°. — S. Basilii M. Ascetica in quatuor Partes distributa latine tantum prodiere Romae 1748. 4 Tomi in 8°. — Basilius des Grossen Predigten und sämmtliche Schriften, deutsch übersetzt von J. v. Wendel. Wien 1776—78. 6 Bde. 8°. — Basilius des Grossen auserlesene Homilien, übersetzt und mit Anmerkungen versehen von J. G. Krabinger. Landshut 1839. 8°. — Auserlesene Schriften, übersetzt von Gröne. Kempten 1875—81. 3 Bändchen.

§. 106.

S. Gregorius Nazianzenus. Vita ejus usque ad Episcopatum (326—371.)

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius S. Gregorii Opera, praesertim vero Carmen de Vita sua (edit. Maur. lib. II. Sect. I. Carm. XI.) — S. Basilii M. Epistolae. — S. Hieronymus de Scriptor eccles. c. 117. et saep. — Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. — Socrat. Histor. Eccles. lib. 4. c. 11. et 26. lib. 5. c. 6. 7. et 8. — Sozom. Histor. Eccles. lib. 6. c. 17. lib. 7. c. 3. 5. et 7. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 30. lib. 5. c. 8. — Philostorg. lib. 8. n. 11 et 13. — Nicephori Callisti Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. et 44. lib. 12. c. 7. 8. 10. et 11. — Suidas in Lexico s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 496—97).

Subsidia: S. Gregorii Nazianz. Vita graece conscripta a Gregorio Presbytero (saec. VIII. aut X.) in edit. Maur. Opp. s. Gregorii Naz. T. I. p. CXXV—CLVIII. — C. Baronii Vita s. Gregorii Naz. cum Notis D. Papebrochii in Actis SS. die 9. Maji (Maji T. II. p. 373—428). — G. Hermant (v. supra Subsidia ad Vitam s. Basilii). — Tillemont Mémoires T. IX. s. Grégoire de Nazianze (p. 305—560. cum Notis p. 692—731). — Ceillier T. VII.

Regul. fus. 40. — Porro in epist. 197. n. 2. testatur, corpus s. Dionysii a Cappadociae incolis veluti „praesidium vitae suae“ habitum esse, eosque illo asportato lacrymas fudisse, tanquam „patre et patrono orbatos.“

Chap. I (ed. 2. T. V.). — Clémencet Vita s. Gregorii Theologi (Opp. T. I. p. LXXIX—CXXIII) et Praefat. generalis Pars II. (ibid. p. XVII—XLVIII.). — Ullmann: Gregorius von Nazianz, der Theologe. Darmstadt 1825. ed. 2. Gotha 1867. — J. Hergenröther: Die Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit nach dem hl. Gregor. v. Nazianz, Regensburg 1850. — G. Cave Vol. I. p. 246—49. — C. Oudin Dissert. de Vita et Scriptis s. Gregor. Naz. (T. I. col. 613—52.). J. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. VIII. p. 383—437. — A. Benoît, St. Grégoire de Nazianze, archevêque de Constantinople et docteur de l'Eglise, sa vie, ses oeuvres et son époque. Paris 1877. — Cf. Chevalier s. v. Grégoire.

S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

S. Gregorius, Nazianzenus ab urbe patria, *Theologus* ob strenuam defensionem divinitatis Filii et Spiritus S. dictus, magni Basilii „frater spiritualis“[1]), contemplativae potius, quam activae vitae deditus, magnis tamen pro Ecclesia rebus gerendis a Deo fuerat destinatus: nec unquam, quantumvis solitudinis et quietis amans, Deo vocanti, ut rebus Ecclesiae subveniret, defuit. Ita quae Basilius magno animo inchoaverat consilia, ipse diligenter adjuvit, et ad prosperum finem perduxit. Natus est Gregorius circa a. 326.[2]), in pago sub Nazianzo, Cappadociae civitate, constituto, cui nomen Arianzus[3]), ubi prae-

---

[1]) S. Gregor. Naz. ep. 80.

[2]) Nullum fere est dubium, quin s. Gregorius hoc circiter tempore (anno 326—329) lucem aspexerit; id enim ex propriis ipsius scriptis satis constat, vid. Carm. de Vita sua v. 512—13 item v. 112—130. et v. 238—39. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 442. Orat. 43. n. 25. et n. 82., ubi in eadem fere se ac Basilium aetate constitutum esse diserte adstruit. — Utrum s. Gregorius patre jam Episcopo, an statim post patris baptismum, antequam is ad Episcopale munus fuisset evectus, natus sit, ex primo loco supra citato non satis liquet; longe tamen verisimilius est, virum tam pium sanctumque Ecclesiae leges religiose observasse, de quibus testatur s. Epiphan. haer. 59. n. 4.; quin ipsa Gregorii nostri verba, si spectetur usus loquendi ipsi peculiaris aliunde notus (ex. gr. Poëm. lib II. Sect. I. carm. 1. v. 130—32. et v. 414—17. ib. carm. 17. v. 40. et Orat. 2. n. 95.), facile patrem tunc Christianum quidem, non vero Episcopum indicant. Hinc alia sententia, quae infirma utique Suidae auctoritate innititur, eumque circa a. 300. jam natum perhibet, sponte corruit. Vide plura in Clémencet Vita s. Gregor. n. 10—23. cf. Fabric. l. c. p. 384. Not.

[3]) Ita Concil. Constantinopol. II. Collat. V. (Mansi T. IX. col. 256—259.)

S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

dium paternum situm erat. Patrem is habuit Gregorium, olim ethnicis sacris addictum, postea vero uxoris monitis et precibus ad fidem christianam (circa a. 325.) conversum, aliquot annis post Episcopum Nazianzenum factum, quo munere dehinc per 45 annos functus est[1]). Mater autem Gregorii dicta est Nonna, egregiae pietatis mulier. Haec filium jam antequam nasceretur Deo vovit[2]), natumque puerum piissime educavit.[3]) Sed et Gregorius inde a teneris annis virtuti totum se dedit, atque propositum servandae continentiae virginalis, somnio quodam pio divinitus ut videtur immisso excitatus, vix adolescentiam attingens concepit.[4])

Intra domum paternam igitur primum instituta fuit Gregorii pueritia atque sacrarum litterarum studiis et omni virtutum genere informata, dein scholas patriae frequentavit. Cum aetate jam adolevisset Caesaream in Cappadocia petiit, ubi Basilium primum cognovit ut studiorum socium.[5]) Hinc Gregorius in Palaestinam tetendit, atque Caesareae in Palaestina profundam sacrae Scrip-

---

[1]) S. Gregor. Naz. Orat. 18. n. 5—15. cf. Carm. de Vita sua v. 51—56.

[2]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 424—49. carm. 11. v. 68—92. v. 194—97. carm. 45. v. 197—201. Orat. 18. n. 11. Orat. 2. n. 77.

[3]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 93—101 et v. 1258—59. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1 v. 437—54. et v. 275—78. Orat. 7. n. 4.

[4]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 45. v. 201—312. carm. 1 v. 454—66. cf. carm. 11. v. 101—111. — Plane caecutiunt, qui s. Gregorium matrimonio postea junctum fuisse suspicantur, ut Beveregius et L. A. Muratorius; disertis enim verbis s. Gregorii adversari audent, qui de se ipse testatur: „Matrimonii vinculo nunquam adstrictus sum“ (lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 63. cf. v. 601—612.); „corpore virgo sum“ lib. I. Sect. II. carm. 9. v. 48.), „iis desiderans jungi, qui perpetuae castitatis vigore florent“ — ἀειθαλέων (lib. II. Sect. I. carm. 45. v. 284). Vid. etiam Carm. de Vita sua v. 280—83. Cf. Clémencet Praef. generalis P. II. §. II.

[5]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 13. 14. et 15. Quanta vero litterarum laude Caesarea Cappadociae tunc celebrata fuerit, patet ex Euseb. Vita Constantini lib. 4. c. 43. item ex s. Basil. ep 74. n. 3. et ep. 76. Cf. Clemencet Vita s. Gregor. n. 27—30. Prud. Maran. Vita s. Basil. c. 1. n. 6.

turae notitiam, jam olim ibi vigentem comparavit; Thespesio etiam, celeberrimo illius aetatis rhetore, magistro usus in arte rhetorica se magis excoluit[1]). Postea Alexandriae quoque studiis incubuit, et demum itinere maritimo, in quo ex praesentissimo vitae periculo Dei misericordia salvatus est, Athenas petiit c. a. 350.[2]) S. Basilio ibidem intima amicitia nexus est, amboque tum ingenio et studiis assidue cultis, tum virtutum exercitio, magnam laudem acquisiverunt. Sed et Julianum Apostatam qui tunc Athenis studiis operam dabat, ibi Gregorius novit, jamque male de ipso auguratus est, quum ejus habitum moresque conspiceret[3]). S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

Paulo post Basilium (a. 355) etiam Gregorius Athenis discessit, atque cum fratre Caesario, quem insperato Constantinopoli invenerat, in patriam domum reversus est circa annum 356[4]). Hic statim baptismum suscepit, tumque voto, quod olim emiserat, iterum edito totum se ab eo tempore Deo consecravit[5]). Sequentibus annis in solitudine, partim Arianzi apud Nazianzum, partim in

---

[1]) S. Gregor. Naz. Orat. 7. n. 6. cf. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 113.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 121—211. item Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 907—321., ubi versibus seqq. (v. 322—38.) alia etiam describit vitae discrimina, in quae variis temporibus incidit. Tam hic, quam Orat. 2. n. 77. istarum calamitatum effectus in se productos ita exhibet: „periculis confirmatus sum" scil. in proposito totum se Deo mancipandi. Vid. etiam Orat. 18. n. 31. De tempore, quo s. Gregorius Athenas pervenerit, vid. Clémencet Vita s. Gregor. n. 37.

[3]) V. Orat. V. seu Invectiva II. in Julianum n. 23. sqq.

[4]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 237—64. Orat. 43. n. 24. Orat. 7. n. 8—9. De hujus reditus tempore vid. Clémencet Vita s. Gregorii 48.

[5]) Gregor. Presbyt. Vita s. Gregor. Naz. (p. CXXXIII). s. Gregor. Naz. lib. II. Sect. I. carm. 2. Carm. de Vita sua v. 1101—04. Orat. 24. n. 3. Orat 4. n. 100. Orat. 6. n. 5. Orat. 2 n. 77. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 63—102. Lib. II. Sect. I. carm. 34. v. 153—74. De voto, quod olim Deo nuncupaverit, ipse testatur Orat. 2. n. 6. collato quoad usum loquendi Carm. de Vita sua v. 524. — De baptismo ipsius illud quidem satis certum est, eum tempore periculosi itineris maritimi, quo Alexandria navigavit in Graeciam, nondum baptizatum fuisse; sed utrum postea Athenis ut nonnullis videtur, an redux demum

S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

Ponto apud s. Basilium (a. 358 vel 359) vixit.[1]) — Haud multo post tamen ex contubernio monastico Basilii, pietate in parentes motus in paternam domum rediit[2]).

Videtur vero jam tunc, a. 360, Constantio Imp. adhuc vivente, accidisse, ut Gregorius senior Nazianzi Episcopus Arianorum fraude deceptus formulae Ariminensi subscriberet. Quae res tanta indignatione monachorum Nazianzi animos commovit, ut confestim ab ejus communione discederent, suoque exemplo magnam partem populi in eandem secessionem pertraherent. Hac occasione igitur Gregorius videtur ex solitudine rediisse Nazianzum, ut conatibus suis pacem restitueret; quod felici successu etiam fecit. Varii auctores hunc eventum referunt ad a 362 vel 363; sed potius jam ante, scil. a. 360, ista evenisse dixeris, quum Constantius Imp. adhuc viveret et acceptatio formulae Arminiensis vehementius urgeretur. Vidimus, eodem tempore etiam Dianium Episcopum Caesariensem simili fluctuatione in fide vacillasse, ita ut s. Basilius per aliquod tempus ab ejus communione discesserit.

Haud multo post reditum suum Gregorius, invitus licet et repugnans, auctoritati tamen patris cedens plebisque votis expetitus presbyter ordinatus est, in festo Nativitatis Domini a. 361. Attamen aegre ferens *tyrannidem* ejusmodi animoque commotus, iterum in Pontum ad Basilium aufugit, ut ibi quid sibi agendum maturius deli-

---

in patriam baptismo sit initiatus, non omnino constat. Cf. Clém. Vita s. Gregor. Naz. n. 53.

[1]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 277—329. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 135—64. Orat. 43. n. 25. Orat. 7. n. 9. Huc pertinent s. Gregorii Naz. ep. 1. et 2. ac s. Basil. ep. 14. Cf. Prud. Marani Vita s. Basil. c. 3. n. 6. et Clém. Vita s. Gregor. Naz. n. 51—52 n. 58—62.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 2. n. 6. et 7. Post reditum ex Basilii contubernio monastico in domum paternam idem Gregor. scripsit ep. 4. 5. et 6. Cf. etiam Orat. 6. n. 2—3. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 275—303. carm. 34. v. 153—74. et carm. 45. v. 121—161. et v. 277—312. Carm. de Vita sua v. 327—29. Orat. 2. n. 103. De Philocalia vid. s. Gregor. Naz. ep 115. Cf. supra §. 84. Nota ad n. 4. et 5. De regulis monast. vid. §. 143. Nota ad n. 4. et 5. Cf. Clémencet Vita s. Gregorii n. 63—69.

beraret. Rediit tamen versus festum Paschatis a. 362, civiumque hortatu die Paschatis in medium ecclesiae prodiens habuit Orationem (I) brevem de festo, aliamque paulo post habuit (III). Quumque ejus discessum in Pontum ad reditum varii carperent, ita quidem ut et superbia ductum eum assererent, ac si potius ad episcopatum adspirasset, Oratione (II) seu libello *apologetico de fuga sua* sese defendit. Humilitate ac reverentia officii sacerdotalis eum in hisce motum fuisse ex hoc scripto plene liquet.[1]) S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

Subsequentibus annis Gregorius patri senescenti in grege pascenda adfuit. Juliano Imperatore fatis functo, adjuvante et consiliante Basilio (Or. V. n. 39.), duas illas celeberrimas Orationes *Invectivas adversus Julianum* conscripsit, quasi nobilissimum aeternumque titulum christianae victoriae de impietate prostrata.[2]) Multas molestias tulit, post mortem Caesarii fratris, in disponendis rebus domesticis et in exsequenda voluntate fratris, qui moriens egenos et pauperes instituit haeredes. Direptionibus enim fraudibus et litibus intentatis homines impii ultimum pii fratris mandatum evacuare conati sunt; sed iis restitit Gregorius pauperibusque, prospero ut videtur successu, haereditatem studuit vindicare.[3])

---

[1]) V. S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 337—64. Orat. 1. n. 1. et 2. Orat. 2. n. 1. 6. 87. et 115., et Orat. 3. — De tempore rerum tunc gestarum, de Orationibus ad de Apologia, vid. Clém. Vita s. Gregorii n. 70—72. P. Marani Vita s. Basilii c. 8. n. 2. Ullmann Greg. v. Nazianz. p. 45. sqq.

[2]) S. Gregor. Naz. Orat. IV. es V. Cf. Clém. Monitum his Orationibus praefixum et Vita s. Gregorii n. 82. Prud. Marani Vita s. Basilii c. 8. n. 10.

[3]) V. Gregor. Naz. Orat. 7. Epitaph. VI—XXI. Carm. de Vita sua v. 365—85. item Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 1. v. 165—234. ep. 7. 20 et 29. S. Basil. ep. 26. 32. et 33. Socrat. lib. 4. c. 11. Cf. Clém. Vita s. Gregor. n. 86. Prud. Marani Vita s. Basilii c. 12. n. 1. et 5. Hujus *Caesarii* nomine *Quaestiones et Responsiones* 197 distributae in Dialogos IV. hodie circumferuntur, sed merito eidem communi fere eruditorum consensu abjudicantur. Vid. Clémencet Monitum Gregor. Nanz. Orat. VII. praemissum n. 8—10. Ceillier Tom. VII. Chap. I. Art. VII. n. 7. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. c. 9. n. 9. Galland Biblioth. T. VI. Prolegom. c. 1. Editio optima in eadem Galland. Biblioth. T. VI. (p. 1—152.) Migne P. G. T. XXXVIII.

S. Gregor. Naz. Vita usque ad Episcopat.

Postquam a. 370. Basilius, opera potissimum Gregorii patris et filii interveniente, Episcopus Caesareae constitutus fuerat (vid. §. 101.), Gregorius prudenti consilio usus ejus congressum aliquamdiu declinavit, ne malevolorum obtrectationi locus pateret.[1]) At simul rectae fidei tuendae praecipuam navavit operam. Ubi enim anno sequenti Valens Imperator Nazianzi commoratus confectum senio aggressus est Episcopum, is filio subveniente gloriosum de illo triumphum reportavit.[2]) Basilium quoque paulo post in defendenda fide insigniter juvit. Basilius enim propter temporis augustias eam inierat rationem, ut ipse quidem in tradenda doctrina de Spiritu S. prudenti oeconomia usus omnia divinitatis attributa eidem vindicaret, Dei tamen nomine abstineret (§. 101.), Gregorio autem, quem ob nominis locique obscuritatem nemo esset accusaturus et in exilium ejecturus, Spiritum S. Deum praedicandi libertatem committeret.[3])

§. 107.

S. Gregorius Nazianz. Vita ejus inde ab Episcopatu (371—389.)

Vita inde ab Episcopatu.

Vidimus, difficultates obortas esse, quum Cappadocia divideretur in duas provincias, inter s. Basilium et Anthimum Tyanensem Episcopum, qui sibi metropolitae jura vindicabat. Basilius a. 372 dissidium in utilitatem ecclesiarum vertere nisus est, multiplicatis sedibus Episcopalibus. Harum in numero sedium quas erexit Basilius, fuit etiam Sasimorum oppidum, ignobilis locus in confinio utriusque provinciae metropolitanae situs. Huic sedi Gregorium amicum suum praeficere statuit; forte ut efficacius hac ratione jura sua in Sasimorum gregem contra Anthimum tueri posset. Venit ipse Basilius Nazianzum et s. Gregorium juvante ipsius patre, compulit, ut quam-

[1]) S. Gregor. Orat. 43. n. 39. item ep. 45. et 46.
[2]) S. Gregor. Naz. Orat. 18. n. 37.
[3]) Gregor. Naz. Nrat. 43. n. 69.

vis invite consecrationem acciperet.[1]) Sed mox negotium hoc ei admodum exosum factum est, eo vel magis, quod Anthimus quoque Nazianzum veniret, in suas partes Gregorium pertrahere studeret, et quum id non valeret, acrius quae facta erant ei exprobraret. Hisce molestiis Gregorius commotus ecclesiae Sasimorum praeesse renuit, et in solitudinem secessit. Nec exinde hac in re Basilii desideriis acquievit; rediit tamen paulo post Nazianzum, ac Basilium quidem cum Anthimo reconciliare nisus est,[2]) patri vero suo coadjutorem in ecclesia Nazianzena regenda se praebuit. Futuram vero successionem in hac ecclesia firmiter declinavit.[3])

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

---

[1]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 59. Orat. 9. n. 5. Orat. 10. n. 2. et 3. Carm. de Vita sua v. 386—489.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 492—97. item ep. 50. Ad hanc Gregorii ordinationem tres pertinent ipsius Orationes, nempe IX. (ol. 7.), X. (ol. 5.) et XI. (ol. 5.) Sed haud parum difficultatis haeret in figendo ordine, quo istae semet excipiant. Is vero, omnibus sedulo expensis, talis videtur: Orat. XI. (ol. 6.) habita videtur ante fugam paucis post ordinationem diebus, cum Gregorius Nyssenus Episcopus a Basilio missus Nazianzum venisset, ut gentilem suum consolaretur, ac Spiritui mansuefaceret. Orat. X. (ol. 5.) habita est post reditum a fuga animo jam pacato; in hac enim (n. 2.) epistolam 48. antea scriptam aperte indicat, et asperius dicta recantat. Or. IX. (ol. 7.) probabiliter in secessu scripta est, cum reditum pararet et Sasimis forte adhuc institui vellet, sed nunquam vere habita est, quia Sasimis nunquam institutus est Episcopus. Quod autem, etsi Sasimorum Episcopus designatus ordinatusque, nunquam ibi institutus fuerit, ipse declarat, Carm. de Vita sua v. 495—96. v. 528—32. et v. 1810—11. item Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 93—97. ep. 182. et 183. Qua de re vid. Clémencet Praefat. general. P. II. §. IV. (p. XXXIV—XXXIX.). Cf. de tota historia ordinationis ejus, de Orationibus ea occasione habitis, atque epistolis tunc scriptis Clém. Vita Gregorii n. 96—107. P. Marani Vita s. Basilii c. 22. et c. 24. n. 2. 5. 6. Uterque seriem paulo aliter disponit, minus tamen recte, ut videtur.

[3]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 495—525. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 19. v. 51—56. Multi Scriptores veteres et recentiores Gregorium Nazianzenae Ecclesiae Episcopum appellant, ut Socrates (lib. 4. c. 11. lib. 5. c. 7.), Sozomenus (lib. 6. c. 17.), Gregorius ejus Vitae scriptor (in titulo), imo etiam Rufinus (Hist. Eccles lib. 11. c. 9), s. Hieronymus (de Scriptor. eccles. c. 117.), et C. Bellarminus. Verum adeo diserte Gregorius negat, se fuisse Nazianzi Episcopum, ut ipsi

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

Exeunte anno 373 vel ineunte anno 374 obiit Gregorii pater, centum fere annos natus; ac paulo post (a. 374) eum secuta est Nonna Gregorii mater.[1]) Post obitum parentum cum religiosi quidam homines obsecrandi finem non facerent, ut ecclesiae Nazianzenae gubernacula retineret, tandem precibus eorum motus, ne ipsius discessus gravia damna inferret, perbrevi adhuc temporis spatio curam aliquam ecclesiae Nazianzenae, non vero tanquam propriae sed tanquam alienae, ceu hospes gessit.[2]) Celebratur maxime ejus in pauperes sollicitudo. — Quum vero fideles Nazianzeni non obstantibus Gregorii precibus in dies cuntarentur, ut alium Episcopum constituerent, Gregorius a. 375 clam civitatem reliquit, seseque contulit Seleuciam Isauriae, ubi non modico temporis intervallo commoratus est, variorum obrutus mole negotiorum. Ibi et gravi morbo initio a. 379 decubuit, eodemque tempore nuntium lugubrem de morte s. Basilii recepit, unde ingentem animo concepit dolorem, quasi media sua parte multatus.[3])

Quum porro eo tempore tristissimus esset status ecclesiae Constantinopolitanae, ubi Ariani omnino praevaluerant, multi ex illa regione fideles et Episcopi precibus com-

---

fides non adhiberi non possit; vid. s. Gregor. Naz. ep. 87. 139. et 182. Carm. de Vita sua v. 521—44. praesertim v. 524. et v. 541—42. item Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 93—97. Cf. Clém. Praefat. general. P. II. §. IV. (p. XXXIX—XLI).

[1]) S. Gregor. Naz. Orat. 18. n. 38. Patrem Oratione funebri (Or. XVIII. ol. 19.), cui adjungas s. Gregor. Naz. Epitaph. 55—65., matrem defunctam variis carminibus (s. Gregor. Naz. Epitaph. 66—100.) prosecutus est pius filius. De tempore vid. Prud. Marani Vita s. Basilii c. 30. n. 1. Clémencet Vita s. Gregor. n. 118.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 526—37. item ep. 182.

[3]) S. Gregor. Naz. Carmen de Vita sua v. 538—55. ep. 76. et 80. Orat. 43. n. 80. Tunc etiam carmen funebre. duodecim epigrammatibus constans, sui in Basilium amoris et desiderii monumentum, exaravit; vid. s. Gregor. Naz. Epitaph. 119. (Opp. T. II. p. 1154—59.) Tandem biennio post Constantinopoli reversus eximiam de Basilii laudibus Caesareae habuit Orationem (Orat. XLIII.), in qua omnes ingenii vires et eloquentiae flores profudit. Cf. Clémencet Vita s. Gregorii n. 119. et 120. P. Marani Vita s. Basilii c. 40. n. 1.

pulerunt Gregorium, ut in illam civitatem proficisceretur, quo solatio et auxilio esset Catholicis periclitantibus, Cessit igitur precibus illis Gregorius seseque adhuc a. 379 Constantinopolim contulit.[1]) A cognatis quibusdam catholicis exceptus, primum quia Catholicis nulla jam amplius erat ecclesia, in domo privata sacros conventus egit. Locus ille exiguus, in ecclesiam postea mutatus ab ipso Gregorio nomen *Anastasiae* sortitus est, eo quod Nicaenae Synodi doctrina, per potentiam haereticorum oppressa ac veluti intermortua, Gregorii concionibus ibidem habitis suscitata revixit.[2]) Non obstante impugnatione vehementissima a parte Arianorum, qui maximas molestias sancto Doctori suscitarunt, is eloquentia, sapientia et pietate eo provenit, ut Catholicorum res restitueret multosque haereticorum ad sanam fidem reduceret. Inter egregios Sermones quos eo tempore habuit, eminent illi, qui *de Theologia* inscripti sunt. Dissidium quoque quod inter Catholicos exortum erat, praecipue ob schisma Antiochiae vigens, ubi Meletius et Paulinus separatos greges habebant, feliciter Gregorius composuit. Eo pertinet gemina Gregorii *de pace* Oratio. Altera dissentientes ad pacem hortatur, altera compositam pacem gratulatur.[3])

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

Ineunte anno 380 Theodosius Imperator protectionem religionis catholicae contra Arianos aperte suscepit, inde-

[1]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 583—608. cf. v. 1128. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 71—92. Orat. 33. n. 13. Orat. 36. n. 3. et 6. Orat. 43. n 2. Censet Baronius (ad. a. 378. n. 53.), a Synodo Antiochena habita mense Septembri a. 379. Constantinopolim missum fuisse Gregorium, quod aliqua ratione confirmari videtur ex ipsius Gregorii lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 81.; eam vero sententiam non satis firmam arbitratur Clémencet in Vita s. Gregorii n. 121.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 1120—25. et v. 1079—84. Praeclarum quoque exstat Gregorii carmen, quod inscribitur: *Somnium de Anastasiae ecclesia* (Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 16.) Vid. quoque Orat. 26. n. 17. et Orat. 42. n. 26. Sozom. lib. 7. c. 5. Cf. Clémencet Vita s. Gregorii n. 126—128.

[3]) S. Gregor. Naz. Orat. XXII. et XXIII. Conditiones hujus pacis initae vid. Socrat. lib. 5. cap. 5. et Sozom. lib. 7. c. 3. Cf. Clémencet Monitum priori Orationi praefixum.

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

que ad statum feliciorem res Catholicorum brevi adductae sunt. Jamque Gregorius sperabat, se tandem pace fruiturum esse; sed nova tempestas ei excitata est a *Maximo* Cynico. Maximus iste patria Alexandrinus, externa specie pietatis ac philosophiae habitum prae se ferens, atque martyrem se venditans, haud multo post Gregorium Constantinopolim venerat. Se insinuavit in animum Gregorii fraudis artisque dolosae nescium, isque etiam publica oratione eum laudavit et loco fidissimi amici et coadjutoris habuit.[1]) Jam tunc autem a suis Gregorius ut Episcopus Constantinopolitanus habebatur, ac Petrus Alexandrinus Episcopus litteris assensum praebuerat.[2]) Verum brevi post Maximus Episcopatui inhians, dolos in Gregorium machinatus est, eoque pervenit, ut Petrus Alexandrinus consilio mutato Episcopos Constantinopolim mitteret, a quibus Maximus manuum impositionem acciperet, et in sedem Constantinopolitanam eveheretur.[3]) Cum autem morbo Gregorius eo tempore detineretur, Maximus opportunam hanc occasionem nactus, una cum suis ecclesiam nocte occupavit, ut in ea ordinaretur Episcopus. Inde tamen expulsus a clero et populo, ordinatus est in domo quadam privata. Tantus porro civitatem tunc universam ob facinus tam indignum dolor invasit, ut Maximus cum Episcopis Aegyptiis statim ipsa urbe pelleretur.[4]) Gregorius autem eo facinore adeo perculsus est, ut discedendi ab urbe consilium caperet. Verum fidelium precibus commotus, consilio suo destitit, ac satis habuit paululum secedere in rus, ut corporis animique vires ea tempestate

---

[1]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 736–814. et v. 954—98. praesertim v. 968—71. Orat. XXV. de qua cf. s. Hieron. de Scriptor. eccles. c. 117.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 780—83. et v. 856—64.

[3]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 815—86.

[4]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 887—953. et v. 999—1000. De posterioribus impostoris hujus fatis vid. ibid. v. 1001—1029. S. Damasi P. ep. 8. et 9. S. Ambrosii ep. 13. Concil. Constantinopol. I. can. 4. Sozom. lib. 7. cap. 9. Cf. de hoc Maximo Clémencet Monitum in Gregor. Naz. Orat. 25. Pagi Crit. ad a. 379. n. 8—12. Tillemont l. c. Art. XL—XLIII.

nonnihil laesas restauraret. Non ita multo post redux orationem habuit, quae miram pastoris erga oves caritatem spirat.[1]) S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

Ubi dein mense Novembri aut Decembri a. 380 Theodosius Imperator Constantinopolim venit, basilicam majorem Arianis ademptam Gregorio tradidit; eaque occasione Gregorius unanimi plebis clamore petitus est Episcopus, quamvis tum onus illud modeste recusaret.[2]) Brevi elapso tempore a plebe raptus et in sede Episcopali invitus collocatus est. Quod quum adversarii quidam vitio ipsi darent, Oratione adhuc mense Decembri a. 380 ut videtur habita relationem suam ad sedem Constantiopolitanam declaravit, expendens quid tandem populum istum adeo sibi devinciret; invidiam porro adversariorum vehementer exigitavit, contra eorum calumnias et temeraria judicia probans, haudquaquam se cathedram Constantinopolitanam affectasse; denique ad gregem suum conversus omnibus ordinibus, Imperatori praesertim ac magistratibus, praeclara tradidit vitae praecepta.[3])

Anno sequenti (381) mense Majo, curante Theodosio Imperatore, Constantinopoli Concilium Episcoporum Orientis habitum est, (Concilium oecumenicum secundum postea nuncupatum). Aberant initio Episcopi Aegypti. Status primum ecclesiae Constantinopolitanae in meliorem ordinem redactus est. Reprobata igitur ordinatione Maximi tanquam illegitima, electio Gregorii communi Patrum calculo confirmata, ipseque in sede Constantinopolitana multum quidem gemens, non tamen ut antea repugnans, collocatus est a s. Meletio Concilii praeside caeterisque Pa-

---

[1]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 1036—1112. Ea occasione populus ipsi acclamavit: *συνεκβαλεῖς σαυτῷ Τριάδα* (v. 1100), i. e. tecum pariter ss. Trinitatis cognitionem et cultum ex hac urbe abduces. Postquam reversus est rure, habita est Oratio XXVI.

[2]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 1273—1395.

[3]) S. Gregor. Naz. Orat. XXXVI. vid. praesertim n. 2. et 11, quibus tempus hujus Orationis sat aperte designatur. Recte autem a Clémencet in Monito praevio n. 2. medio circiter Decembri a. 380 collocatur.

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

tribus. Eam vero unam ob causam in sede illa haud aegre collocari se passus est, ut Orientales et Occidentales, quorum alii quoad dissidium Antiochiae vigens pro Meletio, alii pro Paulino stabant, ad concordiam revocaret et luctuosum schisma exstingueret.[1])

In ipso hoc Concilio e vivis excessit s. Meletius, Antiochiae Episcopus, postquam insigni oratione Praesules congregatos ad concordiam hortatus fuerat. Justis ejus memoriae persolutis, nonnulli, neglecto pacto inter s. Meletium et s. Paulinum inito, ut qui alteri superstes esset toti ecclesiae Antiochenae praeesset, de successore Meletio subrogando ad Concilium retulerunt. Gregorius autem viribus omnibus contendit, pacta esse servanda, nec Meletio ordinandum esse successorem. Juniores potius Episcopi, qui scilicet Valentis tempore, pulsis in exilium orthodoxis praesulibus, sedes vacantes Arianorum favore occupaverant, tanto nomine et munere ex parte saltem minus digni[2]), contra Gregorium hac in quaestione surrexere; ab iisque seniores nimis facile se passi sunt abduci rationibus futilibus innixi. In sua tamen sententia Gregorius, vir justi rectique tenax, constanter persèveravit[3]), contestatus, se throno Episcopali potius cessurum, quam ut eos sequeretur. Illa Synodi adversus optima Gregorii consilia reluctatio tantum ejus animo dolorem injecit, ut aegra

[1]) S. Gregor. Naz. Carm. de Vita sua v. 1506—71. v. 1812—14. v. 1918 et v. 1933. Hinc s. Gregorius revera fuit Episcopus Constantinopolitanus; olim praecesserat ordinatio Episcopalis, accesserunt plebis illius ecclesiae suffragia, subsecuta est Concilii confirmatio cum installatione. Cf. s. Hieron. Comment. in Isaiam lib. 3. c. b. v. 1. Theodoret. Hist. Eccles. lib. 5. c. 8. Socrat. lib. 5. c. 8. Sozom. lib. 7. c. 7. Clémencet Praefat. generalis P. II. §. IV.

[2]) Mirum esse non debet, si ejusmodi Episcopos tempori etiam in rebus fidei nonnihil servientes, partiumque studiis nimium addictos, nonnunquam acrius exagitat Gregorius, ex. gr. Carm. de Vita sua v. 1681—1765. et Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 152—176.; vid. Clémencet Praefat. general. P. II. §. I.

[3]) Hoc eodem tempore, cum ex Gregorii amicis nonnulli ejus constantiam tentarent, ut suaderent id, quod de Flaviano in Meletii locum substituendo cogitabant, repulsam ab eo passi sunt; tumque exaravit Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 13.

etiam valetudine correptus a conventibus se subducere et de secessu cogitare coeperit. S. Gregor. Naz: Vita inde ab Episcopatu.

Interim Aegyptii et Macedones advenere Episcopi, qui, se inconsultis et sero vocatis, Gregorium loco Maximi in sedem Constantinopolitanam evectum fuisse, inique tulerunt, variosque adversus hanc ejus promotionem allegarunt rationes vel praetextus; etsi caeteroquin Gregorio non essent infensi. Quapropter Gregorius id quod animo jam conceperat exsequi decrevit, ut se videlicet Episcopatu Constantinopolitano abdicaret, praesulesque exoravit, ut ad sedandam quam ipse in Ecclesia non excitaverat tempestatem, ipsum Jonae exemplo in mare praecipitarent. Abdicatio ab eo oblata a majori Episcoporum etiam orientalium parte cum approbatione excepta est, adeoque Gregorius Episcopatum Constantinopolitanum dimisit, atque etiam ab Imperatore, etsi aegre, discedendi facultatem obtinuit.[1]) Ante discessum in primario urbis templo coram 150 Episcopis populoque Constantinopolitano egregiam habuit orationem, qua, ut omnes adversariorum calumnias luculenter dilueret, tristem ecclesiae Constantinopolitanae statum ante suum adventum cum prospera conditione, qualis jam esset, comparat, fidem de Trinitate exponit, dissidia Episcoporum conqueritur, demum omnibus extremum vale dicit.[2]) Dein Constantinopoli medio a. 381 discessit.

Cum per id temporis ecclesiae Nazianzenae sedes vacaret, eique Apollinaristarum imminerent incursus, Gregorius aeger in patriam reversus, postquam in solitudinem paulisper secesserat, iterum paternae ecclesiae, non tamen

---

[1]) Totam hanc rerum gestarum seriem fuse describit ipse Gregorius Carm. de Vita sua v. 1572—1918. cf. Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. Veras causas, quibus adversarii ejus movebantur, Gregorius indicat Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 136—47. et v. 248—49. carm. 14. v. 25—38. carm. 30. v. 13—18. item carm. 10. Orat. 42. n. 14. Quo autem in statu discedens reliquerit fidem, ipse rursus declarat Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. v. 115—35. Cf. de hac resignatione imprimis Sozom. lib. 7. c. 7.

[2]) Orat. XLII., quae certe inter praestantissima artis oratoriae monumenta referri meretur, et incredibili eloquentiae vi animos percellit.

S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

ut proprius Episcopus, curam suscepit, quamdiu et quatenus infirma valetudo id permitteret, eoque in munere egregium sibi adjutorem Cledonium presbyterum adscivit, cui valetudinis causa in praedio paterno commorans binas egregias misit epistolas, quibus omnes Apollinaristarum errores penitus contrivit.[1]) Cum tamen cleri populique pars aegre ferret frequentem Episcopi absentiam, nec morbi vis remitteret, Gregorius conscientiae suae timens gubernacula ecclesiae Nazianzenae abdicavit, neque ab amicis et Episcopis ultra moveri potuit, ut ea susciperet. Sic demum Eulalius vir pietete insignis ecclesiae Nazianzenae Episcopus ordinatus est.[2])

Ex eo tempore Gregorius, voti compos factus, ruri vitam monachi exercuit, solis pietatis exercitiis vacans. Dei laudes assidue celebrans, ejusque misericordiam implorans.[3]) Otium vero nactus et solitudinem primo quidem composuisse videtur *Carmen de Episcopis*, in quo stilo sat acerbo conqueritur de hominum ingratitudine ac multorum illius aevi Episcoporum malignitate; tono dein mitiori *Carmen de Vita sua* conscripsit, necessarium ratus, ut famae suae consuleret adversus rumores, quos aemuli ejus spargebant.[4]) Nectario etiam successori suo in sede Constantinopolitana, nequaquam succensus fausta quaeque imprecatus est, eumque, si res exigere viderentur, officii benigne commonefecit.[5]) Anno 382. ab Imperatore Theodosio accersitus ad Concilium Constantinopolitanum, in

---

[1]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 19. v. 61—104. Carm. 30. v. 23—226. cf. ep. 182. fin. ep. 89. 138. 139. 152. et 122. Celeberrimae hae duae epistolae ad Cledonium sunt ep. 101. et 102. (ol. Orat. 50. et 51.). Cf. de hoc Cledonio Poëm. lib. II. Sect. II. carm. 1. v. 120—29.

[2]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 19. v. 68—104. item ep. 152. 153. 157. 182. et 183.

[3]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 117. S. Gregor. Nazianz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 34. et 44. carm. 45. v. 111—172 item ep. 107. 108. 109. 110. 111. 113. 116. 117. 118. 119. et 203.

[4]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 12. et carm. 11.

[5]) S. Gregor. Naz. ep. 88. 91. 151. 185. 186. et ep. 202. (ol. Orat. 46.)

quo turbata ecclesiarum pax et concordia restituenda foret, Gregorius, infelici omnium, quibus adfuerat, Synodorum exitu ad memoriam revocato, suas, quominus Augusto pareret, graves infirmitates fere continuas obtendit.[1]) Quamvis autem Synodos vitaret Gregorius, eum tamen nihilo secius ecclesiarum provida tenuit sollicitudo; neque enim, morbis licet saepissime impeditus, unquam destitit, haereses, praesertim Apollinaristarum impugnare, ecclesiis prospicere, Constantinopolitanae maxime et Nazianzenae, ordinem et pacem conservare, civitatum, familiarum ac singulorum etiam hominum curam gerere.[2]) Demum laboribus ac curis, senio morboque confectus obiit a. 389 vel 390. S. Gregor. Naz. Vita inde ab Episcopatu.

§. 108.

Opera s. Gregorii Nazianzeni. — *Orationes.*

Omnia sancti hujus Doctoris Opera ad tres classes commode revocantur, quarum prima *Orationes*, secunda *Epistolas*, tertia *Poëmata* complectitur. S. Gregor. Naz. Opera.

I. *Orationes quadraginta quinque* s. Gregorii Nazianzeni hodie supersunt[3]), quarum varia iterum genera distingui possunt. Principem haud dubie locum inter easdem occupant

1° *Orationes dogmaticae;* inter quas eminent *Orationes quinque de Theologia*[4]) quae tantae admirationi saeculis posterioribus fuerunt, ut Gregorius inde *Theologi* cognomen meruerit.[5]) Has Orationes habuit Constantinopoli contra Eunomianos et Pneumotomachos; nostris vero diebus

---

[1]) S. Gregor. Naz. ep. 124. 130. 131. item Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 17. v. 91—109.

[2]) Vid. s. Gregor. Naz. ep. 132. 133. 135. 136. 173. ep. 121. ep. 141. Poëm. lib. I. Sect. I. carm. 10 et 11.

[3]) Ap. Migne P. G. T. XXXVI.

[4]) Orat. XXVII—XXXI. Nomen hoc: *Sermones de Theologia* ipse Gregorius adhibet Orat. 28. n. 1.

[5]) Vid. C. Baronii Vita s. Gregorii Naz. n. 86.

S. Gregor. Naz. Orationes.

magni momenti sunt, quia ex iis elucet, quid de Dei cognitione antiqui Patres docuerint. *Prima* oratio veluti praeparatoria est, in eaque Gregorius exponit, qualis debeat esse qui vult sermonem de Deo instituere, coram quibus et quo tempore, de quibus et quousque de Deo disserendum sit. — In Oratione *secunda* de Dei existentia, deque ejus essentia, attributis et incomprehensibilitate disserit; originem quoque idololatriae explicat. — Oratione *tertia* et *quarta* adstruit aequalitatem trium personarum ac divinitatem Filii, et plerisque Eunomii sophismatibus ex ratione deductis[1]), atque objectionibus e sacra Scriptura petitis respondet. — Oratione *quinta* probat. Spiritum sanctum esse personam divinam, non generatam esse ut Filium, sed procedere; argumenta deducit tam ex sacra Scriptura quam ex Traditione, et objectiones haereticorum dilucide confutat.[2])

Adjunguntur his 2° *Orationes apologeticae* seu Orationes duae *invectivae* (*λόγοι στηλιτευτικοί*) *in Julianum Imperatorem.*[3]) — In *priori* (IV.) Oratione, cum Juliani im-

[1]) Eadem fere hic (Orat. III.) occurrunt sophismata Eunomii, eodemque modo diluuntur, prout in s. Basilii lib. I. et II. adversus Eunomium.

[2]) Similis argumenti ac Orationes de Theologia sunt Oratio XXXII. (ol. 26.) et Orat. XX. (ol. 29.). In Orat. XXXII., quae inscribitur: *De moderatione in disputationibus servanda*, ostendit, nec cujusvis hominis, nec cujusvis temporis esse de Deo disputare; praesertim laicis illud plurimum dissuadet, cum res plena sit periculi, animaeque salutem impediat potius, quam promoveat; et argumentum hoc plane egregie prosequitur. — Orat. XX. eos primum carpit, qui nec sacrarum litterarum cognitione instructi, nec vitae sanctitate commendabiles in ejusmodi disputationes se immitterent. Dein fuse de ss. Trinitate disserit, et impia Sabellii Ariique dogmata doctrinae simul ac fidei gladio deturbat; naturae unitatem in Deo cum personarum distinctione invicte asserit, ac diserte exposita divinae humanaeque generationis differentia, monet, Filii a Patre generationem et s. Spiritus processionem a Theologis non esse curiosius inquirendam.

[3]) Oratio IV. et V. (ol. 3. et 4.), quas etiam separatim graece ed. R. Montagu. Etonae 1610. in 4°. — De ratione inscriptionis, qua Orationes istae circumferuntur, vid. Orat. 5. n. 42. et Nota c. ad Orat.

probitatem ac perversitatem infamia notandam suscepisset, totam ejus vitam et omnem nequitiam graphice depingit, praesertim vero exponit, quae tum ipse Apostata, tum eo imperium tenente atque connivente alii ad destruendam Christi fidem, vel fraudulenta vel violenta adhibuerint media: et frequenter tum ex miris effectibus, tum ex ipsa indole religionis christianae, demum ex variis Juliani legibus, quibus christiana instituta in ethnicismum transferre curavit, religionis christianae excellentiam demonstrat. — Transiens ad *alteram* Orationem (V.) s. Gregorius quid in praecedenti effecerit, quidque ipsi jam propositum sit hisce edicit: „Ac primum quidem sermonum meorum certamen confectum et absolutum est. Etenim hominis improbitatem ac perversitatem abunde ostendi, tam per ea quae adversus nos perpetravit, quam quae facere parabat, sic videlicet animo comparatus, ut ad praesentes acerbitates aliquid quotidie gravius excogitaret. Nunc vero alium jam orationis scopum, ad quem haud scio an quisquam collimarit, tum apud Deum sanctiorem, tum nobis jucundiorem, atque adeo posteris utiliorem, nobis proponemus: nimirum ut ad ea quae superius a nobis dicta sunt, justas Dei lances adjungamus, easque poenas quibus improbitas compensatur, aliis nimirum statim, aliis autem aliquando post occurrens, prout, opinor, artifici Verbo, rerumque nostrarum arbitro et moderatori visum fuerit: qui, ut calamitatem misericordia reprimit, ita etiam ignominia et flagris pro eo animadversionis modo, quem ipse perspectum et exploratum habet, temeritatem ac insolentiam coërcet“ (n. 1). Describit igitur hac in Oratione quae Juliano acciderunt adversa et ignominiosa, tum in Palaestina, ubi Judaei quibus licentiam reaedificandi templum dederat, prodigiis divinis coacti sunt ut a coeptis desisterent, tum in expeditione contra Persas morte praematura et turpi sepultura. Ex quibus omnibus justitiam ac provi-

S. Gregor. Naz. Orationes.

IV. titulum. Cf. etiam Clémencet Monit. in utramque Orationem. — Earum quoque meminere Socrat. lib. 3. c. 23. S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 117.

S. Gregor. Naz. Orationes.

dentiam divinam commendat, ac fideles ad confidentiam in Deum adhortatur.[1])

3° Una solummodo exstat *Oratio exegetica*[2]), quae non est nisi Homilia hodierno istius vocis usu, in qua primum Evangelii (Matth. 19, 1—12.) verba refert, moxque singula pertractans ea mirum in modum eruditissime exponit. In illa praecipue de divortio ejusque causis agit; docet, matrimonium laudabile esse, cum prolis procreandae gratia contrahitur, sed matrimonio virginitatem anteponit, de qua servanda egregia tradit praecepta; tum de eunuchis disputat, ac verba Christi: „quibus datum est", copiose et ornate explicat.

4° His accedunt *Orationes morales*, in quibus eminet

a) *Oratio Apologetica de fuga sua*[3]). Quum enim Gregorius, invitus atque repugnans presbyter ordinatus, fugisset in solitudinem Ponti, ut formidandum angelicis humeris onus declinaret, scilicet sacerdotis pastorisque munus, ecclesiae et animarum regimen, fuga isthaec plurimos offendit, quorum alii levitatem et imprudentiam, alii contemtum ordinis, nonnulli etiam altioris gradus cupiditatem ipsi objiciebant. Redux itaque longiorem hanc apologeticam Orationem scripsit, in qua duabus partibus ostendit, nec metum et secessionem suam, nec rursum animi promtitudinem et reversionem, quae pariter quorundam vituperia incurrerat, reprehendendam esse. In prima igitur parte causas fugae suae proponit, scilicet amorem solitudinis, quam voverat, et plurima

[1]) Operae pretium est advertere nimium fere in his Orationibus passim laudari Constantium, Juliani in Imperio praedecessorem, etsi is Arianis favorem praestiterit. (Cf. Orat. IV. n. 3. Orat. V. n. 16. 17.). In his quidem deprehenditur exaggeratio quaedam oratoribus sat assueta; sed quae dicuntur pro indole Orationum illarum non ad vivum resecanda, at cum grano salis accipienda sunt.

[2]) Orat. XXXVII. Constantinopoli habita a. 380.

[3]) Orat. II. (ol. 1.) Merito quidam Codd. optimae notae hanc Gregorii Orationem inscribunt: λόγος περὶ ἱερωσύνης (tractatus de sacerdotio). Ex hoc praeclaro Opere sex itidem libros de sacerdotio Chrysostomus, quatuor etiam curae pastoralis Gregorius M. ita hauserunt, ac veluti ex archetypo expresserunt, ut propemodum nihil aliud praestitisse videantur, quam dilatasse et amplificasse, quae a Gregorio Naz. acutius, brevius nervosiusque dicta fuerant. Haec Oratio latine edita est Antverp. 1573. in 8°. — Des hl. Gregor von Nazianz Vertheidigungsrede, deutsch übersetzt von W. Arnoldi. Mainz 1826; von Röhm, Kempten 1877.

ac gravissima sacerdotum sive pastorum munera, virtutes necessarias, difficultates et pericula, Dei in eos minas, prophetarum et Apostolorum oracula atque exempla (n. 2—101.). In altera parte reditus causas breviter exponit, quo pertinent amor in cives, parentum cura, inobedientiae timor ac periculum, et Jonae prophetae exemplum (n. 102—114.). Suscepto igitur Gregorius munere, quod refugerat, praeclare hic disserit de sacerdotii necessitate, dignitate, variisque officiis, ac fuse exponit, quanti momenti, quantae difficultatis sit cura animarum, et in specie munus concionatoris, quanta igitur cum reverentia ad sacerdotium accedere oporteat. S. Gregor. Naz. Orationes.

b) *Oratio de pauperum amore*[1]) habita est Caesareae; in illa mira doctrina et gravitate, eloquentia et argumentorum vi demonstrat, omnibusque inculcat, pauperes summa benevolentia et benignitate complectendos esse, ac divites omnes gravissimis rationum momentis ad hoc officium compellit.

c) Praeterea *Orationes de pace tres*[2]) habuit, quibus non minus discordiae et contentionis turpitudinem, in Christianis praesertim, vehementissime redarguit, quam pacem et concordiam omnibus eloquentiae viribus commendat, ejusque utilitates fusis extollit laudibus.

5° His commode junguntur *Orationes festivales*, quae aliquando pertractant dogmata, aliquando moribus formandis inserviunt. Huc pertinet

a) *Oratio in Christi nativitatem*,[3]) in qua mira, quae in mysterio Incarnationis Domini occurrunt, egregie exhibet, ac ut ejusdem necessitatem adstruat, breviter commemorata angelorum hominumque creatione, lapsum protoparentum describit; Incarnationis dein Jesu Christi veram notionem et emolumenta proponit; denique Christianos docet, qua ratione natalem Christi diem rite celebrare possint.

b) *Oratio in sancta Lumina*,[4]) i. e. festum Epiphaniae, quo baptismatis Jesu Christi solemnitas celebratur. Itaque hic de

---

[1]) Orat. XIV.

[2]) Orat. VI. XXII. et XXIII.

[3]) Orat. XXXVIII.

[4]) Oratio XXXIX. Luminum festivitas a Christi baptismo ortum habuit; baptismus quippe apud Graecos *Illuminatio* (φωτίσμος) dicebatur, quod nimirum Catechumeni per baptismum a peccati et vitiorum tenebris ad justitiae et veritatis lucem convolarent. Christus igitur in hac Oratione a Gregorio praedicatur ut lux vera illuminans mundum ac in tenebris etiam lucens. Vid. Orat. 39. n. 1. Quod autem festivitas haec jam tunc distincta fuerit a festo Nativitatis Domini, patet ex Orat. 39. n. 14.

S. Gregor. Naz. Orationes.

baptismo Christi verba facit, et postquam ejusdem effectus mirabiles paucis egregie descripsit, fuse ostendit, mysterium istud omnia Gentilium mysteria et legalia Judaeorum instituta longe superare; monita salutaria dein adjungit. — *Oratio in sanctum baptisma*[1]) non immerito velut altera praecedentis Orationis pars habetur; cum enim in priori Oratione Christus baptismum suscipiens consideretur ut vera lux illuminans hominem venientem in hunc mundum, in altera consideratur homo, quatenus est a Christo per baptismum illuminatus. In ea igitur Oratione baptismi praestantiam et miros effectus describit.

c) *Duae* porro *Orationes* exstant *in sanctum Pascha*,[2]) quarum una mysterium illud paucis, at egregiis verbis mirifice extollit, et Christianos docet, qua ratione tantum mysterium digne celebrare possint ac debeant: altera vero, postquam ab ipso Deo exorsus omnium Dei in nos beneficiorum recoluit memoriam, caeremonias Paschatis Judaeorum exponit, earumque verum sensum in passione Domini patentem mystice declarat.

d) *Oratio in novam Dominicam*,[3]) i. e. Dominicam in Albis, in qua ex ipsa indole festivitatis hujus, quam Redemtionis nostrae Encaenia vocat, rite exposita et demonstrata, ad novae vitae initium omnes hortatur, veris simul initium eleganter celebrat, et martyris Mamantis memoriam paucis recolit.

e) *Oratio in sanctam Pentecosten*.[4]) in qua de ipsa Pentecoste pauca nonnisi verba facit, ac per reliquum omnem Orationis tractum de Spiritu S. praeclare disputat, dum Pneumatomachis, quos

---

[1]) Oratio XL. probabiliter destinata erat, ut ipso die festo Epiphaniae una continua serie haberetur cum praecedenti; sed ne Oratio ista in nimiam excrescens molem taedium pareret auditoribus, alteram hanc partem in diem sequentem differre satius duxit; vid. Orat. 40. n. 1.

[2]) Orat. I. et Orat. XLV, quarum altera omnium prima, altera omnium postrema est, quas habuit Gregorius, aut certe quae ad nos pervenerunt. In Orat. I. Gregorius, judice Clémencet (Monit. n. 3.), resurgentis Christi mysteria cum defensione fugae suae, et utrumque cum praeceptis morum ita conjungit, ita singula singulis miscet, ut Oratio festivalis tota, tota moralis, apologetica tota paene possit appellari.

[3]) Orat. XLIV. De vera hujus festivitatis significatione vid. Orat. n. 44. n. 5. et 2. item Orat. 18. n. 29. Cf. H. Valesii Nota in Evagrii Histor. Eccles. lib. I. c. 3. Oratio haec Caesareae habita fuisse videtur, ubi s. Mamantis festivitas celebris erat. *Oratio in novam Dominicam* seorsim gr. et lat. excusa Notisque illustrata est a F. M. Haensel Lipsiae 1836. 8°. Idem in Prolegom. c. 2. et 3. (p. 8—14.) fuse et erudite de nova Dominica atque de s. Mamante disputat.

[4]) Orat. XLI.

blande ac modeste compellat, ejus divinitatem invicte demonstrat, praecipue varias ejus operationes in toto terrarum orbe eis ob oculos ponens. S. Gregor. Naz. Orationes.

6° Affines hisce sunt s. Gregorii *Orationes panegyricae et funebres.*

Huc pertinent *Oratio in laudem Maccabaeorum* (Orat. XV. ol. 22.), in qua Eleazaris senis, ac septem fratrum generosaeque eorum matris passiones et triumphos non ex libris Maccabaeorum sed ex libro quodam Josephi Flavii exponit, atque omnibus eloquentiae christianae ac religiosae floribus exornat; *Oratio in laudem s. Cypriani martyris* (Orat. XXIV. ol. 18.);[1]) *Oratio in laudem s. Athanasii* Magni (Orat. XXI. ol. 21.); *Oratio in laudem s. Basilii* Magni (Orat. XLIII. ol. 20.); *Oratio* funebris *in patrem suum Gregorium* (Orat. XVIII. ol. 19.); *Oratio* funebris *in fratrem* suum *Caesarium* (Orat. VII. ol. 10.);[2]) et alia in *sororem Gorgoniam* (Orat. VIII. ol. 11.), in qua egregias piissimae sororis dotes virtutesque eloquentissime prosequitur, ut ad imitationem simul et admirationem moveat, atque sub illius persona mulieribus conjugio mancipatis praestantissimum vitae exemplar proponit; denique *Oratio in laudem Maximi* Alexandrini, quae postea *in laudem Heronis philosophi* falso inscripta est (Orat. XXV. ol. 23.).[3])

7° Denique *Orationes occasionales* commemorandae veniunt. Harum pleraeque historiam vitae s. Gregorii concernunt, et ad singulares illius eventus referuntur, propriam sui ipsius defensionem continent, vel plebis salutem data occasione promovent.[4])

---

[1]) Notatu dignum est, in ea Oratione a s. Gregorio duos Cyprianos inter se confundi, unum Carthaginensem Episcopum, inclytum illum Martyrem, alterum Antiochenum, qui et ipse martyrio coronatus est, olim vero magicae arti deditus fuerat. Qua de re plura videsis in Monito, quod Clémencet huic Orationi praemisit, item in Prud. Marani Vita s. Cypriani n. I. et n. XXXVII, ubi etiam probabilis hujus permutationis causa affertur (pag. XXXIX. ed. Paris.).

[2]) Oratio haec seorsim prodiit graece Paris. 1820.

[3]) De hac inscriptione mutata vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 117. Cf. Clémencet Monit. in hanc Orat. Caeterum de isto Maximo vid. supra.

[4]) Orationes hujus generis plures jam in Vita Gregorii commemoratae sunt. Huc pertinent Orat. III., IX., X., XI., XII., XIII., XVII., XIX., XXVI., XXXIII., XXXIV., XXXV., XXXVI. et XLII.

S. Gregor. Naz. Orationes.

His accenseri debet *Oratio* habita *propter plagam grandinis.*[1]) In hac primo ad investigandas hujus calamitatis causas convertitur, easque longa ac multiplici peccatorum, quae Dei iram excitaverant, enumeratione exponit, deinde Nazianzenos hortatur, ut peccati fuga, lacrymis, compunctione cordis ac precibus ad divinam benignitatem confugiant.

Nota 1. Decem vel saltem octo s. Gregorii Orationes Rufinus Aquilejensis e Graeco transtulit in Latinum (v. Rufin. Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. et s. Hieron. Apolog. contra Rufin. lib. I. n. 30.), in quibus primum ac praecipuum locum obtinet Apologeticus ipsius, cum presbyter ordinatus fugisset in solitudinem. Praefixa est Orationibus istis latine versis Praefatio Rufini ad Apronianum amicum, quae etiam legitur in edit. Opp. s. Gregorii Coloniae 1690. T. I. Migne l. c. T. XXXVI. p 735. Versio haec Rufini, quae in editionibus graecolatinis Operum s. Gregorii Naz. (etiam in edit. Maurina) desideratur, excusa est Argentinae 1508. in 4°.

Nota 2. Perperam s. Gregorio Naz. adscribuntur: *Metaphrasis in Ecclesiasten* (ol. Or. 33.), cujus verus est auctor s. Gregorius Thaumaturgus, vid. supra §. 79. n. 3.; *Significatio in Ezechielem* (Migne l. c. T. XXXVI. p. 665.), seu potius breves et indigestae annotationes in Ezechielem et alia quaedam Scripturae loca, ignoti cujusdam auctoris; *Tractatus de Fide* (ol. Orat. 49.), et alius Tractatus perbrevis *de Fide Nicaena* (ol. Orat. 50.) unius ejusdemque latini potius, quam graeci auctoris esse videntur. (Ap. Migne inter Opera s. Phoebadii P. L. T. XX). Opera haec partim dubia, partim spuria editio Maurina cum Monito singulis praefixo exhibet in Append. T. I. Utrumque *de Fide* Tractatum s. Gregorio Nazianz. vindicare conatur Fontanini Histor. litterar. Aquilej. lib. 5. (Vita Rufini in edit. Vallars. lib. 2.) c. 8. n. 2. Cui adstipulantur fratres Ballerinii in editione Opp. s. Leonis M. T. III. Observatt. in XIV. Dissert. Quesnelli §. 1. (p. 945—950).

§. 109.

Opera s. Gregorii Nazianz. — *Epistolae et Poëmata.*

II. *Epistolae S. Gregorii* 243 hodie exstant[2]), quae omnes genuinae sunt, et mira argumentorum diversitate

---

[1]) Orat. XVI.

[2]) Migne P. G. T. XXXVII. — Epistola 243. in edit. Maur., quae inscribitur: *Ad Evagrium monachum de divinitate* (ol. Orat. 45.), cujus auctor propositam sibi interrogationem, quonam modo natura seu substantia divina simplex esse queat, cum tribus constet personis, ingeniose solvit, eamque rem multis illustrat exemplis, hodie ab Eruditis communi fere consensu suppositita habetur tum ob styli dissi-

ac varietate scribendi temperantur. In plerisque vero Gregorii epistolis plus micat ingenii, eruditionis et elegantiae, quam doctrinae circa religionem et disciplinam ecclesiasticam. Sunt tamen nonnullae, in quibus dogmata vel quaestiones morales summa perspicuitate tractantur. Caeterum in omnibus suis epistolis laconicam maxime brevitatem amat.[1])

S. Gregor. Naz. Epistolae.

1° *Epistolae dogmaticae* potissimum tres sunt, inter quas eminent prae caeteris *duae Gregorii ad Cledonium presbyterum epistolae.*[2]) In priori, postquam haereticorum novandi libidinem, fraudesque adhibitas, ut simpliciores decipiant, perstrinxit Gregorius, dogma christianum circa Trinitatem et Filii Dei Incarnationem proponit, atque Apollinaristarum maxime errores et figmenta singula insectatur, singulas objectiones destruit. Altera breviore eidem Cledonio mittit regulam fidei et canonem, ad quem pravas haereticorum doctrinas exigant Catholici; versutias porro atque sophismata Apollinaristarum aperit et dissolvit. Ejusdem generis est *epistola ad Nectarium*, Episcopum Constantinopolitanum (ep. 202.), in qua, deplorato misero

militudinem, tum ob pedestrem illius ac plebejum sermonem, qui Nazianzeni elegantiam et granditatem minime redolet, tum etiam ob Codicum Mss. in designando auctore discrepantiam, quorum scilicet nonnulli eam s. Gregorio Nysseno tribuunt. Modo plures auctores epistolam hanc s. Gregorio Thaumaturgo adscribunt (v. supra §. 79. n. 4). Epistolis tamen genuinis haud immerito addere licet Gregorii Naz. *epistolam ad Basilissam*, quae in edit. Maur. desideratur; reperitur vero in Galiand. Biblioth. T. VI. p. 450—51. cf. ibid. Prolegom. c. 5. n. 4., ap. Migne l. c. p. 386.

[1]) Hujus rei testis locupletissimus est s. Basilius ep. 19. Quaenam sit brevitas vere Laconica, ipse definit s. Gregorius ep. 54, ejusque generis scribendi exempla quaedam admiranda reliquit, ut ep. 73. et 236. Rationem optimam scribendi epistolas ipse quoque sat fuse docet ep. 51., ac instigante Nicobulo suas Basiliique epistolas in unum corpus collegit, vid. ep. 52. et 53.

[2]) Epist. 101. et 102. Hae duae epistolae, quia in rebus ad fidei doctrinam pertinentibus versantur atque Tractatuum formam habent, in omnibus editionibus, quae Maurinam praecedunt, inter Orationes collocatae sunt, olim numeratae Orat. 51. et 52. Epistolae illae celeberrimae a plurimis Scriptoribus et Conciliis, ut ab Ephesino et Chalcedonensi, honorifice laudatae sunt.

S. Gregor. Naz. Epistolae.

Ecclesiae undique ab haereticis lacessitae statu, Apollinarii errores ex quodam ipsius libello depromtos refert adjiciens, cum iis, qui talia sentiunt, religiosos conventus agere et publice orare non licere; insuper Nectarium hortatur, ut in haereticos illos animadvertat, atque Imperatorem moneat, ut ipsis libertatem concionandi et coetus agendi auferat.

2° Aliae *epistolae* s. Gregorii recte vocantur *morales*. Complures habentur eaeque pulcherrimae, in quibus ad amorem fidei ac virtutis, ad vitia fugienda, ad certamen pro religione christiana ejusque integritate, ad res adversas bono animo ferendas egregie hortatur. Relucent passim in iis ea animi sensa, quae sibi ipsi Gregorius in vicissitudinibus tam variis vitae suae formavit. — Una quoque exstat epistola, quam merito *canonicam* appellare possumus (ep. 163.), in qua jurisjurandi et promissionis scripto datae obligationem expendit.

3° *Epistolae historicae*, quibus vitam suam ac singulares eventus refert amicis, suumque solitudinis amorem egregie describit, aut tales, quibus a variis accusationibus, vel etiam criminibus per adversarios sibi objectis semet ipse purgat (ep. 63. 87. 182. 183.).

4° Epistolae demum multae sunt *diversi generis*, videlicet consolatoriae, gratulatoriae, commendatitiae, salutandi gratia ad familiares missae. E quibus s. Gregorii amicitia fida, caritas, eximia in Deum pietas ubique elucent.[1])

Nota. Epistolis in editione Maurina (Migne P. G. T. XXXVII. p. 587.) subjungitur *Testamentum s. Gregorii* (in edit. Bill. initio T. I.), de cujus authentia nonnulli dubitant, levibus tamen ex causis. Plerique illud genuinum esse censent, ut praesertim C. Baron. Annal. ad a. Chr. 389. n. 22—48. et in Vita s. Gregorii n. 118—133. Tillemont. l. c. Art. LXXXII. c. Not. 49. (p. 503—5. et p. 721.). Ceillier T. VII. Chap. I. Art. I. n. 25. (p. 22—23.) et Monit. in edit. Maur. T. II. p. 200.

[1]) Ex his nonnullae etiam circumstantias minores exhibent, unde vitae illius historia nonnihil acquirere possit lucis; praesertim frequentissima est mentio morborum, quibus persaepe cruciabatur Gregorius. Eum vero podagra laborasse testis est ep. 193.

III. *Poëmata* s. Gregorii, quae non solum numero, sed forte etiam ingenio epistolas superant, quingenta et amplius (507) majora minorave hodie supersunt, in quibus fere 18000 versuum continentur. Eorum alia metro heroico, alia elegiaco, alia jambico, alia anacreontico exarata sunt. Pluribus vero causis ad condenda poëmata inductus fuit s. Gregorius, scilicet ut veritatem tueretur adversus Apollinaristas, qui errores suos carminum a se scriptorum ope disseminabant (ep. 101), ut juventuti prodesset, ostenderetque christianos Scriptores ethnicis non esse inferiores, ut legibus carminum adstrictus magis adhuc brevitati studeret, denique ut morbi languores tentationumque taedia grato labore simulque utili sublevaret.[1]) Plures in classes Poëmata haec opportune distribui possunt. Exstant videlicet: S. Gregor. Naz. Poëmata.

1° *Poëmata dogmatica* (38), quibus res theologicas etiam abstrusissimas et difficillimas de Trinitate, scilicet de Deo, Patre, Filio et Spiritu sancto, porro de creatione et conservatione mundi ac de providentia divina, aliaque hujus generis, pie, docte, et sublimiter s. Gregorius Nazianz. prosequitur.

Exstant 2° *Poëmata moralia* et *ascetica* (40), quibus de virtutibus ac vitiis, de vita Deo devota ac praecipue de virginitate Gregorius agit. — Quaedam ex hisce etiam *elegiaca* dicuntur; iisdem canit de hujus vitae vanitate, de instabilitate omnium rerum humanarum ac de communi omnium fine, ut homines cognoscant, quod mundus transeat et concupiscentia ejus, nec quidquam firmum ac stabile permansurum sit praeter amorem Jesu Christi.

Celebratissima sunt 3° *Carmina historica* (206). Iis Gregorius vitam suam ejusque vicissitudines lectori describit, de personis ipsi coaevis agit, quumque variorum hominum fraudibus, insidiis, ambitione ei multa adversa accidissent, ipseque perspexisset, quanta sint in plurimis vitia atque defectus, acerbius passim ejusmodi viros car-

[1]) Haec ipse declarat Carmine in suos versus seu Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 39.; cf. etiam lib. II. Sect. I. carm. 11. v. 1—8. et Epigramma 25.

S. Gregor. Naz. Poëmata.

pit. Praecipuum Poëma historicum est *Carmen de vita sua* (11)[1]), cujus continuatio veluti habetur in Carmine *De seipso et de Episcopis* (12), et in altero carmine (13) *Ad Episcopos.*

Junguntur his 4° Gregorii *Epitaphia* (129), quibus memoriam parentum, amicorum aliorumque, non minus eleganter quam pie celebravit.[2])

Denique habemus 5° Gregorii *Epigrammata* (94), quibus continentur praesertim exhortationes ad virtutem, v. g. ad virgines ut vitam ducant modestam, vel mortis ac sepulchri memoria.

Nota 1. Tragoedia inscripta: *Christus patiens*, quae etiam sub Gregorii Theologi nomine circumfertur et passionem Christi dramatis forma exhibet, ita tamen, ut plurima ex Euripidis imitatione ibi dicta inveniantur, legum vero poëticarum ratio parum accurata habeatur, a viris rei criticae peritissimis uno consensu ex gravissimis rationibus tam internis, quam externis Gregorio nostro abjudicatur. Vid. Caillau Monitum in hanc Tragoediam (T. II. p. 1205. Migne l. c. T. XXXVIII. p. 131.) Cf. C. Baron. Annal. ad a. Chr. 34. n. 133. C. Bellarmin. de Scriptor. eccles. sub Gregorio Naz. (Opp. T. VII. p. 89.) et Labbe ibid. (l. c. p. 90.). Dupin T. II. p. 385. Tillemont l. c. Art. CX. (p. 559.). Ceillier T. VII. Chap. I. Art. IV. n. 70. (p. 196—98.). Cas. Oudin T. I. col. 644—47. Augusti Quaest. patrist. Biga n. II. Vratislav. 1816. p. 10—17. Eichstaedt Drama christianum, quod Χριστὸς πάσχων inscribitur. Jenae 1816. Haud incongrue auctor hujus Tragoediae a quibusdam habetur Gregorius, qui circa a. 572 Episcopus Antiochiae fuit, prout testatur Evagrius Histor. Eccles. lib. 5. c. 6.

Nota 2. Habetur etiam *Liturgia graeca*, indeque translata *Coptica*, quae *Gregorio Theologo* adscribitur; prior illa gr. et lat. repraesentatur in Eus. Renaudot Collect. Liturgiarum Oriental. Paris. 1716. T. I. p. 90—126., altera latine tantum exstat. ibid. p. 26—38. Cf. Renaudot. l. c. T. I. p. XCVII. p. 170—71. 301. 347. T. II. p. XX. V. Migne P. G. T. XXXVI. p. 677 sqq.

---

[1]) Carmen hoc vere praeclarum, quod s. Augustini Confessionibus haud immerito comparari possit, ferme ad duo millia versuum ascendit (1949 vv.) et omnium, quotquot condidit Gregorius, longissimum est. Carminis hujus scopus in ipsius exordio diserte proponitur v. 1—8.

[2]) Carmina, quibus Gregorius proprio sepulchro inscriptionem parasse videtur, ut II. 1. 91. 95—99. item Epitaph. 101. et 102. quibusdam ob laudes. quae Gregorio ubertim in illis tribuuntur, haud immerito suspecta videntur.

§. 110.

Character et doctrina s. Gregorii Nazianzeni.

S. Gregor. Naz. character et doctrina.

S. Gregorius Theologus, „vir per omnia incomparabilis, verbo et operibus clarus, splendidissimum lumen scientiae Christi ecclesiis praebuit, dum ea docuit, quae fecit. Hujus neque vita aliquid probabilius et sanctius, neque fide purius et rectius, neque scientia plenius et perfectius inveniri potest, utpote qui solus sit, de cujus fide ne dissidentes quidem inter se partes et studia disputare potuerint, sed id obtinuerit meriti apud Dominum et ecclesias Dei, ut quicunque ausus fuerit doctrinae ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso, quia ipse sit magis haereticus, arguatur. Manifestum namque indicium est, non esse rectae fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat".[1]) Hunc igitur Gregorium, „constantissimum veritatis praedicatorem"[2]) Arianis et Pneumatomachis opposuit divina Providentia; ipse et Basilius veluti fomites quidam fidei a Deo conservati sunt.[3]) Hinc Gregorius, cui eruditio profana aeque ac sacra, mira ingenii facilitas et altissima rerum divinarum contemplatio suffragabantur, totus in id incubuit, ut profligata haeresi labefactatam Trinitatis doctrinam instauraret et maxime Filii ac Spi-

---

[1]) Ita judicat Rufinus Aquilej. Prolog. in libros s. Gregorii Naz. ab ipso translatos (Opp. s. Gregorii edit. antiq. T. I. p. 726. et 727.). Cf. s. Basil. ep. 8. n. 1. s. Augustin. lib. I. contra Julian. n. 15. et 16. s. Vincentii Lirin. Commonit. c. 30. (ed. Baluz.) J. Cassian. de Incarnat. lib. 7. c. 28. In vulgato decreto Gelasii P. (Mansi T. VIII. col. 148.) „opuscula s. Gregorii Nazianzeni in omnibus recipienda" dicuntur. Revera quotiescunque olim quaestio de fide mota fuerat, auctoritas s. Gregorii in Conciliis oecumenicis vocata est in subsidium, ut eo judice quaestio definiretur.

[2]) Ita eum appellat s. Agatho P. in Epistola ad Augustos Imperatores lecta in Concil. Constantinop. III. Act. IV. (Mansi T. XI. col. 252.).

[3]) Socrat. Hist. Eccles. lib. 4. c. 26. cf. Rufin. Histor. Eccles. lib. 11. c. 9. ejusque Prolog. in libros s. Gregorii Naz. (loco supra cit.).

S. Gregor. Naz. character et doctrina.

ritus sancti divinitatem adstrueret.[1]) Idcirco nunquam fere in omnibus suis Orationibus, etsi admodum varias pertractaret materias, aliquid de Trinitate intexere omisit, nec unquam a labore et inito cum haereticis proelio conquievit. In studio ss. Litterarum apprime versatus mediam quandam iniit viam inter sterilem unici sensus litteralis investigationem nimiumque allegoriarum usum[2]); spiritus autem divinae Scripturae ita universam ejus cogitandi rationem penetravit, ut nusquam non reluceret, atque ipsa etiam s. Scripturae verba frequentissime aptissimeque ab eo usurparentur, ac veluti sponte ex ejus ore fluerent. Caeterum vitam contemplativam et solitudinem, in qua lectioni s. Scripturae rerumque sacrarum meditationi jugiter vacabat, et carnis cum spiritu luctam omni austeritatum genere domabat, adeo cupide amavit, ut eam, nonnisi divina jubente voluntate, ad tempus quandoque desereret, rebus Ecclesiae provisurus (Orat. 10. n. 1.). Amicitiam cum optimis quibusque studiosissime coluit; nil tamen aegrius tulit, quam laesa amicitiae jura (ep. 94.). Obtrectationi et invidiae plurimum obnoxius improbitatem multorum illius aetatis Episcoporum, quam omni ex parte perspectam habuit, nonnunquam sat acriter exagitavit, ut ipsos peccantes corrigeret, alios vero moneret, a talibus cavendum sibi esse.[3]) — Caeterum Gregorius Nazianzenus vir sua aetate eloquentissimus erat, sive cogitationum sublimitatem et ratiocinationis vim ac pulchritudinem, sive verborum copiam, vocum puritatem, locutionum nobilita-

[1]) S. Gregor. Naz. Orat. 43. n. 99. item ep. 58.

[2]) S. Gregor. Orat. 45. n. 11—12. Quanta fuerit hujus s. Doctoris peritia Scripturarum, inde vel maxime patet, quod s. Hieronymus, „Doctor maximus in exponendis s. Scripturis," profiteri inter Gregorii Naz. discipulos non erubuerit; quin etiam eo nomine tanquam praeclarissimo quodam ornamento frequenter gloriari consuevit. Vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 117. Apolog adv. Rufin. lib. I. n. 13. adv. Jovinian. lib. I. n. 13. ep. 50. n. 1. ep. 52. n. 8. Commentar. in Ephes. lib. 3. c. 5. v. 32. Commentar. in Isai. lib. 3. c. 6. v. 1. coll. ep. 18.

[3]) Hac de re omnino dignus est, qui legatur, Clémencet Praefat. generalis P. II. §. I. Defensio Gregoriana (Opp. Gregor. T. I. p. XVII—XXIII.)

S. Gregor. Naz. character et doctrina.

tem, figurarum varietatem, aptam similitudinum concinnitatem omnemque sermonis ornatum spectemus. Quantumvis elata sit ejus oratio, naturalis tamen est atque jucunda; ejus periodi plenae sunt et teretes. — Orationes ejus multa arte et methodo compositae sunt; ac difficile est dictu, utrum dogmata fidei majori perspicuitate, an morum doctrinam graviori efficacia proponat; illa enim egregiis similitudinibus illustrat, hanc vero commendant plurimae sententiae ex philosophia, historia et fabula erutae.[1]) — Epistolae ejus perquam elegantes, varia eruditione, salibus et argutiis refertae, laconica brevitate insignes sunt. Magis tamen plerumque ingenii vim dicendique varietatem, quam fidei altitudinem morumve rigorem manifestant; gravitas enim ubique comitate condita est. — Varia etiam, eaque, excultissima scripsit poëmata, quae nil nisi Christum pietatemque spirant, atque miram, simplici sub cultu, promunt artificis inventionem, cum singulari sermonis elegantia conjunctam. In his vero longe eminent carmina moralia et elegiaca, in quibus ita utile miscuit dulci, ut sanctissimas virtutis praeceptiones, dulci quodam voluptatis sapore conditas, libentius degustaremus; ibi maxime sacrum coelibatum (virginitatem) vitamque religiosam ita commendat et instruit, ut recte *praeco virginitatis vitaeque coenobiticae* appellari queat. His proximum occupant locum carmina dogmatica et historica, quae summo in pretio haberi merentur; biblica autem memoriae juvandae potissimum destinata videntur.[2]) Ut verbo dicam, Gregorius in perorando sublimis et facundus, in scribendis epistolis nitidus ac facilis, demum in cantando gravis atque amoenus existit.

[1]) S. Prosper Aquitan. in Chronico ad a. 3. Gratiani Imp. Cf. Rufin. in Prolog. cit. Philostorg. lib. 8. n. 11. Suidas s. v. *Ἀπολλινάριος* (T. I. p. 279—80). Quin etiam propter eximium eloquentiae florem a P. Hadriano I. dictus est „Doctor mellifluus" in Epistola ad Carolum M. pro Synodo Nicaena II. c. 17. (Mansi T. XIX. col. 767.)

[2]) Cf. etiam de Gregorii Naz. charactere Clémencet Vita s. Gregorii n. 180. Erasmus Roterod. in Epist. praefixa editioni C. Chevallonii Paris. 1532. (recus. in edit. Maur. T. I. p. CLXII) Ceillier T. VII. Chap. I. Art. VII. n. 1. (p. 301—2).

S. Gregor. Naz. doctrina.

Dogmata ejus purissima sunt, quae constans Ecclesiae catholicae consensus approbavit; ex quibus nonnulla proferre visum est:

1) *Justificatio hominis* in quo proprie consistat, ita docet: „Caesarius frater dignos *anima recens creata* (*νεοκτίστου*), quam Spiritus per baptismum *reformavit* (*ἀνεμόρφωσεν*), honores percepit". Orat. 7. n. 15. Eadem fusius declarat Orat. 18. n. 13. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. 7. et can. 11.

2) *De necessitate* ac *merito bonorum operum* statuit: „Super dogmatum fundamento bona opera exstrue, quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum et opera, si fides absit". „Anima per concertationem et colluctationem cum rebus inferioribus ad supernae gloriae haereditatem perveniat . . . eaque, quae in spe posita sunt, non solum ut Dei beneficium (*δῶρον*), sed etiam ut virtutis praemium (*ἆθλον*), obtineat. Atque hoc ipsum erat summae bonitatis, efficere, ut bonum esset quoque *nostrum*, non natura tantum insertum, sed etiam per voluntatem liberique arbitrii in utramque partem motiones excultum". Orat. 40. n. 45. (cf. Orat. 26. n. 5.) Orat. 2. n. 17. Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11. et 16. can. 20. et 32.

3) *De incruento Novi Testamenti sacrificio* ac *de reali praesentia Jesu Christi in ss. Eucharistiae sacramento* haec docet, Amphilochio scribens: „Ne cuncteris, et orare et intercedere pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Dominicum, vocem adhibens pro gladio" (ep. 171.). — „Animo ne titubes, dum Dei sanguinem et passionem et mortem audis; quin potius sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos, qui de passione habentur, impingens". Orat. 45. n. 19.[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. can. 1. Sess. 22. cap. 1. 2. can. 1. 2. 3.

---

[1]) Multi quoque alii apud s. Gregorium occurrunt loci, in quibus eadem traditur doctrina, vid. Orat. 2. n. 4. et 95., ubi sacrificium in-

4) *Hierarchia Ecclesiae catholicae*, quatenus eo nomine status hominum singularis, a laicis omnino separatus, ac potestate ecclesiastica praeditus intelligitur, *divina ordinatione instituta est:* „Quemadmodum in corpore aliud principatum tenet ac velut praesidet, aliud subest et regitur; ad eundem quoque modum *Deus* vel aequitatis lege, quae meritum cujusque perpendit, vel etiam providentiae, per quam omnia inter se velut devinxit, *hoc in ecclesiis constituit*, ut alii pascantur et pareant, ac tum sermone, tum opere ad officium dirigantur, alii autem ad Ecclesiae perfectionem pastores ac magistri sint, nimirum qui virtute conjunctioneque et familiaritatè apud Deum vulgo sublimiores sunt, rationem animae ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes". Orat. 2. n. 3. Cf. Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. et 4. can. 1. 3. 6. — *Sacramentum* vero *ordinis* aperte indicant verba illa, quibus recens ordinatus dolet, se Episcopum Sasimorum constitutum esse: „Rursum super me unctio et Spiritus".[1]) Orat. 9. n. 1. S. Gregor. Naz. doctrina.

5) *Virginitatem matrimonio anteponendam esse* ita docet: „Laudetur quidem a te matrimonium, sed posthabendae virginitati nuptiae". Poëm. lib. I. Sect. 2. Carm. 3. v. 19.[2]) Cf. Concil. Trid. Sess. 24. can. 10.

6) *Cultus et invocatio Sanctorum* ac *veneratio reliquiarum* plurimum ab eo commendatur: „Martyres nostros quasi mediatores agunt in coelo". „Martyribus praeclari honores et festa constituta sunt, a quibus daemones propelluntur, et morbi curantur; quorum apparitiones et praedictiones; quorum vel sola corpora idem possunt, quod

---

ternum hominis christiani *a sacrificio externo sacerdotis* sedulo distinguitur; Orat. 4. n. 52. ubi docet, „nos per *sacrificium incruentum* Christo ipsiusque passionibus et divinitati communicare"; Orat. 8. n. 18. Orat. 10. n. 4. Orat. 18. n. 19. et 38. Poëm. lib. II. Sect. I. carm. 13. v. 1. Epitaph. 102. v. 3—4.

[1]) Cf. Orat. 1. n. 2. item Orat. 9. n. 2. et 3. et maxime Orat. 10. n. 4., ubi omnes ordinationis Episcopalis ritus ejusque effectus accurate describuntur.

[2]) Ita etiam frequenter et uberius alias, ex. gr. Orat. 37. n. 10. Orat. 40. n. 18.

S. Gregor. Naz. doctrina.

animae sanctae, sive tangantur, sive honorentur, quorum vel solae sanguinis guttae atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora". „Ter sacrum et divinum caput (ita precatur ad s. Basilium), e coelo nos quaeso inspice carnisque stimulum, a Deo nobis ad disciplinam datum, aut intercessione tua siste, aut certe, ut forti cum animo perferamus, persuade". Orat. 11. n. 5. Orat. 4. n. 59. Orat. 43. n. 82.[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de invocat. venerat. et reliquiis Sanctorum.

Editiones.

Editiones: Opera s. Gregorii Nazianz. collecta et excusa sunt graece Basileae 1550. fol. — Eadem Opera latine edidit Wolfgangus Musculus Basileae 1550. fol. — Opera item Gregorii latine ed. Leuvenklaius Basileae 1571. Tomi III. fol. — Caeteris antiquis editionibus melior est editio omnium s. Gregorii Operum gr. lat. per J. Billium (et Morellum) Paris. 1609. II. Voll. fol. recus. Paris. 1630. item Coloniae (Lipsiae) 1690. Huic tamen editioni jungi debent J. Tollii Insignia Itinerarii Ital. Trajecti ad Rhenum 1696. 4°. p. 1—105. et L. A. Muratorii Anecdota graeca Patavii 1709. 4°. (recus. in Galland. Biblioth. Patr. T. VI. p. 355—415). Haec omnia simul complectitur, sed latine tantum, Editio Opp. s. Gregor. Naz. excusa Venetiis 1753. II Tomis fol. — Editio praestantissima eademque rarissima est, quam adornarunt D. Clémencet (ex Congregat. s. Mauri) eumque secutus D. A. B. Caillau; hujus Editionis T. I. prodiit Paris. 1778. fol. Tomus vero II. lucem demum aspexit Paris. 1840. His duobus Tomis Editio isthaec absolvitur; T. I. Orationes continet, Tomus II. Epistolas omnes et Poëmata. — Editio haec Maurina dein variis cum additionibus denuo recusa est ap. Migne P. G. T. XXXV—XXXVIII. — Epistolae Gregorii etiam separatim, in 4 libros distributae, prodierunt Ingolstadii 1619. 8°. — Caeterum de editionibus cf. Ceillier T. VII. Chap. I. Art. VII. n. 2—4. (p. 302—4). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 392—403. Hoffmann, Lexicon bibliograph. Lipsiae 1832. T. II. p. 311—21. — Vers. germ. scripta selecta ed. Trippe, Soest 1865; J. B. Roehm 2 vol. Kempt. 1874 et 1877.

[1]) Alios hujusmodi locos vid. in Orat. 18. n. 4. Orat. 24. n. 4. et 19. Orat. 21. n. 37. Idem etiam praeclare docet, qua ratione Martyrum festa celebranda sint, ut verus eis honor exhibeatur, vid. ex. gr. Orat. 11. n. 4—7. Orat. 24. n. 18—19. Orat. 43. n. 81. — Idem s. Gregorius primus inter ss. Patres, quorum scripta ad nos pervenerunt, cultus et invocationis B. V. Mariae disertam fecit mentionem, licet alii quoque Patres prioris aetatis, ut s. Irenaeus, magna cum reverentia de ipsa loquantur eamque miris laudibus praedicare nonnunquam inveniantur; Gregorius autem refert, quod s. Justina, virgo christiana, B. Virginem Mariam supplex obsecravit, „ut sibi, utpote virgini periclitanti, opem ferret". Orat. 24. n. 11.

§. 111.

S. Gregorius Nyssenus. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Gregorii Nyss. Scripta. — S. Basilii et s. Gregorii Naz. Epistolae. — S. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 128. — Socratis Histor. Eccles. lib. 4. c. 26. 27. lib. 5. c. 8. — Theodoret. Histor. Eccles lib. 4. c. 30. lib. 5. c. 8. — Phot. Cod. 6. 7. et 233. — Suidas s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 497—98).

Subsidia: De Gregorio Episcopo Nysseno et ejus Operibus Praefat. edit. Paris. a. 1638. — D. Papebrochius in Actis SS. die 9. Martii (Martii T. II. p. 4—10). — Tillemont Mém. T. IX. S. Grégoire de Nysse (p. 561—617. cum Notis p. 732—44). — Ceillier T. VIII. Chap. V. (ed. 2. T. V.). — Dupin T. II. p. 390—407. — G. Cave Vol. I. p. 244—46. — Cas. Oudin T. I. col. 583—614. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 98—130. — J. Rupp: Gregor des Bischofs von Nyssa Leben und Meinungen. Leipzig 1834. — Heyns Disputatio historico-theologica de Gregorio Nysseno. Lugduni Batav. 1835. in 4°. — Buse: Der h. Gregor von Nyssa. Leipzig 1848. — A. Vincenzi in s. Gregorii Nyss. et Origenis scripta et doctrinam nova recensio. Rom. 1864. vol. I. — Cf. Chevalier s. v. Grégoire.

S. Gregor. Nysseni Vita.

S. Gregorius Nyssenus, frater s. Basilii Magni minor aetate, at ingenio, litteris et doctrina propemodum par et aequalis, natus est circa a. 330.[1]) A sorore s. Macrina, virgine Deo devota, et a s. Basilio fratre in pietatis dogmatibus sacrisque litteris eruditus, quam primum aetas permitteret, eruditione etiam profana et eloquentia institutus est[2]); summo autem eloquentiae studio adolescens flagravit, rebusque sacris haud justo affectu aliquamdiu

---

[1]) S. Gregorium inter quatuor fratres tertium fuisse, Basilio juniorem, Petro majorem, omnino liquet ex ipsius Vita s. Macrinae, etsi non satis constet, quo proprie anno fuerit in lucem editus.

[2]) Vid. s. Petri Sebast., fratris junioris, Epist. ad Gregor. Nyss. praefixa hujus libris adv. Eunom. (T. II. p. 268—69.) S. Gregorii Nyss. ep. 10. (ed. Zacagn.). Hic et alibi saepius Basilium vocat „patrem atque magistrum", ex. gr. lib. in Hexaëm. T. I. p. 1. et 43. lib. de hominis opificio T. I. p. 45. Simili ratione et sororem appellat „magistram" suam, ex. gr. lib. de anima et resurrect. (T. III. p. 181. et 183.). Cf. Socrat. lib. 4. c. 26. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 30.

S. Gregor. Nysseni Vita.

se addixit.[1]) Cum jam Lectoris in Ecclesia munere insignitus esset, nimio Rhetorices studio abreptus, altaribus atque mysteriis relictis, ad munus docendi Rhetoricam se transtulit. Quae res quum plurimis fidelium praeberet scandali causam, amicorum, ac praecipue Gregorii Nazianzeni (ep. 11.) hortatione motus paulo post in solitudinem secessit ibique vitam asceticam egit[2].) Eo tempore cum Gregorius relicta Rhetoricae cathedra totum se sacris et ecclesiasticis scriptoribus evolvendis dedisset, Basilius sollicitus, ne Gregorius hypostasin, ut multi alii, cum essentia confunderet[3]), Commentarium ei misit, quo theologiae elementis animum ejus imbueret.[4]) In eadem solitudine circa a. 370. *librum de virginitate* confecit s. Gregorius. Cum Basilius frater a. 370 Caesareae Episcopus ordinatus esset, idque nonnulli Cappadociae Episcopi, in his et Gregorius, Basilii patruus, aegre ferrent, Gregorius noster dissidium istud mediis tamen non adeo aptis tollere et sanare aggressus est; hujusmodi enim rebus gerendis non satis idoneus fratri majores etiam molestias paravit, ejusque reprehensionem incurrit, quin idcirco Basilius fratri succense-

---

[1]) Suid. s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 497.) S. Gregor. Nyss. ep. 10. (ed. Zacagn.) et Orat. in 40 Martyres (T. II. p. p. 212—13.).

[2]) S. Gregor. Nyss. ep. 6. (ed. Zacagn.).

[3]) Hunc Basilii timorem inde subortum censeo, quod s. Anastasio Sin. teste Aristoteles et alii antiquae Graeciae Scriptores statuerent, „naturam esse personam et similiter personam naturam“, vid. Anastas. Sin. *Ὁδηγός* c. 6. (ed. Gretser p. 96 et 98.), qui auctor paulo fusius ibidem ostendit, „Aristotelicas et Homericas definitiones“ *naturae* et *hypostasis, essentiae, substantiae, personae* ab usu loquendi christiano et catholico plurimum discrepare. Quapropter ne Gregorius recens a litteris profanis extraneas notiones in Ecclesiam inferret sicque inscius fortasse turbas haud levissimas excitaret, frater Basilius, in ejusmodi rebus exercitatissimus, eum opportune instruxit.

[4]) S. Basilii ep. 38. Eadem epistola legitur etiam tanquam epistola s. Gregorii Nyss. in hujus Opp. T. III. p. 28—37.; verum critici eruditi eam potius adjudicant s. Basilio, cf. Maur. Not. ad ep. 38. s. Basilii. Fortassis Gregorius eandem, quam ipse a Basilio primum acceperat, institutionem de hypostasi et essentia cum fratre Petro communicavit, eaque ratione factum est, ut epistola isthaec inter lucubrationes s. Gregorii Nyss. referretur.

ret, cujus quippe animum satis perspectum habuit.[1]) Autumno anni 371. summo totius provinciae Episcoporum consensu s. Gregorius invitus et valde reluctans ordinatus est Nyssae in Cappadocia Episcopus.[2]) Ab eo tempore gravissimas Arianorum persecutiones ob libertatem, eruditionem et constantiam in fide orthodoxa praedicanda sustinere debuit. Postquam iterum, minus prospero tamen eventu, Basilii fratris studia sublimia pro ecclesiarum unitate atque salute, et pro fidei patrocinio adjuvare conatus fuerat, anno demum 376 Ariani, habenis furori suo immissis, Demosthene Cappadociae Vicario patrono usi, Gregorium Nyssenum varias ob causas fictas accusatum deposuerunt. Insidias istas fuga declinavit Gregorius; hujusque exilii tempore multarum ecclesiarum sollicitudinem gessit, sanam fidem propugnans, atque res Ecclesiae collapsas diversis in locis instaurans et corrigens.[3]) In tantis

S. Gregor. Nysseni Vita.

[1]) S. Basil. ep. 58. 59. et 60. Cf. P. Maranus in Vita s. Basil. c. 16. n. 3—4.

[2]) Vid. s. Basilii ep. 225. et s. Gregor. Nyss. in Vita s. Macrinae (T. II. p. 188.). Cf. P. Maranus in Vita s. Basilii c. 19. n. 1. Pagius in Crit. ad a. 369. n. 17. ordinationem ejus ad annum 372. differendam censet; Baronius vero (Annal. ad a. 369. n. 65.), quem sequitur Papebrochius n. 6., eam jam anno 370. factam esse haud obscure indicat. — Alia quaestio hic paucis enucleanda venit, scilicet. utrum s. Gregorius Nyss. aliquando conjugem Theosebiam duxerit, et an uxorem suscepto Episcopatu retinuerit. Quaestio haec solvenda est ex s. Gregorii Naz. ep. 197. et Epitaph. 123. item Orat. 43 n. 9., tum ex ipsius s. Gregorii Nyss. libro de virginitate c. 3. (T. III. p. 116—117.) et ep. 3. (ed. Caracc.). Ex his autem liquido erui non potest, utrum Theosebia fuerit s. Gregorii Nyss. soror, (vocatur enim Gregorii ἀδελφη et „Emmeliae filia"), an vero uxor, (vocatur etiam Gregorii ἱέρεως σύζυγος. de cujus vocis usu cf. s. Pauli epist. ad Philipp c. 4. v. 3.); prior tamen sententia longe probabilior est. Vid. Clémencet Praefat. general. P. II. §. II. (p. XXVI—XXVIII). Rupp p. 24—26. Illud certe negari non potest, inde a suscepto Episcopatu jure maritali usum non fuisse s. Gregorium, etsi dare quis velit, matrimonio eum antea vere junctum fuisse. Nam et „soror" ejus appellatur et sacro ministerio digna habita fuit (s. Gregor. Naz. ep. 197.), et aerumnas, quibus Gregorii Nyss. vita postmodum oppleta est, per aetatis mensuram videre et lugere non potuit (ibid.).

[3]) S. Gregor. Nyss. Vita s. Macrinae (T. II. p. 188. et 192.) et Antirrhet. adv. Apollinar. n. 4. Cf. s. Basil. ep. 100. ep. 190. n. 2. ep. 215. 225. 231. 232. et ep. 239. n. 1.

S. Gregor. Nysseni Vita.

rerum angustiis, dum instabilis et lignis, quae in aquis feruntur, similis in exilio versaretur, animum ejus tot malis graviter afflictum s. Gregorius Nazianzenus solatio erexit magisque confirmavit (ep. 72. 73. et 74.).

Post obitum Valentis (a. 378.) Gratianus Imperator Episcopos catholicos, religionis causa exules, redire in ecclesias suas permisit. Redux Nyssenus fratrem Basilium graviter decumbentem invisit, morienti adfuit, defunctum summo dolore oppressus Oratione funebri prosecutus est, quam habuit coram populo Caesariensi[1]). Postquam civitatem suam repetiit, interfuit etiam Concilio Antiochiae habito a. 379. ad res ecclesiarum componendas. Synodus ista emendandae ecclesiae Arabicae mandatum ei dedit, quod, postquam sorori Macrinae adfuerat morienti, solerter executus est; eaque occasione etiam loca sacra Palaestinae invisit[2]). Idem postea interfuit Concilio Constantinopolitano I. Porro ad Concilium istud Episcopi ex toto Oriente celeberrimi confluxerant, qui, ut turbatum ecclesiarum statum in meliorem redigerent ordinem, centra quaedam ecclesiasticae unitatis pro singulis provinciis constituerunt; eumque in finem speciatim pro dioecesi Pontica a Bithynis usque ad Armenios Helladium, Caesareae in Cappadocia Episcopum, Gregorium Nyssenum, atque Otrejum, Melitinae Episcopum, designarunt; quae Concilii ordinatio sanctione Imperatoris confirmata fuit.[3]) — Sae-

[1]) S. Gregor. Naz. ep. 76. — Oratio funebris in s. Basilium exstat in T III. Opp s. Gregorii Nyss. p. 479—98. Quanta autem fuerit magnitudo doloris s. Gregorii Nyss., perspici potest ex ejus Vita s. Macrinae (T. II. p. 189).

[2]) De reditu ipsius in ecclesiam suam agit ejus ep. 3. (ed. Zacagn.). De caeteris vid. s. Gregor. Nyss. Vita s. Macrinae (T. II. p. 187—202.) et Epist. de euntibus Hierosolym. (T. III. p. 653—54). Cf. Tillemont l. c. Art. V. VIII. et IX. c. Not. 5. (p. 570—72. 580—84. et 734—36). Sunt, qui putent, s. Gregorium non a Synodo Antiochena, sed a Concilio Constantinopolitana legatum esse in Arabiam, cf. Papebroch. n. 31—33. Heyns de Gregor. Nyss. §. 9.

[3]) Socrat. lib. 5. c. 8. Sozom. lib. 7. c. 9. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 5. c. 8. Cod. Theodos. lib. 16. tit. I. de fide Catholica leg. 3. (ed. Ritter T. VI. p. 10. vid. Commentar. ibid. p. 11—14). cf.

pius dehinc synodis minoribus Constantinopoli habitis interfuit Gregorius; ac solemni ejusmodi occasione non semel invitatus Orationes ibidem habuit.[1]) Sub finem vitae ab Helladio absque justa causa maledictis et conviciis oneratus, insignem animi demissionem ac modestiam vere christianam prae se ferens, itineris molestiis parum consideratis, ipsum adiit pacis conciliandae gratia. Sed indigne exceptus repulsam passus est; quae res plurimum ipsi doluit.[2]) Obiit post annum 394.[3]) S. Gregor. Nysseni Vita.

§. 112.

Scripta S. Gregorii Nysseni. — *Opera dogmatica et exegetica.*[4])

S. Gregorius Nyssenus praeclaris Operibus fidem adversus haereticos propugnavit, vel Scripturas sacras plebi suae aliisve piis hominibus explicavit, vel moribus Chri- S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

---

s. Gregorii Nyss. Epist. ad Flavianum (T. III. p. 650). Ea autem occasione, prout equidem censeo, habuit Orationem, quae hodie falso inscribitur: *In suam ordinationem.* Vid. infra §. 113. — Formula autem fidei, Nicaeae olim composita, quoad doctrinam de Spiritu S. a Gregorio Nyss., Concilio mandante, amplificata fuisse perhibetur, Niceph. Histor. Eccles. lib. 12. c. 13. Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 585).

[1]) Cf. Ceillier l. c. Art. II. §. 26. n. 1. et §. 25. n. 5. 6. (p. 353. 357—59). Tillemont l. c. (p. 585—88).

[2]) Vid. s. Gregor. Nyss. Epist. ad Flavianum (T. III. p. 645—51. edit. a. 1615. T. II. p. 1077—83). Cfr. Papebroch. l. c. n. 22—27. Heyns de Gregor. Nyss. §. 18. Tillemont l. c. Art. XI. (p. 588—91).

[3]) Eodem adhuc anno comparuit in Concilio Constantinopolitano habito, ubi statim post Metropolitas nominatur, (Mansi T. III. col. 851). Cf. Baron. Annal. ad a. 594. n. 25. et 29. Pagi Crit. ad a. 394. n. 6. Quamdiu post hunc annum 394. fuerit superstes, nullo certo probabilive testimonio constat. Cf. Tillemont l. c. Art. XII. et XIV. (p. 591—95. et p. 598—99). Heyns de Gregor. Nyss. §. 20.

[4]) Operum s. Gregorii Nysseni duplex exstat editio graeco-latina, ac praeterea ea quae habetur ap. Migne P. G. T. XLIV — XLVI. Opportunum visum est, singulis scriptis variarum editionum paginas apponere, ita ut in ipso textu paginae edit. a. 1638 adjiciantur, in Notis autem paginae editionis anni 1615 (cum Appendice anni 1618) et ed. apud Migne Patrol. subjiciantur. Caeterum ubicunque Opp. s. Gregorii Nyss. absque alio additamento in seqq. citantur, editio anni 1638 intelligitur.

S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

stianorum formandis insignem navavit operam, vel tandem illustres sanctitate ac dignitate personas meritis encomiis extulit.

I. *Opera dogmatica* seu *dogmatico-polemica.*

Inter Opera s. Gregorii Nysseni *dogmatica,* quibuscum etiam junguntur *apologetica* et *polemica*, primum facile locum obtinet

1° *Oratio catechetica magna* — *λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας* (Ed. a. 1638. T. III. p. 43—110.[1]) Oratio haec plane eximius Tractatus est de modo, quo Ethnici, Judaei atque haeretici instituendi sint, ut christianae religionis veritate quam optime imbuantur.

Opus hoc praeter praefationem seu *Prologum* quadraginta capitibus constat. In *Prologo* suum scopum s. Pater exponit. Quoniam scilicet pro diversitate errorum aliis opinionibus anticipati sunt Judaei, aliis vero Gentiles, aliis demum haeretici, ut Manichaei, Anomoei aliive, institutio veritatis singulorum erroribus ita accommodanda est, ut in qualibet disputatione proferantur principia et propositiones, rectae rationi consentaneae, quae etiam apud adversarios in confesso sunt, tumque ex necessariis consecutionibus inde deductis una veritas christiana elucescat et confirmetur.[2]) Hinc s. Gregorius in opere hoc quod religionis

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 475—542. Migne P. G. T. XLV. p. 9—106. — Nonnulli hujus libri authentiam in dubium revocare satagebant, quos apertissime hallucinationis convincit summa ejusdem apud Veteres auctoritas. Vid. Theodoret. Dialog. II. et III., s. Ephraem Antioch. apud Phot. Cod. 229., Germanus Constantinopol. apud Phot. Cod. 233., Leontius Byzant. contra Nestor. et Eutych. lib. 3. (Galland. T. XII. p 699.) et al. — Quantum ad integritatem hujus libri, certe 26 lineae extremae cap. ultimi seu 40. aliunde huc translatae et assutae fuerunt. Appendicula haec, quae in plerisque Codd. Mss. deest, potius libri alicujus adversus Severum Monophysitam praefatio, quam hujus Orat. catecheticae peroratio esse videtur. Insuper jam olim animadversum est, Orationem hanc ab Origenistis fuisse interpolatam (vid. Germanus Cp. l. c.); certe Origenis error de salute omnium hominum, imo et daemonum, eo in libro (cap. 35.) deprehenditur. Cf. Labbe Dissert. histor. de s. Gregorio Nyss. (ed. cit. p. 100). Tillemont l. c. Art. XVIII. c. Not. 19. (p. 610—11. et 742) et J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 111—112.

[2]) Quoad Gentiles monet s. Gregorius, eos convincendos esse per *communes notiones.* — Ad hoc effatum magis explanandum reperitur

christianae doctoribus destinavit, non systema dogmaticum vel speculativum concinnare intendit, sed tantummodo apologiam principalium fidei nostrae dogmatum texere voluit, sententiis philosophiae prouti occasio tulit, in subsidium vocatis. — *Tres* porro Orationis partes commode distingui possunt, quarum prima agit *de Deo et de sanctissima Trinitate* (c. 1—8); altera *de Incarnatione et Redemptione* (c. 10—22); tertia *de applicatione redemptionis* per baptismi et eucharistiae sacramenta[1]) (c. 23—40). Discutit autem Nyssenus in hoc opere plures quaestiones subtiliores, in quibus ratio humana scrutans altiora se exercere solet. Inquirit v. g. (c. 7.). cur Deus praevidens Adae peccatum ejusque sequelas hominem nihilominus creaverit; cur non sola voluntate seu jussione Deus redemerit genus humanum (c. 17. 19—28.); cur Deus beneficium hoc tam diu distulerit, et cur mali originalis progressum ad ulteriora non impediverit (c. 29. 30); cur nondum omnes homines fidem Christi perceperint (c. 30. 31), et plura hujusmodi.

---

etiam inter ejus Opera Tractatus seu potius fragmentum, quod inscribitur: *Adversus Graecos* (Gentiles) *de communibus notionibus — ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν* (T. II. p. 82—89. Edit. a. 1615. T. p 914—21. Migne l. c. T. XLV. p. 175—186), seu expositio philosophica terminorum, quos Antiqui adhibuerunt ad mysterium SS. Trinitatis exprimendum, ex. gr. Deus, essentia. persona, hypostasis. De significatione expressionis: *notiones communes*, quam se ignorare candide professus est Tillemont l. c. Art. XVI. (p. 606), vid. ipse s. Gregor. Nyss. lib. I. contra Eunom., s. Basil. de Spiritu S. n. 22., Titi Bostr. contra Manich. lib. I. n. 2. 5. et 7. (Galland. T. V. p. 269. 271. 273.), Suidas in Lexico s. v. *κοιναὶ ἔννοιαι* (T. II. p. 385.), Tertullian. de resurrect. carnis n. 3. („sensus communes"), ex quibus locis perspicuum fit, ea voce designari ideas omnibus hominibus communes et insitas, quas nemo ratione praeditus negare potest, ex quibus igitur certo concludere licet. Cf. Ceillier l. c. §. XI. n. 5. Rupp S. 154—65. — Similis argumenti est Tractatus *Ablabio* inscriptus: „*De eo, quod non putandum sit tres deos dici oportere*", (T. III. p. 15—28. Edit. a. 1615. T. II. p. 447—60. Migne l. c. XLV. p. 115—136.), ubi scilicet ostendit, tres personas divinas non posse dici tres deos, sed eas unum Deum esse. Tractatum hunc sub nomine *Epistolae ad Ablabium de S. Trinitate* jam olim Gregorio Nyss. tribuit, loco inde prolato, Concilium Lateran. a. 649. Secret. V. (Mansi T. X. col. 1075—76). Caeterum cf. Ceillier l. c. §. XVII. n. 2—4. (p. 320—22). Tillemont l. c. Art. XVIII. (p. 610).

[1]) Reliqua sacramenta s. Gregorius hic non tangit, cum scopus ejus apologeticus non tam internam religionis christianae indolem respiciat, quam potius fundamenta religionis nostrae Gentilibus, Judaeis atque haereticis commendari suadeat. Caeterum quanti fecerit alios ritus ecclesiasticos et sacramenta caetera, videre licet in Orat. contra Eunomium.

S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

2° Insignem pariter inter Gregorii Nysseni Opera locum obtinent *Libri seu Orationes XII* (juxta alios XIII) *contra Eunomium — Λόγοι ἀντιῤῥητικοὶ κατὰ Εὐνομίου* seu *πρὸς Εὐνόμιον* (T. II. p. 265—864.[1]), quibus fidem catholicam tueri et Basilii jam defuncti Opus adversus Eunomium defendere instituit.

Eunomius, qui superstite Basilio se continuerat, illo defuncto statim duos evulgavit libros, quibus perversa sua dogmata firmare et s. Basilium calumniis atque conviciis obruere satagebat.[2]) Quos hortante fratre Petro, Episcopo Sebasteno, ita Gregorius refellendos suscepit, ut primo quidem Basilii personam ejusque agendi rationem vindicaret a calumniis Eunomii (Orat. I. p. 284—316.), postea vero defensioni dogmatis orthodoxi pro viribus operam daret; continet autem elucubratio ista „non modo haereticae pravitatis eversionem, verum etiam institutionem et explicationem dogmatum fidei catholicae“ (p. 267). Postquam ibi Eunomii ejusque magistri Aëtii vitam descripsit (Orat. I. p. 289—96), impia ejus dogmata, „selectis blasphemiae capitibus“ (p. 288—89.), quae propriis Eunomii verbis refert, accurate solideque confutat, et s. Scripturae locos, quos ille ad errores suos asserendos in medium protulerat, diligenter explanat. Generatim ea hujus Operis est indoles, ut inde tam Orthodoxorum, quam haereticorum istius temporis placita penitus cognosci possint. Nec immerito Photius judicat, Gregorium in illo Opere reliquis post s. Basilium Eunomii adver-

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 1—437. (Orat. I. seu verius II—XII.) et in Append. a. 1618. p. 20—164. (lib. I.). Migne P. G. T. XLV. p. 244—1122. Libros hosce computandi neque apud Veteres, neque apud recentiores una eademque est ratio, dum alii duodecim, alii tredecim libros numerant, vario scilicet modo totum contra Eunomium Opus dividentes. Qua de re cf. praeprimis Gregor. Nyss Opp. T. III. Annotat. in fine p. 43—44. Edit. a. 1615. Append. Prolegom. p. V—VII. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 110. — Summae vero auctoritatis Opus istud apud Veteres fuit, vid. ex. gr. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 128. Theodoret. Dialog. I. et II. S. Maximi Tomus dogmaticus adv. Heraclii ecthesin (Opp. ed. Combefis. T. II. p. 85, qui locus exstat in Opp. Gregor. Nyss. edit. a. 1615. T. II. p. 56.) et alibi saepius, etiam in Conciliis.

[2]) De his *Eunomii* libris, quibus ipse eorundem auctor inscriptionem fecit: *Apologia Apologiae* jam pridem deperditis vid. s. Gregor. Nyss. Epist. ad Petrum Sebast. libris contra Eunom. praemissa. item Orat. XII. P. II. Phot. Cod. 138. Philostorg. Histor. Eccles. lib. 8. n. 12. item J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 213—14. Tillemont. l. c. Art. VII.

sariis antecellere tum venustate, splendore et mirifica jucunditate, tum etiam argumentorum copia et ubertate.[1]) S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

3° *Tractatus de fide ad Simplicium* (T. III. p. 38—42[2]) brevis, at luculentus divinitatem Filii et Spiritus S. defendit contra haereticos, quorum objectiones, tam ex s. Scriptura (Ps. 80, 10. Proverb. 8, 22. Amos 4, 13.), quam ex ratione petitas insigni mentis acumine paucis confutat. Quum vero tractatus iste solito initio et fine careat, haud forsan incongrue cuipiam Operis amplioris fragmentum videri posset vel saltem Commonitorium Simplicio datum, quo adversus fraudes haereticorum paucis solide muniretur.

4° *Antirrheticus adversus Apollinarium.*[3]) In isto Opere, quod editum est intra a. 373 et 383, s. Gregorius refutat

---

[1]) Disceptatio est inter eruditos quo in ordine singulae hujus Operis Orationes collocandae sint. Plura de hac re satis intricata dabunt D. Papebroch. in Actis SS. l. c. n. 14—18. Heyns l. c. p. 55. Rupp p. 134. — Verosimilior sententia haec est, totum illud Opus amplissimum tribus proprie constare partibus, quarum prima complectitur Orat. I. et II., altera Orationis XII. Sectionem II., tertia denique Orationes intermedias, i. e. Orat. III—XII. Sententia isthaec plurimum confirmatur ex Veterum locis, ubi Operis hujus mentionem faciunt, ex quibus inter se collatis colligitur, partem (*λόγον*) tertiam rursus in decem volumina (*τόμους*) fuisse divisam (Concil. Lateran. a. 649. Secret. V. ap. Mansi T. X. col. 1103—4). Alii tamen Codices, ut patet ex Concil. Constantinopolit. III. Act. X. (Mansi T. XI. col. 423—26.) libros seu Orationes omnes continua serie numerarunt, nulla distinctione facta inter *λόγους* et *τόμους*. Denique ex eodem Concilio Constantinopolit. III. l. c. (Mansi T. XI. col. 403—4.) patet, eandem capitum divisionem quae libris istis nunc praemittitur jam saeculo VII. usitatam fuisse.

[2]) Edit. a. 1615. T. II. p. 470—74. Migne P. G. T. XLV. p. 136—146. Aliter etiam inscribitur: *Simplicio tribuno Gregorius, de Patre et Filio et Spiritu S.* Cf. Tillemont l. c. Art. XVIII. (p. 610). Dupin T. II. p. 396. Ceillier l. c. §. XVII. n. 6—8 (p. 322—23). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 111. Caeterum si explicatio loci Prov. 8, 22., qualem in hoc tractatu proposuit, conferatur cum verbis dubiis, quae de vero ejusdem loci sensu in Orat. I. contra Eunom. (Opp. edit. a. 1615. Append. p. 83.) protulit, satis patet, tractatum hunc post librum istum contra Eunomium scriptum fuisse.

[3]) Migne P. G. T. XLV. p. 1123 — 1270. — Liber iste, qui in anterioribus editionibus Opp. s. Gregorii Nyss. desideratur praeter *Fragmentum adversus Apollinarium*, quod consarcinatum ex hujus

S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

prolixum Apollinarii tractatum, qui inscribitur: *Demonstratio divinae Incarnationis ad similitudinem hominis* (n. 2.); ac validissime retundit sententiam, Christum carnem suam e coelo attulisse, et divinitatem in ipso locum rationis (*νοῦς*) obtinuisse; tum omnes illius objectiones ex ordine solvit, varias calumnias repellit et doctrinam orthodoxam proponit (n. 54. 55. et 59.).

5° Alius quoque exstat brevis *tractatus contra Apollinarium*, directus *ad Theophilum*, qui inde ab a. 385 Episcopus erat Alexandrinus (T. III. p. 261—66.[1]) In eo s. Gregorius nonnullas quaestiones solvit, quas Apollinaristae moverant, probans, idem Verbum, quod Patriarchis olim apparuerit, veram postea assumsisse carnem, ac se cum humana natura conjunxisse, idque tam intima conjunctione, ut quae proprietates Deo conveniant, homini etiam adscribantur.

6° *Tractatus de anima et resurrectione* (T. III. p. 181—260.), „liber aureus“[2]), proprie Dialogus est, habitus inter s. Gregorium et s. Macrinam ejus sororem post mortem fratris Basilii, unde etiam inscribitur *τὰ Μακρίνια*,

---

libri c. 42. et 19. jam prius editum reperitur in Opp. s. Gregorii Nyss. T. II. p. 47—48. (edit. a. 1615. T. I. p. 879—80), lucem primo aspexit gr. et lat. in Zacagnii Collectan. Monument. Romae 1698. p. 123—287. inde recus. apud Galland. T. VI. p. 517—77. et ap. Migne l. c. — Authentiam hujus libri testantur Leontius Byzant. lib. de Sectis Act. VIII. n. 3. (Galland. T. XII. p. 651.) ac lib. I. contra Nestor. et Eutych. (ibid. p. 670). S. Maximus Confessor in Tomo dogmatico adv. Heraclii ecthesin (Opp. ed. Combefis. T. II. p. 85., qui locus reperitur in libri hujus cap. 32. ed. Zacagn. p. 203.), Concil. Constantinopol. III. Act. X. (Mansi T. XI. col. 399—403.), item Niceph. Histor. Eccles. lib. 11. c. 19. Cf. etiam Zacagnii Praefat. n. 17—31. Ceillier l. c. §. X. (p. 251—60.), Oudin T. I. col. 609—610. Heyns l. c. p. 54.

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 693—98. Migne l. c. p. 1270—1275. — Tractatum hunc seu Epistolam, ex qua Concilium Constantinopolitanum II. (oecumenicum V. a. 553.) Collat. V. (Mansi T. IX. col. 251. 252. et 273.) locum prolixum affert, exhibet quoque H. Canisius in Lect. antiquis (ed. Basnage) Vol. I. p. 191—96.

[2]) Ita librum hunc, qui in edit. a. 1615. T. II. p. 613—92. Migne l. c. T. XLVI. p. 11—160. reperitur, vocat C. Baron. Annal. ad a. 378. n. 46. Hujus Operis meminit Germanus Patriarcha Constantinopol.

S. Gregor, Nyss. Opera dogmat.

Macrinia. S. Gregorius enim post Concilium Antiochenum a. 379. sororem Macrinam in monasterio degentem tumque aegrotam eo consilio invisere decrevit, ut familiariter cum sorore colloquens gravissimum animi dolorem, ex morte fratris acceptum, leniret atque solatium ab ea peteret. Basilii autem mentione injecta Gregorii animus vehementer commotus est; at illa tantum abfuit, ut eadem perturbatione dejiceretur, ut ex Sancti illius memoria sublimioris philosophiae materiam petens ea disputaret, rerum humanarum causas exquirens ac providentiam Dei rebus adversis occultam oratione aperiens, imo quae ad vitam futuram spectant, quasi afflata S. Spiritu percurrens, ut animus Gregorii dictis illius simul elatus, atque extra hominis naturam positus veluti in coeli adytis constitutus ipsi videretur.[1]) Nec multo post familiaria haec cum sorore colloquia occasionem ei dedisse videntur, elaborandi egregium hunc Dialogum, qui tum rerum gravitate, tum disputandi subtilitate et dictionis elegantia imprimis commendatur. Ibi animae naturam exponit ejusque immortalitatem probat, metempsychosin refellit ac demum corporis resurrectionem adstruit. Summopere autem dolendum, disputationi illi erronea quaedam Origenis dogmata fuisse inspersa.[2])

Alius quoque exstat sub s. Gregorii nomine *liber de anima* (T. II. p. 90 — 113. Edit. a. 1615. T. I. p. 922 — 45. Migne l. c. T. XLV. p. 187—222.), cujus auctor animam esse spiritualem et immortalem substantiam probat adversus philosophorum et haereticorum errores. Verum libellum istum non esse foetum s. Gre-

---

apud Phot. Cod. 233. et Suidas s. v. *Γρηγόριος*. Eam „egregiae hujus commentationis" partem, quae statim ab initio legitur, e duobus Codd. Mss. emendatiorem gr. et lat. edidit J. Chr. Wolf in suis Anecdotis graecis. Hamburgi 1722. T. II. p. 274 — 319. additis lectionibus variantibus totius libri ibid. p. 319—30. et T. III. p. 1—47.

[1]) Ita ipse s. Gregorius Nyss. in Vita s. Macrinae; cf. Dialog. de anima et resurrect. initio.

[2]) Cf. Germanus Constantinopol. apud Phot. Cod. 233., qui diserte affirmat, hunc librum ab Origenistis fuisse vitiatum. Illud etiam notari operae pretium fuerit, Gregorium hic nonnulla per modum exercitationis potius, quam assertionis proferre, vid. p. 184. et 205.

S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

gorii Nysseni, sed cap. II. et III. libri *Nemesii de natura hominis*, (ap. Migne P. G. T. XL. p. 503.) plures eruditi critici jam ostenderunt. Cf. Fabric. Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 108. Ceillier T. VIII. Ch. V. A. II. §. V. (p. 264.) Dupin T. II. p. 404. Heyns l. c. p. 86. — Cl. Nirschl tamen hunc libellum s. Gregorio vindicat (Patrol. II. p. 205. 206.), remque inde praesertim probat, quod in eodem auctor citet suum librum *de fato*, quem Nyssenus certe conscripsit. Ait videlicet: *Εἴρηται δὲ ταῦτα καὶ ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης.* Sed rem inde evinci non censerem. Etenim etiam in Nemesii opere *de natura hominis* agitur de fato c. 35—38.; ipsum c. 35. inscribitur *περὶ εἱμαρμένης* et c. 38. apprime Platonis sententia quam in citatione auctor respicit exponitur. Unde illa *ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης* congrue huc referuntur, nec aliud opus indicant. Nysseni porro libellus *κατὰ* (non *περὶ*) *εἱμαρμένης* inscribitur, videlicet disputatio est *contra fatum*. — Citatur in opusculo de quo agimus etiam, uti existimat cl. Nirschl aliud scriptum *de anima*, quod pariter s. Gregorio adscribendum foret, ita ut duo opuscula *de anima* ipse confecerit. Dicit videlicet auctor: *Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐ δύναται παρακεῖσθαι τῷ σώματι ἡ ψυχή, ἐν τῷ περὶ ψυχῆς ἀποδέδεικται.* Sed ex hac citatione potius colligitur, scriptum de quo quaerimus non esse Gregorii Nysseni, sed revera partem constituere operis Nemesii *de natura hominis*. Etenim parum probabile imprimis videtur, quod Nyssenus in opusculo speciali „*περὶ ψυχῆς*“, aliud adhuc ejusdem nominis scriptum sine ulla ulteriori indicatione citaverit. In Nemesii vero opere haec citatio (apud Migne l. c. T. XL. p. 593) occurrit cap. III. quod est: *Περὶ ἑνώσεως ψυχῆς καὶ σώματος*, dum cap. II. inscribitur: *Περὶ ψυχῆς*. Quum igitur cap. III. dicitur „*ἐν τῷ Περὶ ψυχῆς ἀποδέδεικται*“ id ad praecedens caput referendum censeo, non vero ad aliquem alium libellum diversum. — Indicari existimat cl. Nirschl l. c. tractatum *de anima ad Tatianum*, qui passim s. Gregorio Thaumaturgo tribuitur. Mentionem ejus fecimus inter scripta dubia s. Gregorii Thaumaturgi (p. 347.); ut vero libellus hic Nysseno adscribatur, uti ex dictis colliges, rationes nobis non videntur sufficientes adesse.

7° Dogmatici pariter argumenti est *Epistola seu liber contra fatum — κατὰ εἱμαρμένης* (T. II. p. 62—81.[1]), in quo liberum hominis arbitrium adstruitur. Refert hic Gregorius ex occasione mirabilis ad fidem christianam con-

[1]) Edit. a. 1615. T. I. p. 894—913. Migne l. c. T. XLV. p. 146—174. Citatur liber iste a s. Anastasio Sin. Quaest. 19. (ed. Gretser p. 229—33). Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 586—87). Heyns l. c. p. 26—27.

versionis amico cuidam roganti disputationem olim a se Constantinopoli cum ethnico philosopho habitam, cui persuadere conatus fuerat, ut gentili superstitione missa religionem christianam susciperet. Ast philosophus ille multis confirmabat, haud in nostra potestate esse sententiarum animi delectum, sed pendere hominum vitam ex fati necessitate; fati autem nomine id significari, quod serie quadam immutabili pro certa stellarum conjunctione necessario efficiatur (p. 62—63. et p. 64—65.). Hic igitur valide impugnat *Astrologiam judiciariam*, quae statuit, actiones nostras a cursu et influxu astrorum pendere. S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

8) Huc etiam pertinet *Tractatus ad Hierium, Cappadociae Praefectum, de Infantibus, qui praematura morte abripiuntur* (T. III. p. 317—38.), antequam ad usum rationis pervenerint, eam simul quaestionem tractans, cur Deus quosdam adeo mature ex hac vita avocet, alios vero, quos tamen pessimos fore praevidet, ad longaevam aetatem pervenire sinat.[1])

9) Exstat s. Gregorii *Sermo adversus Arium et Sabellium*, (*λόγος κατὰ Ἀρείου καὶ Σαβελλίου*). In eo opusculo contra Arium Nyssenus divinitatem Filii vindicat; contra Sabellium probat, Filium esse personam distinctam a Patre. Utriusque autem haeresiarchae argumenta refellit.[2])

10) Habetur demum s. Gregorii *Sermo de Spiritu Sancto adversus Macedonianos pneumatomachos*, (*λόγος περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατὰ Μακεδονιάνων τῶν πνευματομάχων.*) Hoc tractatu Nyssenus Spiritus Sancti majestatem, et cum Patre Filioque aequalitatem adversus Macedonianos tuetur, objectis sibi refutatisque Pneumatomacho-

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 749—70. Migne l. c. T. XLVI. p. 161—192. Tractatus iste pariter citatur a s. Anastasio Sin. Quaest. 16. (ed. Gretser p. 186). Cf. Tillemont l. c. Art. XVIII. (p. 612). Ceillier l. c. Art. II. §. XXIII. n. 3—6. (p. 343—45). Dupin T. II. p. 397. Oudin T. I. col. 605. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 114. Heyns l. c. p. 62. — Edidit hoc opusculum gr. et lat. Krabinger, Lipsiae 1837. Graece cum vers. german Oehler, Lipsiae 1858. Vers. germ. H. Hayd, Kempten 1874.

[2]) V. Migne P. G. T. XLV. p. 1281—1301.

S. Gregor. Nyss. Opera dogmat.

rum argumentis, et insuper de suo additis gravis ponderis confirmationibus.[1])

Haec duo opuscula (9 et 10) reperit Angel. Majus et ex Vaticanis Codicibus edidit primum graece tantum (Script. Vet. Nova Coll. T. VIII. P. II.), dein vero emendatius graece ac latine additisque scholiis (Bibl. Nova T. IV.). In fine secundi opusculi plura desiderantur. Genuina esse haec scripta critici universim existimant; ultimum opusculum, textu ex eodem citato, etiam plures auctores graeci medii aevi, uti Niceph. Blemmides Joh. Veccus, Georgius Trapezuntinus diserte s. Gregorio Nazianzeno attribuunt.[2])

Nota. Idem s. Gregorius Nyss. *Testimonia adversus Judaeos* collegisse perhibetur; non satis tamen certum est, testimonia illa a Gregorio Nyss. in unum fuisse collecta et illustrata. Illius Operis auctor ex solis verbis Veteris Testamenti, paucis tantummodo explicationis gratia de suo adjectis, probare instituit contra Judaeos mysterium SS. Trinitatis, Incarnationem Filii Dei, Ejusdem nativitatem ex Virgine, miracula, passionem et mortem crucis, resurrectionem et ascensionem, gloriam Ecclesiae, destructionem religionis et cultus Judaeorum, vocationem Gentium, baptismum atque descensum Spiritus S. super Apostolos. — *Testimonia* haec, quae in editione Opp. s. Gregorii Nyss. latine tantum exstant T. II. p. 151—62. (edit. a. 1615. T. I. p. 983—94.), sed foede corrupta ac in fine (p. 160—62) interpolata, gr. et lat. ed. Zacagnius in Collectan. Monument. p. 288—329., unde recusa sunt in Galland. Biblioth. T. VI. p. 578—94. Migne P. G. T. XLI. p. 193—234. Cf. Zacagnii Praefat. n. 17. et 32., ubi censet, „opusculum istud a quibusdam interpolatum fuisse, praesertim in ejus exordio"; item Ceillier l. c. §. XV. n. 7. (p. 284.) et Heyns l. c. p. 86—87.

S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

II. Inter *Opera exegetica* s. Gregorii Nysseni referri debent sequentia:

1) *Explicatio apologetica* seu *Liber in Hexaëmeron* (*Ἀπολογητικὸς περὶ τῆς Ἑξαημέρου*) sive *de Opere sex dierum* (T. I. p. 1—43[3]), quem rogante fratre suo Petro,

[1]) V. Migne l. c. p. 1302—1334.

[2]) Vid. notam (1) A. Maji ad n. 6. opusculi ap. Migne l. c. p. 1307.

[3]) Migne P. G. T. XLIV. p. 61—124. In Operibus exegeticis hic recensitis paginae utriusque editionis antiquioris eaedem numerantur. — Opus hoc, licet nemo Veterum ei suffragatur, ex rationibus tamen internis, quibus accedit proprium s. Gregorii testimonium, vid. lib. 12. contra Eunom. (T. II. p. 775. edit. a 1615. T. II. p. 347), pro genuino recte agnoscitur. Cf. Dupin T. II. p. 391. Tillemont l. c. Art. VII. (p. 576—77). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 101—102.

S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

Episcopo Sebasteno, circa a. 379 confecit, ita inscribitur, quoniam continet simul defensionem Moysis, et eorum, quae in fratris Basilii Hexaëmero, utpote minus intellecta, nonnulli vel reprehenderant, vel desideraverant (vid. p. 3. et 5). Est autem liber hic compendiosus de creatione Tractatus, in quo iis omnibus praetermissis, quae jam a Basilio pertractata fuerant (vid. p. 43.), difficiliora, quae Basilius in concionibus ad populum habitis, utpote captum populi excedentia, non attigerat, pertractat, ut proinde s. Gregorii liber in Hexaëmeron veluti supplementum Homiliarum in Hexaëmeron a s. Basilio habitarum recte considerari possit. Illud autem s. Gregorius hic sibi proposuit, „verborum sensum explorare, tum vero operam suam in eo maxime collocare, ut vocibus in significatione propria permanentibus certum creationis omnium rerum ordinem et seriem statuere valeat“ (p. 6. cf. p. 5. et 20). Hinc complures subtiliores quaestiones, a fratre Petro sibi propositas (p. 1. 3—5. et 42.), apparentesque antilogias cum aliis s. Scripturae locis scite dissolvit (vid. p. 5—6. 42—43).

2) *Liber de hominis opificio* (*περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου*) eodem fere tempore, rogante fratre Petro, conscriptus eidem munusculi Paschalis loco transmissus est.[1]) Hoc in

[1]) Opp. T. I. p. 44—138. Migne l. c. p. 124—256. — De occasione, qua scriptus fuerit liber iste, vid. Epistola, quam Gregorius Nyssenus Petro fratri inscripsit, et quae huic libro praefixa invenitur. Hunc librum nonnulli Nemesio adscripserunt; ast perperam. Omnem scilicet de hoc Opere dubitationem excludunt ipse s. Gregorius Nyss. lib. in Hexaëm. T. I. p. 43. coll. Epist. s. Gregor. Nyss. ad Petrum fratrem, ibid. p. 45.; Dionysii Exigui antiqua versio latina, edita Coloniae 1551. iterumque 1573. Basileae 1562. (Interpretatio tamen Epistolae seu Praefat. Nysseni ad Petrum et ipsius Dionysii Epist. dedicatoria ad Eugippium nonnisi in Mabillonii Analectis, Paris. 1675. in fronte T. II. impressa legitur); Concil. Constantinopol. III. Act. X. (Mansi T. XI. col. 404.), ubi idem liber allegatur inscriptione nonnihil diversa: *ἡ εἰς τὸν ἄνθρωπον θεώρια*; S. Joannes Damascen. de Imagg. Orat. I. n. 28. (Opp. T. I. p, 324); Suidas s. v. *Γρηγόριος*; Nicephori Callisti Histor. Eccles. lib. 11. c. 19. et al. — Vers. germ. ed. Hayd, Kempten 1874.

S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

libro s. Gregorius relictum a Basilio fratre argumentum suscipiens disputationem de homine adjecit eis, quae in Hexaëmeron ab illo fuerant elaborata, sicque egregiae fratris lucubrationi coronidem haud indignam imposuit.[1]) Hic igitur, praemissis quibusdam de mundi creatione, *homo* consideratur, qualis fuerit in statu naturae integrae, qualis nunc sit in statu naturae lapsae, et qualis demum futurus sit in statu naturae redintegratae, ubi praesertim resurrectionem corporis fusius probat, idque tum ex sacrarum litterarum auctoritate, tum ex ratione; admirabilis quoque Dei sapientia in tota hominis structura, maxime in constitutione corporis humani diligenter investigatur et perquam accurate describitur.[2])

3) *Liber de Vita Mosis* seu *de Vita perfecta* (T. I. p. 167—256.) est enarratio historica et explanatio omnium

---

[1]) Idcirco liber iste ab antiquis etiam vocatur *ἀναπληρωματικὸς* quasi Basilii Homilias in Hexaëmeron complens, quo nomine venit apud s. Joannem Damasc. l. c.

[2]) Perperam s. Gregorio Nysseno tribuuntur *Homiliae duae in ea Scripturae verba: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“* (T. I. p. 139—166. Migne T. XLIV. p. 247—298), quae etiam s. Basilio M. adscribuntur sub titulo: *De hominis structura* Orat. I. et II. (S. Basilii Opp. T. I. p. 324—47. vid. supra §. 102. p. 511. Not. 1), et Opusculum seu potius majoris Operis Fragmentum, quod inscribitur: *Ex quaestionibus de eo, quid sit ad imaginem Dei et ad similitudinem* (T. II. p. 22—34. edit. a. 1615. T. I. p. 854—66. Migne l. c. p. 1327—1346). Neutrum Opus Gregorio tribui potest, quia Gregorius eandem materiam in libro de opificio hominis jam pertractaverat; insuper auctor istarum duarum Homiliarum Basilii personam induit, sicque imposturam aperte prodit; explicatio autem, quae profertur in tractatu posteriori, omnino differt ab ea explicatione, quae habetur in libro certe genuino s. Gregorii Nyss. de opificio hominis. Cf. Tillemont l. c. Art. XVI. (p. 604. et 605.) cum Not. 15. (p. 740—41.), item Not. 83. in s. Basilium M. (p. 681—82). Ceillier T. VIII. Chap. V. Art. II. §. II. n. 9. (p. 221.) et §. IX. n. 3. (p. 248). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 19. et 103. Garnier in Opp. s. Basilii M. T. I. Praef. n. 13. Tractatus posterior ex fide Codd. potius Anastasium presbyterum Sinaitam, qui vixit saeculo VII., auctorem habet, sub cujus nomine dudum impressus legitur gr. et lat. cum Origenis Philocalia ed. J. Tarinus. Paris. 1624. p. 559—89. Cf. Bandini Anecdot. Graec. Vol. II. (Florentiae 1763. 8°.) Prolegom. n. II. p. XVII—XX.

gestorum magni illius Judaeorum legislatoris, unde postmodum institutiones morum multaeque egregiae considerationes spirituales eliciuntur.[1]) Scripsit autem s. Doctor jam senex librum hunc in gratiam Caesarii cujusdam, juvenis piissimi et amici carissimi, qui datis litteris ipsum rogaverat, ut sibi virtutis perfectae normam traderet. Hunc in finem Gregorius Mosis vitam tanquam virtutis normam sibi tractandam proposuit; unde liber iste insignis etiam inscriptus est: *de vita perfecta* (*ὑποθήκη εἰς τὸν τέλειον βίον* i. e. admonitio ad vitam perfectam.[2])

4) *Epistola de Engastrimytho* seu *Epistola de Pythonissa* (T. II. p. 35—39.[3]), in qua roganti Theodosio Episcopo explanat partem libri I. Regum c. 28., probans, non veram Samuelis animam Saulo apparuisse, sed daemonem, qui Prophetae formam induit; nonnullas etiam alias quaestiones biblicas propositas paucis absolvit, atque inter alia Satanam (i. e. summum principem malorum daemonum) ante defectionem Archangelum fuisse statuit.

5) *Libri duo de Psalmorum inscriptionibus* (*εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν ψαλμῶν.*[4]) Rogatus a pio quodam amico, ut sibi Psalmorum inscriptiones explicaret seque edoceret,

---

[1]) Ap. Migne P. G. T. XLIV. p. 298—430.

[2]) Vid. ipse s. Gregorius Nyss. T. I. p. 167—171. et p. 255—56. Authentia hujus libri patet ex Theodoreti Dialogo I. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 42.), ex Germano Patriarcha Constantinopolitano, qui c. a. 690. floruisse perhibetur, apud Phot. Cod. 233. et ex s. Joannis Damasc. Parallelis sacris lit. *α.* tit. 12. (T. II. p. 339) item lit. *ε.* tit. 7. (ibid. p. 465), qui locus exstat apud Gregor. Nyss. p. 210. Sensus mystici hoc libro contenti brevem summam videsis p. 237. et p. 253—55. ejusdem libri.

[3]) Edit. a. 1615. T. I. p. 867—71. Migne P. G. T. XLV. p. 107—114. Cf. Tillemont l. c. Art. XVI. (p 605—6). Dupin T. II. p. 391. Ceillier l. c. Art. II. §. IX. n. 4-5. (p. 248—50). Eam, quam Nyssenus hic statuit, sententiam de Samuelis evocatione olim communem fuisse, ostendit Leo Allatius in Syntagmate suo *de Engastrimytho* cap. 10. et 11., quod adjectum est s. Eustathii Antioch. Commentario in Hexaëmeron. Lugduni 1629. 4°. (p. 442—59).

[4]) Opp. T. I. p. 257—372. Migne P. G. T. XLIV. p 431—616. Cf. Tillemont l. c. Art. XVI. (p. 604). Dupin T. II. p. 392. Ceillier l. c. Art. II. §. IV. (p. 226—29). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 104—105.

S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

quam inscriptiones istae aedificationi nostrae possent afferre utilitatem, totum Psalmorum volumen diligenter perscrutatus priori libro seu tractatu (T. I. p. 257—90.) introductionis gratia agit de scopo, ordine et divisione Psalmorum in quinque libros; in tractatu seu libro posteriore (T. I. p. 291—367.) ipsas Psalmorum inscriptiones, „quae non exiguum momentum ad virtutem afferunt", scite et ad aedificationem accommodate singillatim interpretatur, reddita simul ratione, cur Psalmi nonnulli inscriptionibus careant. Praeterea de significatione vocis: *diapsalma*, quae in Psalmis frequenter est obvia, pluribus disputat; et quaestionem solvit, cur ordo Psalmorum cum historiae ordine non conveniat; quod multis dein exemplis illustrat, paucis perstringens et exponens plerosque Psalmos priores (a Ps. 1—58). Quibus tandem subjungitur *Enarratio in Psalmum sextum* (T. I. p. 367—372).

6) *Homiliae octo in Ecclesiasten*, quarum ultima desinit in explicatione cap. 3. v. 13. (T. I. p. 373—467.[1]) Cum persuasum haberet Gregorius, scopum esse libri Ecclesiastis, mentem super sensum erigere, eamque relictis rebus inferioribus ad earum rerum, quae non sub sensus cadunt, cognitionem perducere atque earundem desiderio inflammare, omnia, quae dicuntur in Ecclesiaste, libro „vere sublimi et divinitus inspirato" (p. 374—75.), ad principia vitae spiritualis et moralis refert, idque ratione admodum facili et naturali, ut vere praeclara inde fluat morum institutio; quae se plurimum etiam commendat per descriptiones admirabiles virtutum ac vitiorum, atque consectariorum, quae istinc emanant.

7) *Expositio Cantici Canticorum ad Olympiadem* constat *Homiliis quindecim*, quarum ultima desinit in illustrando v. 9. cap. 6. (T. I. p. 468—711.[2]) Mysticum

[1]) Migne P. G. T. XLIV. p. 616—754. Hujus Operis meminit Suidas s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 498). Cf. Tillemont l. c. Art. XVI. (p. 504). Dupin T. II. p. 392. Ceillier l. c. Art. II. §. V. (p. 229—32). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 105.

[2]) Migne P. G. T. XLIV. p. 755—1119. Hujus expositionis mentionem facit P. Hadrianus I. in Concil. Nicaen. II. Act. II. (Mansi

hujus Cantici sensum in istis Homiliis eruit (p. 473.), ut commodum aliquod spirituale inde caperent auditores et lectores; „id enim, quod describitur in hoc Cantico, est apparatus nuptialis, id autem, quod intelligitur, est humanae animae cum Deo conjunctio“ (p. 478). Et quoniam hoc nonnullis minus probatum iri praevidit, in prooemio hujus expositionis demonstrandum sibi sumsit, mysticum interpretationis genus aliquando in explananda s. Scriptura necessario adhibendum esse. S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

8) *De Oratione Homiliae V* lectu dignissimae (T. I. p. 712—61.[1]) Prima agit de Orationis praestantia, necessitate, utilitate et modo, scilicet quid et quomodo oporteat orare. In quatuor reliquis sermonibus, exposita diversa vocum *εὐχὴ* et *προσευχὴ* significatione, ipsam Orationem Dominicam, quam Christus Dominus discipulos suos in monte docuit, accurate et perpulchre explanat.

9) *De beatudinibus Homiliae VIII* (T. I. p. 762—836.[2]), quibus octo beatitudines, quas Christus in Oratione sic dicta montana (Matth. 5, 1—12.) auditoribus proposuit,

---

T. XII. col. 1066), s. Joannes Damascenus in Parall. lit. *α*. tit. 12. (T. II. p. 339.) et lit. *δ*. tit. 14. (p. 438.), item Suidas s. v. *Γρηγόριος* (l. c.). Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 587). Ceillier l. c. Art. II. § VI. (p. 232—37). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. vol. IX p. 105. *Expositio Cantici Canticorum* per paraphrasin collecta ex s. Gregorii Nysseni, s. Nili et s. Maximi Commentariis (gr. et lat. in Biblioth. Magna Patrum edit. Paris. a. 1644.—54. T. XIII p. 681—761), Excerpta varia ex Nysseni Homiliis in Canticum exhibet. Cf. Tillemont l. c. Art X. (p. 587). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 123.

[1]) Migne P. G. T. XLIV. p. 1120—1193. Hoc Opus memorant Concil. Lateran. a. 649 Secret. V. (Mansi T. X. col. 1075—76.), s. Joannes Damasc. in Parall. l. c (p. 339.) tit. 26. (p. 365.) tit. 31. (p. 372.) et saep., porro s. Anastasius Sin. (?) Quaest. I. (ed. Gretser p. 6—8.) et XI. (p. 135), atque Euthymius Zigabenus in Panoplia. — Ed. gr. et lat. Krabinger. Landeshuti 1840; Vers. germ. ed. Fisch, Kempten 1880.

[2]) Migne P. G. T. XLIV. p. 1193—1302. Frequens hujus Operis habetur mentio apud Antiquos, ut apud Theodoret. Dialog. I. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 42 — 43.), in Concil. Ephes. Act. I. (Mansi T. IV. col. 1193), ne quid dicam de Concilio Lateranensi a. 649., de Liberato diacono, s. Anastasio Sinaita et s. Joanne Damasceno. — Vers. germ. ed. Fisch, Kempten 1880.

S. Gregor. Nyss. Opera exeget.

ita s. Gregorius explanat, ut cum interpretatione grammatica jungat etiam moralem et allegoricam, egregia inde morum praecepta derivet, ac ut clariorem dictis affundat lucem, historias quoque et elegantes similitudines hic illic interspergat.

Nota. His saltem tanquam elucubratio dubia accensenda venit *Tractatus in illud: „Quando sibi subjecerit omnia, tunc ipse quoque Filius subjicietur ei, qui sibi subjecit omnia"* 1. Cor. 15. 28. T. II. p. 6—21. (edit. an. 1615. T. I. p. 838—53. Migne P. G. T. XLIV. p. 1303—1326). S. Gregorius ab uno ex amicis rogatus, quomodo haec s. Pauli verba essent intelligenda, hunc libellum scripsit, quo ea sic explicare aggressus est, ut Christi divinam naturam vindicaret refelleretque sequelas, quas Ariani inde deduxerunt ad confirmandos errores suos. Libellus hic Origenianis erroribus, praesertim de salute omnium hominum, etiam perditissimorum, aperte favet; et quoniam Germanus Patriarcha Constantinopol. apud Phot. Cod. 233., s. Gregorium Nyss. a labe Origeniaca defendens ejusque libros hanc ob rem suspectos enumerans, illius ne verbo quidem meminit, merito in dubium vocatur atque *vel suppositicius, vel certe interpolatus* censetur. Cf. Cas. Oudin T. I. col. 599—600. Tillemont l. c. Art. XVI. (p. 605). Ceillier l. c. Art. II. §. IX. n. 1. (p. 246—47). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 106. Caeterum s. Gregorius in libris contra Eunom. non semel locum istum s. Pauli interpretatus est, vid. lib. I. et II. (Append. edit. a. 1615. p. 61. et ejusdem edit. T. II. p. 62).

§. 113.

Opera S. Gregorii Nyss. — *Moralia et Ascetica, Sermones, Epistolae.*

S. Gregor. Nyss. Opera moralia.

III. Ad *Moralia* merito referri possent plura *Opera exegetica*, scilicet praeprimis *liber de vita Mosis seu de vita perfecta*, tum vero etiam *Homiliae in Ecclesiasten* et *in Canticum Canticorum*, nec non *Homiliae de Oratione* atque *de Beatitudinibus*, quae omnes ad mores formandos pertinent (§. 112). Insuper Operibus moralibus accensendi veniunt:

1) *Tractatus tres de perfectione christiana*, scilicet:

a. *Quid nomen professiove Christianorum sibi velit* seu *de professione christiana* (T. III. p. 267—75.[1]), ubi

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 699—707. Migne P. G. T. XLVI. p. 237—250. De hoc et duobus opusculis proxime sequentibus cf. Tillemont l. c. Art. XVIII. (p. 611—12). Ceillier l. c. Art. II. §. XXII. p. 337—41).

Harmonio cuidam ostendit, hominis christiani professionem in eo proprie consistere, ut imitetur Jesum Christum, subinde exponens, quam necessarium illud sit et qua ratione fieri possit.

b. *De perfectione, et qualem oporteat esse Christianum,* ad Olympium monachum (T. III. p. 275—98.[1]), ubi accurate exponit, qua in re perfectio christiana consistat, et omnia officia atque virtutes perfecti Christiani paucis exhibet.

c. *De proposito secundum Deum* seu *de scopo Christianorum* (T. III. p. 298—311.[2]) brevis instructio est ad religiosos, qui ipsi proposuerant quaestionem de pietatis scopo ac de ratione, qua inter se conversarentur unaque concertarent. Eo in opusculo luculenter ostendit, quis sit pietatis scopus, et qua ratione ad illum perveniri possit; imprimis purgationem ab omnibus peccatis tam externis quam internis, abnegationem propriae voluntatis et assiduum orandi studium, caritatem, humilitatem et modestiam hunc in finem commendat.

2) *Liber de virginitate περὶ παρθενίας* (T. III. p. 113—179[3].), cui praemissa est Epistola exhortatoria ad vitam virtutis studio deditam (p. 111—112.), sublimissimis refertus est sensibus. Verum nomine *παρθενίας* non simplicem virginitatem in eo tractatu proponit Gregorius, sed generatim vitam Deo devotam, curis liberam vereque coelestem, cujus adjutrix imprimis et socia est virginitas seu coelibatus. Hic igitur virginalem continentiam seu sacrum

---

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 707—730. Migne l. c. p. 251—286. Opusculum hocce, quod recte etiam inscribitur: *De perfecta Christiani forma,* citatur in Anastasii Sin. (?) Quaest. I. (ed. Gretser p. 8. 9).

[2]) Edit. a. 1615. T. II. p. 730—43. Migne l. c. p. 287—306.

[3]) Edit. a. 1615. T. II. p. 543—611. Migne P. G. T. XLVI. p. 317—416. Dubitarunt nonnulli de hujus libri authentia, ast prorsus immerito. Cf. Dupin T. II. p. 397. Tillemont l. c. Art. II. (p. 565.) cum Nota 1. (p. 732). Ceillier l. c. Art. II. §. XIX. n. 1. (p. 328—29). Oudin T. I. col. 603—4. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 112. Rupp. p. 22—45.

S. Gregor. Nyss. Opera moralia.

coelibatum summis laudibus extollit, ac virginitatem matrimonio comparat et praefert; simul vero monet, eam corporis integritatem, etsi jam in se plurimum commendari mereatur, potissimum tamen medium esse, quo animus omnibus curis terrenis atque cupiditatibus solutus et plena spiritus libertate potitus Deo facilius conjungatur ac perfectionem christianam, omnium virtutum studio ornatam, certius assequatur. Tandem ad puritatem animae et corporis conservandam ostendit, qua ratione coelibes omnem suam vitam instituere debeant, ut coelibatum rite servent, nec ullo dedecore afficiant; temperantiam maxime et fugam deliciarum atque voluptatum sensualium commendat, aliaque subsidia idonea suggerit; postremo generatim saluberrimis praeceptis multisque egregiis similitudinibus praecipuas virtutes christianas inculcat.

3) His adjungi possunt *Orationes* ejus *morales*, quibus aut singulas virtutes commendat, aut vitia quaedam redarguit. Prioris generis sunt *Orationes duae*, quibus *amorem pauperum et beneficentiam* plurimum inculcat. — Ad Orationes posterioris generis pertinet ea qua abusum illum tollere studet, quo multi eo tempore *baptismum* ad extremum usque vitae diem variis sub praetextibus, quos graviter explodit Gregorius, procrastinare amabant.[1])

4) Denique huc spectat *Epistola canonica ad Letojum*, Episcopum Melitines (T. II. p. 114—23[2]), qui a. 381. sedem episcopalem conscenderat. In ea primo quidem peccata juxta triplicem animae facultatem (*τὸ λογιστικὸν*, *τὸ ἐπιθυμητικὸν*, *τὸ θυμοειδὲς*) in tres classes distinguit;

[1]) Orationes morales v. in Edit. a. 1628. T. II. ed. a. 1615. T. I. et in Appendice. Migne P. G. T. XLVI. p. 432—538.

[2]) Edit. a. 1615. T. I. p. 946—55. Migne P. G. T. XLV. p. 222—236. Dubia contra epistolam hanc canonicam a nonnullis mota prorsus vana sunt, cum eam Synodus Trullana can. 2. (Mansi T XI. col. 940.) jam laudaverit, Commentariis vero pridem illustraverint Theod. Balsamon et J. Zonaras. Cf. Dupin T. II. p. 402—3. Tillemont l. c. Art. XVII. (p. 607—8). Ceillier l. c. Art. II. §. XII. (p. 265—71). Labbe Dissert. histor. de Scriptor. Eccles. s. v. Gregorius Nyss. (edit. cit. p. 99). Oudin T. I. col. 600.

dein remedia canonica statuit iis, qui a fide orthodoxa defecerunt, vel qui ad artes magicas confugiunt, nec non variis luxuriae generibus, homicidio, latrocinio et furto, sepulcrorum violationi et sacrilegio. S. Gregor. Nyss. Sermones.

IV. *Sermones* s. Gregorii Nysseni, exceptis *moralibus*, quorum jam fecimus mentionem, dispesci possunt, in *Sermones dogmaticos*, *Sermones de festis Domini*, *Panegyricos in Sanctos* et *Sermones funebres*.

1) *Sermo dogmaticus* unus est celeberrimus, qui inscribitur: *Oratio de Deitate Filii et Spiritus Sancti et de fide Abrahami* (T. III. p. 464—78.), cujus patriarchae laudes, data occasione, ibi fusius persequitur ac filii sacrificium nativis admodum coloribus adumbrat.[1]) Caeterum in ista

[1]) Edit. a. 1615. T. II. p. 896—910. Migne P. G. T. XLVI. p. 554—576. Oratio haec praeclara frequenter a Veteribus laudatur, vid. Theodoret. Dialog. I. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 42., ubi simpliciter inscribitur: *Sermo de Abraham*), s. Joannes Damasc. in Orat. I. et III. de ss. Imaginibus (Opp. T. I. p. 324. et 364.), Concil. Nicaen. II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 9. et saep.), P. Hadriani I. Epist. ad Carolum M. pro Synodo Nicaena II. c. 37. (ibid. col. 777). Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 586.) et Ceillier l. c. Art. II. §. XXVI. (p. 353—55). — Pariter in *Oratione in suam ordinationem* (T. II. p. 40—47. Edit. a. 1615. T. I. p. 873—79. Migne l. c. p. 513—554), summum animi dolorem de Christianorum discordia testatus, potissimum refutat eos, qui Spiritus sancti divinitatem negabant et personarum divinarum aequalitatem non admittebant. Oratio haec de ipsius ordinatione nullum omnino verbum continet; unde potius inscriptio ejusdem, quam olim adhibuit s. Joannes Damascenus: *περὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει καταστάσεως τοῦ ἁγ. Γρηγ.* approbanda videtur. Ex antiquo hoc titulo conjicere licet, eam probabiliter habitam fuisse in Concilio Constantinopolitano a. 381, postquam Gregor. Naz. centrum unitatis constitutus fuerat. Cf. Tillemont l. c. Art. III. et XVI. (p. 569. et 606.) cum Nota 4. (p. 733—34). Ceillier l. c. §. IX. n. 6—7. (p. 250—51). D. Papebroch. in Actis SS. l. c. n. 34—35. Nec quod Tillemont (l. c.) aliique eum secuti contra hanc temporis notam opponunt, Gregorium scilicet a. 381. nondum adeo provecta aetate fuisse, ut canos gestaret, (quod tamen de se ipse testatur initio istius Orationis), ullam habet vim, cum idem s. Doctor lib. II. contra Eunomium (edit. 1615. T II. p. 65.) pariter de „senili canitie“ sua loquatur, quem tamen certissime a. 381. jam scripserat; (s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 128).

S. Gregor. Nyss. Sermones.

Oratione Constantinopoli a. 383 habita s. Gregorius Anomoeos Gentilium philosophis deteriores esse probat, vulgares eorum objectiones contra Filii divinitatem refutat, ac praesertim luculenter declarat, qua ratione Christus secundum divinam naturam Patri vere aequalis, secundum humanam naturam Pater ipso major dicatur; demum Spiritus Sancti divinitatem paucis adstruit.

2) *Sermones de festis Domini* (T. III. p. 366 sqq. Ed. a. 1615. T. II. p. 798 sqq. Migne P. G. T. XLVI. p. 577 sqq.) sunt: *Oratio in diem Luminum,* id est Epiphaniae, quo Christus baptizatus est, seu *in baptismum Christi.*[1]) — *Orationes quinque de Resurrectione Domini in festum Paschatis,* ex quibus vero non nisi tres (I. III. et IV.) inter genuinas referri merentur.[2]) — *Oratio in Christi Ascensionem,* qui dies festus Cappadocibus dictus est ἐπισωζομένη; et *Oratio in Pentecosten* — *Λόγος εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα.*

---

[1]) *Oratio in diem natalem D. N. Jesu Christi,* quae praecipuas nativitatis Christi circumstantias, Magorum adventum, infantium caedem rhetorice proponit variasque de Incarnatione Domini quaestiones solvit, *dubia* censenda est, quoniam stylo satis inaequali decurrit, complura de B. Maria Virgine ac de b. Zacharia ex apocryphis narrationibus hausta ibi continentur et loci aliquot fere ad verbum pares in libro s. Cyrilli Alex. contra Anthropomorphitas leguntur. Cf. Tillemont. l. c. Art. XIX. (p. 612. et p. 744). Ceillier l. c. Art. II. §. XXIV. n. 1. (p. 245—46). Heyns l. c. p. 64—65. — Alia quaedam *Oratio,* pia sane et elegans: *De occursu Domini, de Deipara Virgine et de justo Simeone* seu *in festum Purificationis B. V. Mariae,* quae inter Opera s. Gregorii Nysseni legitur, eidem ex hac potissimum ratione abjudicatur, quod festum Purificationis saeculo demum sexto originem tulit, qua de re vid. Tillemont Mém. T. I. N. S. Jésus Christ Art. III. (p. 6). Cf. Praefat. Opp. s. Gregorii Nyss. versus finem. Ceillier l. c. Art. II. §. XXV. n. 8. (p. 352). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 117. Oudin T. I. col. 606. Heyns l. c. p. 88.

[2]) Oratio I. quam post Combefisium etiam Tillemont in dubium vocavit ob singularem tridui, quod a morte Christi usque ad resurrectionem effluxit, computationem (Tillemont l. c. Art. XIX. p. 613.) merito genuina habetur ob auctoritatem s. Maximi, qui eam diserte Gregorio Nysseno tribuit; (s. Maximi Tomus dogmaticus adv. Heraclii Ecthesin in ejus Opp. T. II. p. 85.), et Concilii Lateranensis a. 649. Secret. V. (Mansi T. X. col. 1089). Cf. etiam Ceillier l. c. Art. XXV. n. 2. (p. 350—51). — Oratio II. insignis est conatus conciliandi inter

3) *Sermones Panegyricos in Sanctos* (T. III. p. 354 sqq. Ed. a. 1615. T. II. p. 786 sqq. Migne P. G. T. XLVI. p. 788 sqq.) s. Gregorius Nyssenus complures exaravit, ex quibus hodie circumferuntur: *Encomia seu Orationes duae in s. Stephanum Protomartyrem,* quarum prior die s. Stephani[1]), altera non die festo s. Stephani, sed die sequenti recitata fuit. Verisimile autem est, ecclesiae, cui Gregorius praeerat, et fortasse totius Cappadocum gentis instituto una eademque die, quae s. Stephani solemnitatem proxime sequitur, ss. Apostolorum Petri, Jacobi et Joannis festum simul celebrari consuevisse. In ea igitur Oratione a s. Stephani laudibus incipiens, mox ad celebrandos Apostolos illos progreditur, atque in eorum laudes fuse excurrit; hinc inscriptio minus respondet argumento. — *Oratio de s. Theodoro Martyre*[2]); *Orationes tres in quadraginta Martyres* Sebastae in Armenia sub Licinio Imp. passos[3]); *Oratio in laudem s. Basilii Magni* dicta Caesareae in die ejus memoriae sacro (Kalendis Januarii); S. Gregor. Nyss. Sermones.

---

se quatuor Evangelistas quoad tempus resurrectionis Jesu Christi, variasque post illam factas Christi apparitiones; Combefisius, secutus unius Codicis auctoritatem atque rationes internas eam Orationem *Hesychio,* presbytero Hierosolymitano saeculi quinti tribuit, idque omnino recte (Tillemont l. c. Art. XIX. p. 613). — Orat. V. singulas circumstantias ignominiosas passionis Jesu Christi accurate describit, ut exinde gloriam et splendorem resurrectionis in clariori collocet luce. Haec Tillemontio (l. c.) ut rerum inanis, ita recentioris Graeculi esse videtur. De his cf. Ceillier l. c. Art. II. §. XXV. n. 3. 6. (p. 351. et 352.) et Heyns l. c. p. 65—68.

[1]) Nonnulli auctoritate Photii permoti, eam in dubium revocare satagebant; ast immerito, cum Suidas s. v. *Γρηγόριος* Orationem hanc „valde admirandam" Gregorio Nysseno diserte tribuat, et Photii auctoritas perperam huc trahatur. Cf. Ceillier l. c. Art. II. §. XXIV. n. 4. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 115.

[2]) Ad objectiones, quibus nonnulli, ut Rivetus, hanc Orationem Nysseno abjudicare conabantur, solide et copiose respondent Natalis Alexander Hist. eccl. Saec. IV. c. 6. Dupin T. II. p. 407. Ceillier l. c. Art. II. §. XXV. n. 9. Tillemont l. c. Art. XIX.

[3]) Orationes I. et II. unam proprie Orationem constituunt; prior enim tumultu populi, nimia frequentia congregati, interrupta et altera demum die absoluta fuit.

S. Gregor. Nyss. Sermones.

Oratio in laudem s. Ephraem Syri[1]), et *Oratio in laudem s. Meletii*, Episcopi Antiocheni dicta in oecumenico Concilio Constantinopolitano a. 381.[2])

His adjungendae sunt duae *Orationes funebres*, quarum altera consolatoria habita est Constantinopoli *in funere Pulcheriae*, quae Theodosii M. et Flacillae filia a. 384. vel 385. non diu ante matrem Constantinopoli obiit[3]); altera funebris est *in Flacillam Augustam*, Theodosii M. conjugem, exstinctam in Thracia sub finem a. 385., quam hortante Nectario, Patriarcha Constantinopolitano, egregia Oratione Gregorius prosecutus est.[4])

Orationibus Gregorii demum haud immerito accensentur quaedam *Sanctorum Vitae*, in modum orationis conscriptae, adeo tamen prolixae, ut aut nunquam publice dictae, aut postea multum ampliatae fuerint, scilicet:

Oratio de Vita S. Gregorii Thaumaturgi, in qua eximias hujus Sancti virtutes celebrat, ac multa enarrat miracula ab eo patrata, in quibus nonnulla summa admiratione digna sunt. Caeterum harum rerum s. Gregorius Nyssenus testis est omni fide dignus, cum a s. Gregorio Thaumaturgo vix integro saeculo distet, ac quae de vita et miraculis magni illius Sancti refert, ex domestica

---

[1]) Hanc frustra aliqui in dubium vocare conati sunt; vid. Tillemont Mém. Not. I. in s. Ephraem. (T. VIII. p. 735). J. Assemani Prolegom. in T. I. Opp. graec. s. Ephraem. cap. I. n. I. (p. VI). Heyns l. c. p. 72.

[2]) De tribus ultimis Orationibus cf. Tillemont l. c. Art. XIX. Dupin T. II. p. 401. Ceillier l. c. Art. II. §. XXVII. n. 1—2. 10. C. Oudin T. I. col. 606. Orationem in laudem s. Basilii laudavit ejusque partem explicavit Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 223—26). Orationem in laudem s. Meletii Socrates Hist. Eccl. lib. 5. c. 9. memorat.

[3]) V. Ed. a. 1638. T. III. p. 514. Edit. a. 1615. T. II. p. 646. Migne P. G. T. XLVI. p. 863.

[4]) V. Edit. a. 1638. T. III. p. 524. Ed. 1615. T. II. p. 956. Migne l. c. p. 878. Cf. D. Papebroch. in Actis Sanctorum l. c. n. 29. Tillemont l. c. Art. X. (p. 588). Ceillier l. c Art. II. §. XXVII. n. 5—6. p. 358—60).

traditione acceperit; etiam s. Basilius M., paucis licet verbis, fratris narrationem haud obscure confirmat.[1]) — Ejusdem generis est lucubratio *de Vita s. Macrinae*[2]) virginis, quae s. Gregorii soror natu major, postquam sacrarum virginum congregationi multos annos praefuerat, defuncta est in monasterio sub finem a. 379. praesente Gregorio. Hujus vitam et virtutes piumque obitum luculenter describit, ac data occasione varios illius aetatis ritus sacros attingit. S. Gregor. Nyss. Sermones.

V. *Epistolae* s. Gregorii Nysseni. — Varia s. Gregorii scripta minora, quae forma epistolari exarata sunt, aut in vita hujus s. Patris, ut epistola ad Flavianum, (v. p. 569.), aut in prioribus Operum illius generibus suo loco relata sunt, ut Epistola canonica ad Letojum (v. p. 586). Hinc duae potissimum supersunt illius epistolae hic speciatim commemorandae, scilicet, *Epistola de euntibus Hierosolymam* (T. II. p. 651—54. Edit. a. 1615. T. II. p. 1084 — 87. Migne P. G. T. XLVI. p. 1009 — 1015), qua reprehendit abusus tunc temporis in peregrinationibus ad loca sancta obvios; et *Epistola ad sorores Eustathiam et Ambrosiam filiamque Basilissam* (T. III. p. 655—60. Edit. a. 1615. T. II. p. 1088 — 94. Migne l. c. p. 1015 — 1026.), in qua commoda et utilitates spirituales ex visi- S. Gregor. Nyss. Epistolae.

---

[1]) Ed. 1638. T. III. p. 534. Ed. 1615. T. II. p. 966. Migne l. c. p. 893. — Vid. s. Basilius M. de Spiritu S. n. 74. — Hoc eodem s. Gregorii Nysseni libro, quamvis tacito auctoris nomine, utitur Socrat. lib. 4. c. 27. Ejusdem porro disertam fecerunt mentionem Leont. Byzant. de Sectis Act. VIII. n. 4. (Galland. T. XII. p. 651.). Ven. Beda Comment. in Marc. lib. 3. cap. 11. (ed. Basileae a. 1563. T. V. p. 120.), Suidas s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 498.), Nicephori Histor. Eccles. lib. 11. c. 19. Cf. de authentia hujus Operis, ab uno alterove heterodoxo impugnati, Tillemont l. c. Art. XIX. (p. 614). Ceillier l. c. Art. II. §. XXVII. n. 7—8. (p. 360—63). Dupin T. II. p. 401. Oudin T. I. p. 606—7. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 118. et p. 125 —26. Heyns l. c. p. 70—71.

[2]) Alias etiam inscribitur: *Epistola ad Olympium monachum*, et habetur T. II. p. 177. (edit. a. 1615. Append. p. 177. Migne l. c. p. 959). Cf. Tillemont l. c. Art. V. et VIII. (p. 572. et 580). Ceillier l. c. Art. II. §. XXVII. n. 11. (p. 364—65).

S. Gregor. Nyss. Epistolae.

tatione locorum sanctorum provenientes agnoscit[1]), multumque conquestus de dissidiis ecclesiae Hierosolymitanae, eis mysterium Incarnationis Domini exponit monens, ut firmiter adhaereant antiquae fidei regulae a Patribus per Traditionem acceptae.

Aliae quoque exstant s. Gregorii Nysseni *Epistolae* 22, serius demum repertae.[2]) Ex his quaedam sunt *dogmaticae*, ut quum accusatus „quod a Nicaeni Concilii fide descisceret et cum Marcellianis communicaret, fidei ca-

---

[1]) De hisce duabus epistolis, quae gravem litium causam inter Catholicos et Acatholicos olim praebuerunt, imprimis memoratu digna sunt verba doctissimi P. Benedicti XIV., quae ita se habent: „Esto opuscula *genuina* dicamus; esto in abusus, qui occasione peregrinationum ad sacra Jerosolymorum loca irrepserant, s. Gregorium insurrexisse concedamus; esto praeposteram sententiam illorum, qui hasce peregrinationes ad aeternam salutem consequendam omnino necessarias affirmabant, proscribamus; nihil inde conficitur" (contra utilitatem sacrorum itinerum, quam ibi plurimum commendat P. Benedictus XIV.). — „Quodsi s. Doctor zelo pietatis abreptus vehementiori fortasse stylo in sacras Jerosolymorum peregrinationes aliquando obloquatur, aut de pravis peregrinorum moribus duriores quaepiam sententiae excipiendae sunt, aut communis ecclesiae sensus ac ritus, qui sacra Christianorum itinera, modo qua decet modestia ac disciplina instituantur, piis ac devotis operibus accenset, privato *Doctoris etsi sanctitatis ac doctrinae laude celeberrimi*, judicio anteponendus". Ita P. Benedicti XIV. Constitutio: *Apostolica* §. 9. (Bullar. Rom. Bened. XIV. T. III. p. 65—66). Cf. etiam C. Baronii Annal. ad a. 386. n. 39—40. D. Papebroch. in Actis SS. l. c. n. 31—33. Ceillier l. c. Art. II. §. XXIX. n. 2—5. (p. 368—72.) Gretseri Notae ap. Migne l. c. p. 1223—1248; item Oudin T. I. col. 607-9. Dupin T. II. p. 403—4. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 120—21.

[2]) *Epistolae* 15 gr. et lat. primum editae sunt a L. Zacagnio in Collect. Monum. p. 355—400. (inde recusae in Galland. T. VI. p. 604—23). Aliae dein *epistolae* 7 gr. et lat. primum editae sunt a J. B. Caracciolo Florentiae 1731. (recusae in Galland. T. VI. p. 624—36). Exstant omnes Epistolae ap. Migne P. G. T. XLVI. p. 999—1107, secundum quam edit. eas citamus. Cf. Zacagnii Praefat. n. 34—44 item Caraccioli Praefat. editioni suae praemissa et Animadvers. adjectae; Ceillier l. c. Art. II. §. XXIX. n. 6—22. (p. 372—81). Heyns l. c. p. 79—85. et p. 32—33. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 124—25.

tholicae confessionem scribens omni haereseos suspicione se purgavit (ep. 5. Z. 2.), et de fide SS. Trinitatis accurate tractat (ep. 24. C. 6.); quum mysticam inquirit rationem diversi temporis, quo Christus natus est et resurrexit (ep. 4. Z. 1.), ac demum de honore Martyribus tribuendo agit (ep. 25. C. 7). Aliae sunt *morales,* ut quum accurate exhibet dotes in electione Episcopi respiciendas (ep. 17. Z. 13.), vel quum Episcopo cuidam admodum urbane persuadet, ut vitiis emendatis meliorem vitae rationem sequatur (ep. 21. C. 3). Aliae demum *historicae* sunt, quibus tam laetos, quam tristes vitae suae eventus amicis renuntiat, pro acceptis beneficiis gratias agit, patrocinio indigos aliis commendat, familiares ad se invitat, urbanitatis denique mutuam reddit vicem. S. Gregor. Nyss. Epistolae.

Nota 1. *Liber ad Eustathium de S. Trinitate et quod Spiritus S. sit Deus* (T. III. p. 6—15. Edit. a. 1615. T. II. p. 438—47.), qui ab aliis s. Basilio M. tribuitur (s. Basilii ep. 189. edit. Maurin. Migne P. G. T. XXXII. p. 683.), omnino *dubius* est, quum Codices Mss. alii Basilio, alii Gregorio Nyss. lucubrationem istam adscribant, stylus vero aliis hunc, aliis illum auctorem prodere videatur; cf. Prud. Marani Vita s. Basilii c. 31. n. 2. et Not. ad h. epist. Caeterum ea, quae Gregorium Nyssenum hujus libelli statuit auctorem, sententia inde plurimum confirmatur, quod saeculo jam VII. ecclesia Occidentalis et Orientalis cum diserte pro legitimo Gregorii Nyss. foetu agnoverit, vid. Concil. Lateran. a. 649. Secret. V. (Mansi T. X. col. 1073—76.) et Concil. Constantinopolit. III. Act. X. (Mansi T. XI. col. 425—28). — *Tractatus ad Petrum fratrem suum de differentia essentiae et hypostaseos,* qui etiam inter Gregorii Nyss. Opera occurrit (T. III. p. 28—37. Edit. a. 1615. T. II. p. 460—69.), revera ad s. Basilium M. auctorem spectat, (s. Basilii ep. 38. edit. Maur. Migne l. c. p. 326. cf. P. Marani Not. ad h. epist.), prout jam saeculo V. Concilium Chalcedonense testatum reddidit (vid. supra §. 103. p. 520. Not. 1). Fortassis quam ipse a fratre Basilio primum acceperat epistolam, eandem Gregorius Nyss. postea fratri Petro transmisit, sicque duplex ejusdem epistolae inscriptio enata fuerit. Cf. Tillemont l. c. Art. XVIII. (p. 610.) et S. Basile Art. CXXIII. cum Nota 77. (ibid. p. 263. et 678). Ceillier l. c. Art. II. §. XVII. n. 1. et 5. (p. 320. et 322). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 110—111. et p. 129. Opera dubia et spuria.

Nota 2. *Epistola ad Evagrium monachum,* (al. ad Philastrium de consubstantiali), quae olim inter Opera s. Gregorii Nazianzeni lucem publicam aspexit tanquam Oratio 45. (edit. Maur. ep. 243.), ab aliis vindicata est s. Gregorio Nysseno, cui varii Codices Mss. et Euthymii Panoplia eam adscribunt. Cf. J. A. Fabricii Bibl.

S. Gregor. Nyss. Opera et spuria.

Graeca. Vol. IX. p. 123. Sed plures auctores graves modo existimant, hoc opusculum s. Gregorio Thaumaturgo tribuendum esse. V. §. 79. p. 345. 346.

Nota 3. *Oratio de poenitentia sive de muliere peccatrice ad eos, qui durius et acerbius alios judicant*, et *Sermo in principium jejuniorum* minus recte s. Gregorio Nysseno tribuebantur, ac merito jam restituta sunt Asterio Amaseno Episcopo (Migne P. G. T. XL. p. 341. et 370.), quemadmodum docet Photius, qui ampla ex eis Excerpta dedit Cod. 271. Cf. Tillemont l. c. Art. XVII. (p. 608.) cum Nota 16. (p. 741). — *Homilia* longior *in ss. Petrum et Paulum*, quam sub nomine Gregorii Nysseni ed. J. Gretser Ingolstadii 1620. 8°. est Maximi Planudae, vid. J. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. IX. p. 122.

Nota 4. *Opera* quaedam s. Gregorii Nysseni deperdita sunt, de quibus vid. Tillemont l. c. Art. XX. (p. 615—16). Ceillier l. c. Art. II. §. XXIX. n. 23. (p. 381—82). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 126 et 125. *Fragmentum ex Epistola ejusdem ad Philippum monachum*, quod occurrit in s. Joannis Damasceni libro contra Jacobitas (Opp. T. I. p. 424.) et in Leontii Hierosolymitanii lib. contra Monophysitas (A. Maji Collect. Nova Veterum Script. T. VII. p. 131.) non genuinum judicat Le Quien in Opp. s. Joannis Damasc. l. c. p. 426. — Exstant praeterea fragmenta ex *Sermone in Orat. Dominicam*, — ex *Sermone in illud: Hic est filius meus dilectus*, — ex *Sermone in Mariam et Joseph*, — ex libro inscripto *De cognitione Dei*, — ex *Oratione contra Ablabium*.[1])

§. 114.

S. Gregorii Nysseni character et doctrina.

S. Gregor. Nyss. character et doctrina.

S. Gregorius Nyssenus „fidei, conversationis, integritatis et sapientiae merito fratre Basilio dignissimus“[2]), tanta jam olim auctoritate eminuit, ut in Concilio Nicaeno II. „Pater Patrum ab omnibus appellatus“ inter illustres Ecclesiae magistros firmissimasque ejusdem munitiones referri meruerit.[3]) Gerendis tamen rebus publicis minus idoneus[4]), Rhetorices ac sublimioris philosophiae

---

[1]) Fragmenta collecta v. ap. Migne P. G. T. XLVI. p. 1107—1126.

[2]) S. Vincent. Lirin. Commonitor. c. 30. (ed. Baluz). Simili laudum praeconio eum extollit s. Gregorius Naz. Orat. 11. n. 1—3., ubi eum *καλοῦ παντὸς ὅρον καὶ κανόνα* vocat.

[3]) Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 293. cf. col. 267).

[4]) Cf. S. Basilii ep. 58. et 60. ep. 100. et ep. 215.

S. Gregor. Nyss. character et doctrina.

studio imprimis floruit, tantumque profecit, ut ob dictionis splendorem et jucunditatem „dulcis et illustris Ecclesiae fons“ dictus fuerit[1]), quamvis eloquentiae ratione habita Basilio fratre et Gregorio Nazianzeno nonnihil sit inferior. Theologiae nonnunquam philosophiam immiscet, et philosophorum principia, quatenus veritati revelatae concordant, adhibet tum in explicatione mysteriorum, tum in Sermonibus moralibus. Frequens autem est in explanando et demonstrando mysterio SS. Trinitatis, in explicanda Filii Dei Incarnatione, etsi hic expressiones non semper aptissimas adhibeat, generatim denique in omnibus, quibus opus salutis humanae continetur, accurate exponendis. Praeclarus item est in enarrandis exponendisque rebus in facto positis, atque in describendis personis, quae poëtico quodam colore ac insigni veritatis studio proponuntur. Vir caeteroquin mitissimae indolis, morum tamen censor severus exstitit, atque vitia sui aevi, abusus quoscunque, imo et leviores maculas in patientia et doctrina increpare non destitit. Insuper omnes fere ejus Tractatus et Orationes s. Scripturae auctoritati superstructae, ac testimoniis biblicis refertae sunt, quae fusius plerumque interpretatur; nonnunquam etiam auctores profanos, maxime Homerum, citat. In explicanda s. Scriptura, exemplum Origenis secutus, allegoricam interpretationem praesertim in Veteri Testamento, licet moderatius, adhibuit et commendavit.[2]) Imo deprehenduntur in ejus libris loci nonnulli, quibus Origenis errores circa naturam animarum et communem hominum damnatorum ex inferno liberationem adstrui videntur; attamen verisimile est, locos istos vel ab Origenistis adjectos vel saltem immutatos et corruptos fuisse.[3]) Nec desunt qui censent, orthodoxo sensu

---

[1]) Suidas in Lexico s. v. *Γρηγόριος* (T. I. p. 497). Phot. Cod. 6. — Imp. Leo in Constitut. 88. (Cod. Justinian. P. II. seu Novellae p. 277. ed. Sim. van Leeuwen. Antverp. 1726. fol.).

[2]) Vid. s. Gregor. Nyss. Prooem. in Cant. Cantic. Hom. VII. in Ecclesiasten Orat. IV. contra Eunom. Orat. in diem Luminum.

[3]) Cf. Germanus Patriarcha Constantinopolit. apud Phot. Cod. 232. et Abbas Barsanuphius in B. Montfaucon Bibliotheca Coisliniana Paris.

S. Gregor. Nyss. character et doctrina.

Gregorii effata explicari posse.[1]) Caeterum multus est in similitudinibus ad res illustrandas, multus in imaginibus, ut ea, quae tractantur, hominum animo contemplanda facile praebeat, abundat quoque comparationibus et antithesibus. Attamen tum ob rerum, quas tractat, internam difficultaten, tum ob nimium quandoque elegantioris sermonis studium stylumque paulo artificiosiorem inter difficiliores Ecclesiae Scriptores locum obtinet; his accedit, quod editio Operum ipsius, etiam reliquis praestantior, plurima adhuc desideranda relinquit.

Doctrinam hujus s. Patris quod attinet, fides Catholicorum luculenter ab eo confirmatur; cujus rei specimina quaedam proferre visum est:

1) *Principium fidei* ita proponit: „Nullus mihi objiciat, quod illud etiam, quod in nostra fidei professione tenetur, rationibus et argumentis indigeat confirmari et probari; *sufficit* enim *ad nostrae doctrinae demonstrationem*, quod habeamus a Patribus venientem ad nos *traditionem* velut haereditatem quamdam per successionem ex Apostolis per Sanctos sequentes transmissam".[2])

2) Quid sit *justificatio impii*, his docet: „Sancta mysteria (baptismi et confirmationis) hominem purgant, neque solum peccatum, quod difficulter eluitur, tum ab anima, tum a corpore abstergunt, sed et *pristinam pulchritudinem, quam optimus artifex in nobis effinxerat, reducunt*". „Submittimus nos (in baptismo) Patri et Filio, ut *sanctificemur;* submittimus nos *Spiritui quoque Sancto, ut id efficiamur, quod ille est ac dicitur*". „*Filii Dei* post gratiam (baptismo acceptam) vocamur, atque idcirco exacte convenit inspicere Patris nostri (coelestis) proprietates, ut ad similitudinem Patris nosmet formantes et effingentes

---

1715. fol. p. 397—98. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 124. Der Origenianismus Gregors von Nyssa, Rupp, S. 243—62.

[1]) Cf. Al. Vicenzi, In s. Gregorii Nysseni et Origenis Scripta et doctrinam nova recensio. Romae 1874. Vol. I.

[2]) Orat. III. contra Eunom. (juxta edit. a. 1615. Opp. T. II. p. 126). Cf. Concil. Trid. Trid. Sess. 4.

legitimi appareamus filii Ejus, *qui nos ad adoptionem, quae per gratiam contingit, vocavit*".[1]) S. Gregor. Nyss. doctrina.

3) *De necessitate praeparationis ad justificationem* in adultis haec habet: „Animae in regeneratione modus (*μέτρον*) et pulchritudo, quam gratia Spiritus Sancti largitur per studium ipsius accipientis, a nostro arbitrio pendent; nam in quantum labores pro pietate extendis, in tantum etiam animi magnitudo (*μέγεθος*, capacitas), simul extenditur. Ac sempiternam quidem et ineffabilem, quae in coelis est, laetitiam gratia Spiritus Sancti donat; dignitatem vero accipiendi haec dona et perfruendi gratia isthac, praeter labores caritas per fidem obtinet. Jam vero ad idem progressae justitia operum et gratia Spiritus Sancti animam, in qua concurrunt, beata vita simul junctae adimplent, verum a se invicem disjunctae nullum animae emolumentum exhibent."[2])

4) *De acceptae justificationis incremento* sic monet: „Dives et opulentus Spiritus Sanctus, qui semper infunditur in eos, qui gratiam acceperunt, — — cooperans et inhabitans permanet ac bonum in unoquoque construit juxta animae studium in fidei operibus. Oportet igitur, ut unusquisque nostrum semper se in virtute proficientem ad virum perfectum adducat juxta Apostoli dictum".[3])

5) *De mandatorum observatione et illius possibilitate, deque merito bonorum operum* statuit: „Spiritus Sanctus *fiduciam* collocat in observatione mandatorum" (*ἐν τῷ πληρώματι τῶν ἐντολῶν*). „Nemo imbecillitatem (*ἀδυναμίαν*) praetexat

---

[1]) Orat. in diem Luminum seu in baptismum Christi (Opp. T. III. p. 367. 372. et 379. cf. p. 368). Similia occurrunt in Orat. Catechet. c. 40. Cf. Concil. Trident. Sess. 6. cap. 4. et 7. can. 11.

[2]) De scopo Christianorum (Opp. T. III. p. 300). Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. 5. et 7., ubi praesertim attendas verba: „vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, *unusquisque suam secundum mensuram*, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, *et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem*"; item can. 1. 4. 7. 9.

[3]) De scopo Christian. (Opp. T. III. p. 299). Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 10. et can. 24.

S. Gregor. Nyss. doctrina.

ad honestarum actionum studium; nihil enim Deus praecipit, quod impleri non possit (*ἀδύνατον*). . . . Mandatum quidem exiguum est, obedientiae vero quaestus ingens; quare nihil exposcit, quod superat vires. Verum sive parvum, sive magnum quid facias, sequitur te merces ex proposito" (*κατὰ τὴν προαίρεσιν ὁ μισθὸς*).[1])

6) Idem *quatuor* simul adstruit *sacramenta, baptismi, confirmationis, ss. Eucharistiae* et *ordinis*, dicens: „Ne contemnas divinum lavacrum, neque id tamquam commune propter usum aquae parvi facias; nam id, quod operatur (i. e. *πνεῦμα*, Spiritus S.), magnum est, et ab illo mirabiles existunt effectus. Nam et altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est, natura communis . ., sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis sacerdotibus, iisque venerabundis contrectatur. Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sanctificaverit, corpus Christi nominatur et est (*σῶμα Χρ. λέγεται τε καὶ γίνεται*). Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu S. procedit, utrumque eorum excellenter operatur (*ἐνεργεῖ διαφόρως*). Eadem quoque verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. Quum enim antea unus e multitudine ac plebe fuerit, repente fit praeceptor, praeses, doctor pietatis et mysteriorum occultorum praesul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore, vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens".[2])

---

[1]) De scopo Christian. (Opp. T. III. p. 300. et p. 310). Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11. et 16. can. 18. 31. et 32.

[2]) Orat. in diem Luminum seu in baptismum Christi (Opp. T. III. p. 369—70). Cf. praecipue Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. et can. 1. item Sess. 23. tota. Longum foret, si vellem huc transcribere egregiam expositionem de ss. Eucharistiae sacramento, quam exhibet Gregorius in Orat. Catechet. c. 37. Ibi scilicet tanquam rem fidei pro-

7) *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum, ac de sacris imaginibus* haec docet, verba faciens de s. Theodoro Martyre: „Ipse ad Deum abiit; nobis vero memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiam erudiens, daemones arcens et fugans, angelos pacificos reducens, rogans a Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicinae officinam hunc locum efficiens". Tum ad ipsum Sanctum conversus subjungit: „Multorum beneficiorum indigemus; intercede pro patria apud communem regem". — „Corpus (s. Martyris), venerandum et immaculatum animae instrumentum, quod vitiis et affectibus suis illius inhabitantis integritatem non laesit, multo cum honore et veneratione compositum atque ornatum in augusto sacro loco repositum est, quod veluti res chara magnique aestimata (ὥσπερ τι κειμήλιον πολυτίμητον) in tempus regenerationis asservatur". — „Induxit etiam pictor flores artis in imagine depictos; fortia facta Martyris, cruciatus et beatissimam athlethae consummationem, humanae etiam formae effigiem certatoris Christi, haec omnia nobis tanquam in libro quodam loquente coloribus artificiose depingens, certamina atque labores martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amoenum et floridum templum exornavit; solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui et maxime prodesse".[1] S. Gregor. Nyss. doctrina.

Editiones: Opera s. Gregorii Nysseni primum latine prodierunt Coloniae 1537. fol. postmodum Basileae 1562. iterumque Editiones.

---

ponit: „panem, Dei verbo sanctificatum, in corpus Dei Verbi transmutari, μεταποιεῖσθαι"; haec autem ita fieri docet, dum Deus Verbum „substantiam rerum apparentium transmutat", μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν. Idem s. Pater sacramenta rursus indicat Orat. XI. contra Eunom. (Opp. T. II. p. 705—7).

[1]) Orat. de s. Theodoro Martyre (Opp. T. III. p. 584. 585. et p. 579). Idem s. Pater alibi narrat, se frequenter historiam Abrahami proprium et unicum filium Isaac jubenti Deo sacrificaturi in imagine depictam vidisse, eaque tabula conspecta etiam ad lacrymas commotum fuisse; „adeo perspicue atque evidenter ars pingendi oculis rem gestam subjecit"; ita Orat. de deitate Filii et Spiritus S. et de Abraham (Opp. T. III. p. 476). Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de Invocat. Sanctorum etc.

Editiones Opp. s. Gregorii Nyss.

1571. fol. item Paris. 1573. fol. — Plenior et accuratior caeteris latinis est editio, quam curavit Fronto Ducaeus Paris. 1603. fol. — Denique Paris. 1615. II Voll. fol. prodiit Editio graeco-latina cum Notis Frontonis Ducaei, cui adjungi debet: *Appendix ad S. Gregorii Nysseni Opera* gr. et lat. editore et partim quoque interprete Jacobo Gretsero S. J. Paris. 1618. fol., in qua continentur, quae antea vel penitus, vel saltem graece desiderabantur. Ad exemplar hujus editionis ordine tamen mutato confecta est editio altera gr. lat. Paris. a. 1638. III Voll. fol. absque ulla additione; editio haec priore minus elegans est ac minus correcta. — Plura ad haec postea addiderunt varii eruditi, ut Zacagni, Caracciolo, Gallandius, Ang. Mai. Omnia quae exstant Opera s. Gregorii Nysseni ed. Migne P. G. T. XLIV—XLVI.; sed etiam in hac editione quoad criticam varia desiderantur. — Novam Editionem criticam inchoarunt Forbes, Londini 1855, et Oehler, Halae 1865, I. Tom. Sed neutra Editio absoluta est. — Seorsim ex ejus Operibus prodiere vetustiori aetate: S. Gregorii Nyss. liber de opificio hominis gr. et lat. ed. Leunclavius. Basileae 1567 in 8°. — Ejusdem liber de virginitate gr. et lat. ed. Livinejus. Antverpiae 1574 in 4°. — Ejusdem liber de perfectione graece Venetiis 1574 et rursus Lugduni Batav. 1593 in 8°. — Ejusdem liber de scopo seu fine verae pietatis gr. et lat. Paris. 1606 in 8°. — Ejusdem Oratio de deitate Filii et Spiritus S. et Oratio de Paschate gr. et lat. Lipsiae 1564 in 8°. — Ejusdem de iis, qui adeunt Hierosolyma gr. et lat. Paris. 1551. et iterum 1558. 1606. Hanoviae 1607 in 8°. — Ejusdem ad Eustathiam, Ambrosiam et Basilissam Epistola gr. et lat. ed. Is. Casaubonus. Paris. 1606. iterumque Hanoviae 1607 in 8°. — Recentiori aetate: S. Gregorii Nyss. de anima et resurrectione Dialogus gr. lat. ed. J. G. Krabinger. Lipsiae 1837 in 8°.; gr. et germ. ed. Oehler Lips. 1858. — Ejusdem Oratio Catechetica cum Oratione funebri in Meletium Episcopum Antioch. gr. et lat. ed. Krabinger Monachii 1838 in 8°. — Ejusdem de Precatione Orationes V gr. et lat. ed. Krabinger. Landishuti 1840 in 8°. — Gregor. Nyss. Opusc. sel. ed. german. H. Hayd (De hominis opificio; Orat. catech. magna; Macrinia de anima et resurrect.; Vita s. Macrinae) Kempt. 1874. Alia Opusc. sel. ed. Fisch. (De oratione, de beatitudinibus, Orationes festiv. et funebres. Kempt. 1880. Cf. de editionibus vetustioribus J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 126—30.), Hoffmann Lexicon bibliographicum, Lipsiae 1832. T. II. p. 321—27.

§. 115.

S. Amphilochius Iconiensis Episcopus.

Fontes et Subsidia.

Fontes: S. Basilii lib. de Spiritu S. n. 1. et n. 79. ep. 150. ep. 161. item Prooemium ep. 188. et Prooem. ep. 199. — S. Gregorii Naz. Poëm. lib. II. Sect. II. Carm. 6. v. 100—104. — S. Hieronymi ep. 70. (al. 83.) n. 4. et de Scriptor. eccles. c. 133. — Theodoreti

Histor. Eccles. lib. 4. c. 11. et 30. lib. 5. c. 8. et 16. — Phot. Cod. 52.[1])

Subsidia: Tillemont Mém. T. IX. S. Amphiloque (p. 617—27. cum Notis p. 744—49). — Ceillier T. VII. Chap. II. (ed. 2. T. V). — Galland. Biblioth. T. VI. Prolegom. c. 6. — C. Oudin T. II. col. 219—231. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 373—382. — Cf. Chevalier s. v. Amphiloque.

S. Amphilochii Vita.

S. Amphilochius, e Cappadocia oriundus, primum rhetor ac foro assuetus, in solitudinem postmodum secedens monachi vitam egit. Egregiis vero animi dotibus praeditus fuit, quippe cum igneus illius caritatis fervor morumque gravitas ac taciturnitas celebratur, atque discendi studium et humilitatem ipse Basilius M. in eo admiratur; unde factum est, ut s. Basilius et s. Gregorius Theologus intima eum familiaritate dignum haberent, omnesque illum susciperent. Postmodum in stadio perfectionis mire progressus, atque in mediam Pisidiam numine divino deductus, a. 374 Iconii Episcopus ordinatus est.[2]) Mox s. Basilio auctor fuit scribendi librum de Spiritu S., et praeclaras illas epistolas canonicas; frequenter etiam de variis rebus difficilioribus eidem quaestiones proposuit. Idem non solum res Lycaoniae more apostolico composuit[3]), verum etiam a. 377. consultus ab alterius provinciae, fortasse Lyciensis, Episcopis, qui circa Macedonii haeresim fluctuabant, Synodum coëgit, in qua

---

[1]) *Vita S. Amphilochii* seu *B. Amphilochii, Episcopi Iconii, historia adversus Arianum Eunomiumque et Macedonium* (in Combefisii edit. Opp. S. Amphilochii p. 228—236., in Galland. Biblioth. T. VI. p. 508—513. ap. Migne P. G. T. XXXIX. p. 14—36.), ipsi jam Combefisio suspecta (l. c. p. 237. cf. p. 270.), Metaphrasten auctorem habet, virum levis fidei seraeque aetatis, cujus in rebus historicis priorum saeculorum vix ulla est auctoritas. Cf. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 374. et Galland. T. VI. Prolegom. c. 6. n. 7.

[2]) S. Basilii ep. 150. ep. 161. ep. 176. ep. 188 init. ep. 199 init. Lib. de Spiritu S. n. 1. et 79. S. Gregorii Naz. ep. 9. 13. 22. 23. 24. 25. 26. 27. item Poëm. lib. II. Sect. II. carm. 6. v. 100—104. Cf. Tillemont l. c. Art. I—III. (p. 617—22). P. Maraui Vita s. Basilii c. 30. n. 1. et 6.

[3]) S. Basil. ep. 200.

S. Amphilochii Vita.

consultationi respondens egregiam Synodicam suo et aliorum Episcoporum Lycaoniae nomine conscripsit, ac dubitatione omni remota veram de Spiritus S. divinitate doctrinam in clarissima luce collocavit.[1]) Postea Synodo generali Constantinopolitanae a. 381. interfuit, atque a Patribus hujus Concilii ad fidem catholicam per Asiae provincias restituendam delegatus est; quin etiam haud multo post a Theodosio M., licet reluctante, ingeniose impetravit, ut Arianorum conventicula prohiberentur.[2]) Anno autem 383. Synodo 25 Episcoporum praefuit, Sidae in Pamphilia contra Messalianos coactae, eamque haeresin penitus confodit.[3]) Miraculorum gloria illustris supremum diem obiit non adeo multo post a. 394.[4])

Opera.

Opera plura fuisse ab Amphilochio conscripta, et multiformis quidem doctrinae, tam saecularis quam ecclesiasticae laude conspicua, inter omnes constat. Sed haec fere omnia dudum interciderunt; et vix *nonnisi Fragmenta* hodie supersunt, quae Veteres nobis servarunt, ut Concilium Ephesinum et Chalcedonense, s. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Anastasius Sinaita, Leontius Byzantinus, Facundus Hermianensis, s. Joannes Damascenus aliique Ecclesiae Scriptores. Pleraque ex his fragmentis, desumta ex epistola quadam dogmatica ad Seleucum, vel ex Sermonibus in verba s. Scripturae Arianorum haeresi in speciem faventia, doctrinam Ecclesiae catholicae circa mysterium Incarnationis Domini, duas naturas et unam

[1]) Eam primus gr. et lat. in lucem extulit Cotelerius in Monument. Eccles. Graecae T. II. p 99—104. Inde etiam recusa est in Harduini Actis Concil. T. I. col. 797—802. Mansi Collect. Concil. T. III. col. 305—8. Galland. Biblioth. Patrum T. VI. p. 488—89. Migne l. c. T. XXXIX. p. 93—98. Cf. Tillemont l. c. Art. V. (p. 624—25).

[2]) Socrat. lib. 5. c. 8. Sozom. lib. 7. c. 9. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 5. c. 16.

[3]) Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 11. Haeret. Fabul. lib. 4. c. 11. Phot. Cod. 52. (p. 17—19). Cf. Tillemont. l. c. Art. VI. (p. 626).

[4]) S. Gregor. Naz. Poëm. lib. II. Sect. II. Carm. 3. v. 242—44. S. Amphilochius interfuit adhuc Concilio Constantinopolitano a. 394. (Mansi T. III. col. 851—52.); quamdiu adhuc superstes fuerit, ignoratur. Cf. Tillemont l. c. Art. VI. (p. 626.) cum Nota 4. in s. Amphiloch. (p. 745).

personam in Christo luculenter exponunt simulque veram Christi divinitatem adstruunt.[1]) — Integra sola exstat *Epistola Synodica*, quae ab omnibus tamquam genuina agnoscitur. In ea vero communi Episcoporum, qui secum congregati erant, nomine brevem et perspicuam fidei suae de Spiritu S. summam interrogantibus (Lyciae) Episcopis exponit: doctrina hujus Epistolae tota est Basiliana et Gregoriana. S. Amphilochii Opera.

Ad *Opera* ejus *dubia* pertinent *Jambi ad Seleucum*, quos refertos egregiis monitis ad juvenes litterarum studio deditos alii s. Gregorio Nazianzeno, alii s. Amphilochio vindicant.[2])

Denique saltem dubiae seu longe verisimilius *spuriae* censendae sunt *Homiliae octo*, quae Amphilochii nomine circumferuntur; istae potius ad juniorem quemdam Amphilochium, sive Sidensem in Pamphilia (saec. V.), sive Cyzicenum (saec. IX.) spectare videntur.[3]) — His postea alia quaedam accessit *Homilia in Paralyticum* ad proba-

[1]) Fragmenta ista collecta exhibentur in Opp. s. Amphilochii ed. Combefis. p. 138—54 Quibuscum conferri merentur varia Amphilochii Fragmenta. quae exhibent Anastasius presbyter et Leontius Hierosolymitanus in A. Maji Collect. Nova Veterum Script. T. VII. p. 7. 10. 15. 68. 135—36. 156. 205. 281. 283. item Synodus Constantinopolitana a. 1166. in A. Maji Collect. cit. T. IV. p. 9—11. — Migne l. c. p. 98—118.

[2]) Vid. Tillemont l. c. Art. VI. (p. 627.) cum Nota 6. in s. Amphiloch. (p. 746—47.) Galland. T. VI. Prolegom. c. 6. n. 6. — Aliter de hoc carmine judicat Ceillier T. VII. Chap. I. Art. IV. n. 55. (p. 186—88). Carmen hoc etiam separatim aliquoties editum est sub titulo: Ampilochii epistola gr. et lat. ed. Zehner. Schleusingae 1609 in 8°. — Amphilochii de recta studiorum ac vitae ratione epistola ad Seleucum gr. et lat. ed. N. Rittershusius. Altorffi 1644 in 8°. — gr. et lat. ed. A. W. Cuno. Magdeburgi 1695 in 4°. — gr. et lat. ed. J. B. Bernholdus. Altorffi 1740 in 8°.

[3]) Sunt autem *Homiliae* istae: *In Christi natalem; In Domini circumcisionem; De occursu Domini; In S. Deiparam et Simeonem; In Lazarum quatriduanum; In mulierem peccatricem; In diem Sabbati sancti; De poenitentia et quod non sit desperandum.* Cf. Tillemont l. c. Art. VI. (p. 627.) cum Nota 8. in s. Amphiloch. (p. 747—49). Ceillier l. c. n. 15. (p. 316—18). C. Oudin T. II. col. 219. 221—222. et 224—26. J. A Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 375—77. Exstant *Homiliae* ap. Migne l. c. p. 35—94; amandata est secunda et octava, tertia vero ac quarta in unam junctae sunt.

S. Amphilochii Opera.

ticam piscinam a Christo sanatum (Joh. 5, 2—14. et 7, 16—19.), quae, licet non omnino sit spernenda, Amphilochio tamen non satis digna videtur.[1])

Exstat etiam sub nomine Amphilochii *Vita s. Basilii Magni*, ast citra dubium falsa vel supposititia.[2]) Eandem notam meretur *Tractatus de non desperando*, qui ratione habita argumenti et formae s. Amphilochio abjudicari debet.[3])

Editiones

Editiones: Fragmenta s. Amphilochii genuina et Opera spuria sedulo collegit Fr. Combefisius, atque cum aliis nonnullis edidit hac inscriptione: SS. Patrum Amphilochii Iconiensis, Methodii Patarensis et Andreae Cretensis Opera omnia gr. et lat. operâ et studio P. F. Combefisii. Paris. 1644. fol. (deest tamen Epistola Synodica, de cujus editionibus vid. supra p. 602. Not. 1., et Tractatus de non desperando). Editio haec recusa est (addita Epist. Synod. et omissis tribus Homiliis, quas ipse Combefis. postmodum spurias agnoverat) in Galland. Biblioth. T. VI. p. 457—514. Adde Prolegom. ibid. p. XII. — Migne P. G. T. XXXIX. Gallandii editionem recusit.

---

[1]) Homilia haec etiam inscribitur: *εἰς τὴν μεσοπεντηκόστην*. Est autem Mesopentecoste solemnitas, quae per dies octo celebratur, et incipit ab hebdomadae quartae post Pascha feria quarta ac desinit in Vigilia Ascensionis Domini. (V. Sueceri Thesaur. eccl. s. h. v. Amstelod. 1682). Eam e Codice Mosquensi saeculi XII. primus edidit graece C. F. Matthaei cum *Gregorii Thessalonicensis X Orationibus*. Mosquae 1776 in 8°. p. 135—44. Migne l. c. p. 119—130.

[2]) Ita Card. Bellarmin. de Scriptor. eccles. Opp. T. VII. p. 102. C. Baron. Annal. ad a. 363. n. 55. et 74. ad a. 369. n. 41. ad a. 378. n. 10. et in Not. ad Martyrolog. Roman. (die 1. Januarii Nota m.). Dupin T. II. p. 411. Tillemont Nota 8. in s. Amphiloch. (p. 749). Ceillier l. c. n. 15. (p. 318—19). Mirari itaque subit, quomodo contingere potuerit, ut post Combefisium, cujus in re critica non adeo gravis est auctoritas, etiam Pagi in Crit. ad a. 362. n. 5—6. hanc Vitam, merito ab omnibus explosam, tamquam Opus genuinum defendere instituerit. — *Vita s. Ephraem Syri*, quam nonnulli eidem tribuunt (Opp. s. Ephraem Syri ed. Assemani gr. lat. T. I. p. XXXIV—IX. et Opp. s Ephraem Syri latine ed. Gerardus Vossius. Romae 1589. T. I. p. XV—VI.) non est nisi cap. 13. et 16. hujus Vitae s. Basilii M. (p. 202—6. et p. 215—20).

[3]) Tractatum hunc primus gr. et lat. ed. Petrus Possinus in Thesauro Ascetico seu Syntagmate Opusculorum asceticorum. Paris. 1684. Cf. G. Cave Vol. I. p. 252. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 381.

§. 116.

S. Epiphanius. Ejus Vita.

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Epiphanii Opera. — S. Hieronym. liber de Scriptor. eccles. c. 114. item lib. contra Joannem Jerosolymitanum (Opp. T. II. p. 407—54). Apolog. II. adv. Rufin. n. 22. et ep. 57. 82. 108. 127. — Pallad. Dialogus de Vita s. Joannis Chrysostomi c. 16. et c. 17. — Sozom. Histor. Eccles. lib. 6. c. 32. lib. 7. c. 27. lib. 8. c. 11. 12. 14. 15. — Socrat. Histor. Eccles. lib. 6. c. 7. 9. 10. 12. 14. 15.[1])

Subsidia: D. Papebrochius in Actis SS. Maji T. III. p. 36—49. — J. Gervais L'histoire et la vie de S. Epiphane, avec l'Analyse des Ouvrages de ce Saint. Paris 1738 in 4°. — Tillemont Mémoires T. X. p. 484—521. cum Notis p. 802—9. — Dupin T. II. p. 515—26. — Ceillier T. VIII. Chap. XVI. (ed. 2. T. VI). — Oudin T. I. col. 527—40. — G. Cave Vol. I. p. 231—34. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 255—77. — Cf. Chevalier s. v. Epiphane.

S. Epiphanii Vita.

S. Epiphanius, probabiliter natus circa a. 310—320[2]), oriundus fuit ex vico quodam Palaestinae in territorio Eleutheropolitano[3]), atque ab infantia sacris litteris institutus varias quoque linguas didicit, ita ut Graecam, Syram, Hebraeam et Aegyptiacam linguam, ex parte etiam Latinam noverit.[4]) Is ab ineunte aetate a praestantissi-

---

[1]) Exstat *Vita Epiphanii* (Opp. T. II. p. 218—81. Migne P. G. T. XLI. p. 115—152.), quae a *Joanne* et *Polybio*, ejus discipulis, conscripta fuisse perhibetur, „in plerisque tamen fabulae, quam historiae propior", erroribus scatens, mendaciis plena, ut judicarunt D. Petav. in Opp. s. Epiphanii T. II. Praefat. ad Lectorem, C. Baron. Annal. ad a. 372. n. 108. et 110. et ad a. 402. n. 25. Pagi Crit. ad a. 402. n. 4. et 8. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii (l. c.) cap. 6. et 7.

[2]) Unica ratio, unde annus natalis s. Epiphanii circiter potest derivari, est locus s. Hieronymi, qui a. 392. scripsit lib. de Scriptor. eccles. c. 114., eum „extrema jam senectute" degere, quae verba in viro, qui decennio post labores adhuc longinqui itineris maritimi suscepit, 70. fere aut 80. annum indicare videntur. Cf. de sensu verborum istorum B. Montfaucon in Vita s. Chrysostomi Opp. T. XIII. p. 93. col. 2.

[3]) Sozom. lib. 6. c. 32.

[4]) S. Hieronym. Apolog. II. adv. Rufin. n. 22.

S. Epiphanii Vita.

mis monachis, praesertim a s. Hilarione, educatus, primam instituti monastici exercitationem in Aegypto suscepit[1]), quo studiorum causa se contulisse videtur. Ibi cum mulieres quaedam, Gnosticae haereseos veneno infectae, libris mutuo datis, quos studiose legebat, fidem ejus subvertere conarentur, simulque pudicitiae ejus insidiarentur, fraude cognita statim ad Episcopos forte ibi congregatos rem detulit; quo factum est, ut octoginta fere communione Ecclesiastica ejectae urbem reliquerint.[2])

Postquam satis diu inter monachos vixerat, atque in monastica philosophia celeberrimus evaserat, vicesimum aetatis annum agens in agrum Eleutheropolitanum reversus monasterium condidit, ubi sacerdotii munere functus summa auctoritate pollebat, ita ut Eutychius, Episcopus Eleutheropolitanus, frequenter ejus consilium exquireret.[3]) Hic mediis in turbis Arianorum et communionem Episcoporum orthodoxorum constanter tenuit, et Confessores ob rectae fidei professionem exules summa veneratione prosecutus est.[4]) Sic ad tempora usque Valentis Imperatoris monachus vixit in Palaestina, nec apud Aegyptios solum ac Palaestinos, sed et apud Cyprios ea vita ratione adeo inclaruit, ut a. 367 Constantiae seu Salaminae, quae istius insulae metropolis erat, electus fuerit Episcopus.[5])

In munere Episcopali eum non solum vitae conversatio illustrem ob virtutes reddidit, verum etiam Deus miraculis per ipsum patratis eum honoravit.[6]) In novo hoc vitae genere institutum monasticum sedulo coluit, et

---

[1]) Sozom. l. c. S. Hieronym. in Vita s. Hilarionis n. 1. et Synopsis Ancorati (Opp. s. Epiphanii T. II. p. 1).

[2]) S. Epiphan. haer. 26. n. 17. et 18.

[3]) Sozom. l. c. Synopsis Ancorati (l. c.). S. Hieronymi ep. 82. n. 8. et lib. contra Joannem Jerosolym. n. 4.

[4]) Vid. s. Epiphan. haeres. 30. n. 5. et Facundi Hermian. Defens. trium Capitul. lib. 4. c. 2. (Galland. T. XI. p. 605). Cf. Tillemont l. c. Art. III. (p. 489—91).

[5]) Sozom. l. c. Cf. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii n. 11. l. c. Tillemont l. c. Art. VI. (p. 497).

[6]) Sozom. lib. 7. c. 27.

cum multi, virtutum ejus fama incensi et attracti, ad ipsum confluerent, multa in Cypro insula monasteria condidit, nec non monasteria Palaestinae saepius invisit et frequentes ad monachos suos litteras dedit.[1]) Summam vero laudem ac venerationem ubique terrarum ei merito conciliarunt profunda ejus humilitas atque immensa caritas. Adeo quippe liberalis fuit in pauperes, ut omnes ecclesiae suae opulentissimae proventus iisdem distribueret. Eapropter multi etiam ex variis orbis partibus, qui opes suas in pios usus convertere studebant, vel superstites ipsius ecclesiae eas donarunt, vel morientes eidem reliquerunt, confisi, illum, utpote qui probus dispensator Deique amantissimus esset, res ab ipsis donatas ex ipsorum sententia et voluntate erogaturum.[2]) Veneratio isthaec, qua omnes ubique „talem ac tantum virum“ prosequebantur, certe fuit in causa, ut Imperator Valens, licet Epicopos catholicos sedibus suis pelleret, Epiphanium tangere non auderet; multos etiam, quorum animi virtutibus sancti hujus viri accensi fuerant, amor et veneratio illius de toto orbe conduxit in Cyprum insulam, adeo ut monasteria multa paulatim ibi exsurgerent.[3]) S. Epiphanii Vita.

Sed imprimis ardens fidei zelus cor ejus implevit et actiones direxit; hinc tam verbo, quam scriptis haereses ubique insectabatur. Sic rogatus a presbyteris et magistratu oppidi Suedrorum in Pamphylia anno 374. fidem SS. Trinitatis luculenter exposuit, divinitatem praesertim Spiritus Sancti defendens, quo rudiores atque in fide adhuc haesitantes confirmarentur et Arianae haereseos reliquiae penitus exstirparentur.[4]) — Paulo post a religiosis

---

[1]) Vitae Patrum lib. 5. c. 4. n. 15. (etiam inter Apophthegmata Patrum in Coteler. Monum. graec. T. I. p. 428). S. Hieronymi ep. 108. n. 6. 7. et 20. ep. 51. n. 1.

[2]) Sozom. lib. 7. c. 27.

[3]) S. Hieronym. lib. contra Joannem Jerosolym. n. 4. et 9. ep. 108. n. 6. 7.

[4]) Vid. Epistolae praemissae Ancorato s. Epiphanii (Opp. II. p. 1—6). Cf. C. Baron. Annal. ad a. 374. n. 13. et Tillemont l. c. Art. VIII. et IX. (p. 502—5).

S. Epiphanii Vita.

quibusdam viris admonitus, alium rursus duplicem sibi oppositum errorem, in Arabia pullulantem, reprimere aggressus est, eorum scilicet, qui B. Mariae perpetuam virginitatem negare audebant, et eorum, qui solemni tempore per aliquot dies panem proponere et in Mariae nomen offerre consueverant, ita ut divinos ei honores haberent: utrumque errorem s. Epiphanius epistola illuc missa solide confutavit.[1]) — Eodem fere tempore cum Apollinaris Laodicenus, Epiphanio imprimis carus, errores suos de Incarnatione, quos dudum clanculum foverat, etiam in vulgus spargere coepisset, frequenter Epiphanius per legatos illum et ejus sequaces admonuit, ut omni contentione sublata, Apostolorum, Evangelistarum ac Patrum divinis sanctionibus insisterent, atque sincerae solidaeque fidei professionem conservarent. Cum porro Apollinaris Vitalem quemdam, inter primarios ejus asseclas connumeratum, Antiochiae Episcopum constituisset, Epiphanius, accersitus a fratribus, saepius cum schismatico illo Episcopo congressus est, ac disputans de Incarnatione demum illius detexit errores, sed frustra eum pertinaciter resistentem erroris convincere adlaboravit, unde tandem rebus infectis gravi moerore afflictus discessit. Sed nec Paulino, Antiochiae Episcopo, perfectam communionem ante concessit, quam is, qui Sabellianismi licet falso insimulatus fuerat, oblata fidei professione plene se purgasset.[2]) Quin etiam non solum fidei, sed et pacis atque unitatis ecclesiarum tanto flagravit studio, ut ad componendas ecclesiae Antiochenae turbas factionesque Episcoporum, qui eam simul obtinebant, Paulini et Flaviani, ad Synodum Romae a. 382. sub Damaso Papa coactam quamvis jam grandaevus alacri advolarit animo.[3])

Fervido disciplinae zelo aliquando vehementius abreptus esse videtur in facto, quod discuti solet in quae-

[1]) S. Epiphan. haer. 78. n. 1. 2. et 23. Epistolam ipsam idem s. Pater exhibet l. c. n. 2—24.

[2]) S. Epiphan. haer. 77. n. 2. 14. et 20—24. Cf. C. Baron. Annal. ad a. 363. n. 147—149. Tillemont. l. c. Art. XII. (p. 509—511).

[3]) S. Hieronymus ep. 108. n. 6. et ep. 127. n. 7.

stione de cultu sacrarum Imaginum. Cum videlicet in ecclesia villae cujusdam Palaestinensis conspicatus esset velum pendens in foribus ejusdem ecclesiae, quod depictam habebat imaginem quasi Christi vel Sancti cujusdam, valde indignatus, quod in ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum *hominis* penderet imago, scidit illud ac dedit consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent atque efferrent.[1]) — Extremo autem vitae suae tempore (inde ab anno 390.) duplicem ob causam acerrimis litibus implicitus est cum Joanne Episcopo Jerosolymitano aliisque Origenis fautoribus. Epiphanius enim, cui salus Ecclesiae tamquam summa lex proposita erat, in Palaestina, attamen extra fines dioecesis Jerosolymitanae, Paulinianum, s. Hieronymi fratrem, presbyterum ordinavit. Qua de re postmodum Joannes Episcopus Jerosolymitanus, ac si jura sua essent violata, graviter conquestus est.[2]) Vera tamen discordiae causa ea fuit, quod s. Epiphanius, qui Origenis errores jam olim ex lectione librorum ipsius cognoverat[3]), eosdem publice argueret atque Joannem, qui eisdem impense favebat, S. Epiphanii Vita.

---

[1]) S. Epiphanii Epist. ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum versa a s. Hieronymo, quae est inter Hieronymianas ep. 51. n. 9. Cf. C. Baron. Annal. ad a. 392. n. 48—60. C. Bellarmin de ss. Imaginibus lib. II. c. 9. Natal. Alexand. Histor. Eccles. Saec. IV. cap. 6. Art. 28. n. 5. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii l. c. n. 23. Tillemont l. c. Art. XV. (p. 516—17.) cum Nota 9. (ibid. p. 807—8). Ceillier l. c. Art. II. §. IV. n. 4. (p. 717—18). Dupin T. II. p. 518—19. Jungmann, Tractat. de Verbo Incarn. n. 410.

[2]) Vid. s. Epiphanii Epist. ad Joannem Jerosolym. seu s. Hieronymi ep. 51. n. 1—2., ubi ipse Epiphanius omnem rem gestam enarrat suamque agendi rationem vindicat. Cf. s. Hieronymi ep. 82. n. 8. et lib. contra Joannem Jerosolym. n. 40—44. Aliud quoque exemplum compertum habemus, quod s. Epiphanius juxta principia in Epistola sua (supra cit.) proposita ordines in aliena dioecesi contulerit, vid. Socrat. lib. 6. c. 12. et 14. Cf. Pagi Crit. ad a. 402. n. 2. seqq. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii l. c. n. 40. 41. et 45.

[3]) Vid. Rufin. de adulterat. librorum Origenis (in Origenis Opp. T. IV. Append. p. 54). S. Hieronymi Apologia II. adv. Rufin. n. 21—22. Cf. Tillemont l. c. Art. V. (p. 493—96).

S. Epiphanii Vita.

inde retrahere studeret[1]), imo collecto Cypriorum Episcoporum Concilio Origenis libros condemnaret eorumque lectione interdiceret. Joannes autem indigno plane modo venerabilem senem Epiphanium tractavit, Anthropomorphitarum etiam errorem ei imputans, quin tamen Origenismi labem a se ipso removeret. Postea (a. 401.), cum Theophilus, Patriarcha Alexandrinus, monachos Nitrienses Origeni plus justo faventes expulisset, eosque fugitivos s. Joannes Chrysostomus Constantinopoli benigne excepisset, s. Epiphanius, qui causam illorum non satis perspectam habuit[2]), a Theophilo instigatus illuc se contulit, ut Origenis errores omnibus patefaceret; eumque ac libros ipsius ab omnibus condemnari petiit. Quod quum s. Joannes Chrysostomus aliique complures Episcopi ante causae cognitionem fieri posse pernegarent, rebus infectis Cyprum navigavit[3]), seu quod Constantinopolitanae profectionis ipsum poeniteret, seu quod Deus propinquam ipsi mortem revelasset. Revera enim dum adhuc navigaret, priusquam appulisset in Cyprum, fato interceptus est a. 403.[4]) Illius discipuli templum in Cypro, ejusdem s. Patris nomine

---

[1]) Huc praecipue spectat s. Epiphanii Epist. ad Joannem seu s. Hieronymi ep. 51. Cf. s. Hieronymi ep. 57. n. 2. et lib. contra Joannem Jerosolymit. n. 8. 9. et 11.

[2]) Sozom. lib. 8. c. 15.

[3]) Lites hasce Origenianas paucis perstrinxisse hic sufficiet, quia scripta s. Epiphanii nequaquam ab illis pendent. Qui plura desiderat, videat D. Vallarsi Vitam s. Hieronymi c. 24—31. (Opp. s. Hieronymi T. XI.). B. Montfaucon in Vita s. Joannis Chrysostomi (Opp. T. XIII. p. 142—45). Tillemont l. c. Art. XVI. P. D. Huetii Origeniana lib. II. Cap. 4. Sect. I. et II. (in Opp. Origenis ed. Maur. T. IV. Append. p. 264. seqq.) A. Vincenzi, In s. Gregorii Nysseni et Origenis doctrin. T. III. Romae 1864. Eberhard, Die Betheiligung des Epiphanius im Streite über Origenes. Trier 1859.

[4]) Sozom. lib. 8. c. 15. Socrat. lib. 6. c. 14. cum Nota Valesii. Pallad. Vita s. Joannis Chrysost. c. 16. (p. 150—51). Cf. Baron. Annal. ad a. 402. n. 24. Tillemont l. c. Art. VI. (p. 497). Ceillier l. c. Art. I. n. 15. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii l. c. n. 42. Aliter statuit Pagi, qui eum anno jam 402. demortuum censet, Crit. ad a. 402. n. 6—8.

appellatum, exstruxerunt, et cum aliis multis titularibus picturis ipsius quoque imaginem in isto templo collocarunt.[1])

§. 117.

Scripta S. Epiphanii. — *Opera dogmatica.*

Opera s. Epiphanii potissimum versantur in haereticis impugnandis et in Scripturis explanandis.

S. Epiphanii Opera dogmat.

I. *Opera dogmatica* haec sunt:

1) *Ancoratus* (Ἀγκυρωτός) sic dictus, quia animum de vita ac salute fluctuantem instar ancorae moderatur et firmat[2]), scriptus est a. 374[3]). Rogatus quippe Epiphanius a pluribus presbyteris, monachis et laicis Pamphiliae, Pisidiae et Aegypti, orthodoxae fidei addictis, ut ex s. Scriptura solidum praecipuorum fidei capitum fundamentum, praecipue doctrinam de Trinitate et Spiritu S. ipsis exponeret, diu prae modestia reluctatus hoc demum Opus conscripsit.[4])

Hoc in libro, qui permultas continet digressiones omnesque data occasione recenset haereses (n. 12—13.), contra Arianos et Pneumatomachos doctrinam de SS. Trinitate defendit ac probat, dum Verbi seu Filii ac Spiritus S. divinam naturam solide adstruit, atque solutis objectionibus „eandem esse Trinitatis substantiam“ demonstrat (n. 1—75.); tum contra Apollinarium verba faciens de perfecta Christi Incarnatione accurate disserit (n. 75—82. cf. n. 27—38). — Deinceps contra Origenis asseclas, qui in Aegypto commorabantur, nec non contra Gentiles haud absimili errore implexos, veram carnis humanae resurrectionem certissime

---

[1]) Concil. Nicaenum II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 296).

[2]) Hujus libri ipse meminit nominisque rationem reddit Epiphan. haer. 69. n. 27. cf. Palladii Epist. Ancorato praefixa (T. II. p. 3). Ejusdem pariter mentionem fecere Socrat. lib. 5. c. 24. Sozom. lib. 8. c. 15. S. Joannes Damascenus in Epistola de Hymno trisagio n. 25. (Opp. T. I. p. 494—95).

[3]) Ancor. n. 60. et 121. Cf. Tillemont l. c. Art. IX. (p. 505.) cum Nota 4. (ibid. p. 804—5).

[4]) Vid. Synopsis Ancorati (quae vero non est ipsius s. Epiphanii), Epistolae Ancorato praefixae, hujusque initium (Opp. T. II. p. 1—6.). item haeres. 69. n. 28. et haer. 74. n. 1. Cf. Tillemont l. c. Art. VIII. (p. 502—4).

S. Epiphanii Opera dogmat.

futuram probat (n. 83—103.), lectores simul monens, ut Gentiles a turpissimis idololatriae erroribus atque flagitiis liberare studeant (n. 104—9.); praecipuas deinde Manichaeorum et Marcionistarum, qui Deum Veteris Testamenti variis modis calumniari consueverant, rationes confutat (n. 109—116). Denique Judaeos paucis aggreditur, qui divinam oeconomiam non intelligentes Deum incarnatum rejecerunt (n. 117—18.), Sabellianis, Arianis et Pneumatomachis argumenta quaedam principalia opponit (n. 118—19.), atque pulcherrimam admonitionem subjungit praecipiens custodire filiisque sincerum tradere symbolum fidei, quod cum fidei professione paulo uberiore in calce Operis adjicit[1]) (n. 119—121[1]).

2) *Panarium* (*Πανάριον seu Πανάρια*) *adversus octoginta haereses*[2]) ita inscriptum est ab ipso Epiphanio, quoniam in eo, veluti in arcula medica, contra mortiferos ac venenatos morsus serpentium (quo nomine haereticos designat) adeoque morbos omnes haeresum saluberrima remedia continentur.[3]) Opus hoc, quod a. 374. scribere coepit cuique exarando saltem per triennium insudavit, suscepit rogatus, imo fere coactus a multis fratribus, praesertim a presbyteris et abbatibus Acacio et Paulo, qui vehementer instabant, ut quae nonnullis fratribus jam dixerat, ad ipsorum institutionem impertiri non gravaretur, ut praeter haeresum nomina etiam dogmata cavenda accurate cognoscerent. Horum itaque precibus satisfac-

[1]) Symbolum fidei idem fere est, quod hodie vocatur Nicaeno-Constantinopolitanum, quod proinde aut ante a. 381. in quibusdam ecclesiis jam usu obtinuerat, aut postmodum a s. Epiphanio insertum est Operi huic. Cf. Card. Thomasii Notam ad h. l. in ejusdem edit. Ancorati infra notanda; Franzelin de Trinit. thes. XXXVII. — Caeterum liber hic a s. Epiphanio dictatus et ab Anatolio quodam calamo exceptus est (n. 121).

[2]) Migne P. G. T. XLI. XLII. Laudant hoc Opus adversus haereses plerique Veterum, ut s. Hieronymus de Scriptor. eccles. c. 114., s. Augustin. ep. 222. n. 2. et liber de haeres. c. 57., s. Ephraem Antioch. ap. Phot. Cod. 229., Facundus in Defens. trium Capitul. lib. 4. c. 2. (Galland. T. XI. p. 704. et 705.), s. Gregorius M. lib. 7. ep. 4. et lib. 8. ep. 30. Phot. Cod. 122. Secuti sunt Epiphanii librum posteriores omnes, qui de haeresibus scripserunt, ut Theodoretus et s. Joannes Damascenus, nec non ex Latinis s. Philastrius et s. Augustinus.

[3]) S. Epiphan. Epist. ad Acacium et Paulum praefixa Panario mox ab initio.

turus insigne hoc Opus scribere aggressus est, quo haereseon omnium nomina declarare, nec non execranda ac nefanda illarum dogmata et flagitia, resque praecipuas ab istarum auctoribus asseclisve gestas diligenter exponere, earum denique erroribus confutationes velut antidota quaedam opponere instituit, quibus et haeretici ad saniorem mentem reduci, et sani in fide conservari ac praemuniri possent.[1]) S. Epiphanii Opera dogmat.

Opus hoc, quod in tres libros septemque tomos dividitur, *octoginta haereses* complectitur, quarum 20 Christo antiquiores sunt (cum jam ab orbe condito s. Ecclesia esse coeperit), 60 vero a Nativitate Christi usque ad ipsius Epiphanii aetatem exortae sunt. Nomen quippe *haeresis*, de cujus notione anceps olim quaestio agitata est, latissime in quibusdam usurpat, ita ut sententias quaslibet a veritate discrepantes sectasque praecipuas Judaeorum et philosophorum ante Christum eo nomine intelligat.[2]) Caeterum quae hoc in Opere de origine, fatis et erroribus institutisque haereseon ingenuo veritatis studio refert, partim usu ac consuetudine didicit, partim fide dignorum hominum, qui rei veritatem indicare poterant, narratione ac testimonio edoctus est[3]); fontes quoque haereseon generatim optime designat (haer. 75. n. 1). Omnium uniuscujusque Tomi haereseon brevis ab ipso Epi-

---

[1]) Vid. in fronte Panarii Epist. Acacii et Pauli ad s. Epiphanium, hujusque responsio ad eosdem subjuncta, item Panarii lib. I. n. 1—2. Haer. 80. n. 10. Exposit. fidei cathol. n. 19—20. Cf. Tillemont l. c. Art. X. et XI. (p. 505—8). De tempore autem, quo scriptum fuerit hoc Opus, cf. Tillemont Not. 5. in s. Epiphan. (T. X. p. 895—6).

[2]) Vid. s. Epiphanii Epist. ad Acacium et Paulum; Haeres. 80. n. 10. et Ejusdem Expositio fidei cathol. n. 5 6. 7. 8. 9. et n. 20. Caeterum tam late usurpans vocem *haeresis*, usum loquendi s. Scripturae ac Veteribus generatim familiarem secutus est Epiphanius, vid. Act. Apostol. 5, 17. 15, 5. 26, 5. item Dionys. Halicarn. epist. 1. ad Ammaeum c. 7. (ed. Sylburg. Lipsiae 1691. T. II. p. 122). Diogenes Laërtius de Vitis Philosophorum Prooem. n. 13—14. (Curiae Regnitianae T. I. p. 18—20). Origenes contra Cels. lib. 5. n. 61. (Opp. T. I. p. 624). Cf. etiam de notione haeresis s. Augustini ep. 222. n. 2. et Ejusdem Praefat. libri de haeres. (T. VIII. p. 3—4.) nec non s. Hieronymi Commentar. in Epist. ad Titum c. 3. v. 10. 11. (T. VII. p. 737—38). P. Galeardi Praefat. in lib. s. Philastrii de haeres. n. 1. De numero istarum haereseon cf. D. Petavii Animadvers. in s. Epiphanium (T. II. Append. p. 2—3).

[3]) S. Epiphan. Panar. lib. I. n. 1—2. et haer. 26. n. 18.

S. Epipanii Opera dogmat.

phanio concinnatus est conspectus, qui singulis Tomis praemittitur. Denique in fine totius Operis ab eodem adjecta est brevis *Expositio fidei catholicae*, in qua Ecclesia ejusque doctrina perspicue demonstratur et sic praeclaro Operi digna coronis imponitur.[1]) Totum istud Opus, egregium plane et catholicae Ecclesiae admodum utile, summi est momenti pro historia ecclesiastica, pro dogmatica et archaeologia christiana, ita ut merito a viris doctissimis habitum sit veluti quidam antiquitatis ecclesiasticae thesaurus, paucos si excipias naevos, qui ob nimiam auctoris credulitatem hinc inde irrepserunt.[2])

3) *Ἀνακεφαλαίωσις (Recapitulatio)* brevis est Epitome Panarii ad eosdem presbyteros Acacium et Paulum, quae ad verbum exprimit Epiphanii Epistolam ad Acacium et Paulum ferme totam, deinceps Libri I. tomi primi Tractatum finalem, qui est de Incarnatione D. N. Jesu Christi, integrum, porro conspectum haereseon singulis sex tomis Panarii praefixum, qui earundem perversa dogmata, absque tamen refutatione, paucis verbis comprehendit, ac demum Expositionis fidei catholicae partem non minimam (scil. n. 13—18).

Quum igitur Anacephalaeosis isthaec verbo tenus referat atque in unum veluti corpusculum conjungat partes praecipuas Panarii, parum utique refert, utrum ipse s. Epiphanius opusculum istud concinnaverit, an alius quispiam magnum Panarii volumen in hanc epitomen redegerit; utrum quippe ex his statuatur, semper tamen manent Epiphanii sensus et verba.[3])

[1]) Migne l. c. T. XLII. p. 773—832. De hac ultima eaque pulcherrima et utilissima Operis hujus parte vid. s. Epiphanii Epist. ad Acacium et Paulum item Indiculus Tomi VII. (Opp. T. I. p. 994.) et haeres. 80. n. 11. Cf. Tillemont l. c. Art. XI.

[2]) Vid. s. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 114. et Phot. Cod. 122. C. Baron. Annal. ad a. 375. n. 17. D. Petavii Dedicatio Opp. s. Epiphanii in fronte T. I. Tillemont l. c. Art. XI. (p. 509). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 266—67. et C. Oudin T. I. col. 530—31., (qui duo posteriores paulo iniquius de s. Epiphanio judicium tulerunt).

[3]) Exstat haec lucubratio T. II. p. 126—157. Migne l. c. p. 833—886. Eam dubio procul s. Augustinus mentione facta „librorum Epiphanii de haeresibus“ intellexit, vid. s. Augustini Praef. lib. de haeres. (T. VIII. p. 3.), id quod luce clarius patet ex ejusdem s. Augustini Op. imperf. contra Julian. lib. 4. c. 47., ubi haeresis Apollinaristarum ex s. Epiphanio ad verbum ita exhibetur, prout in Anacephalaeosi (T. II. p. 149) habetur. Cf. etiam Tillemont l. c. Art. XI.

§. 118.

Scripta S. Epiphanii. — *Opera exegetica et alia.*

S. Epiphanii Opera exegetica.

II. Opera, quae ad explanandam s. Scripturam faciunt, duo supersunt, scilicet:

1) *Liber de mensuris et ponderibus (περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν)*, Opus multa eruditione plenum, forte tamen ab initio mutilum, scriptum a. 392. (vid. n. 20.), cujus scopus esse videtur, tradere fidelibus instructionem ad intelligendas s. Scripturas.

Eo quippe in libro, postquam varia genera orationis propheticae distinxit (n. 1.), et explicationem diversarum notarum seu signorum, quae tunc in Bibliis graecis occurrere solebant, adjunxit (n. 2—3.), fusius de graecis textus hebraici versionibus earumque auctoribus et historia disserit (n. 3—20.), qua occasione etiam librorum s. Scripturae Veteris Testamenti catalogum texit (n. 4—5. cf. n. 23—24.), ac libri Psalmorum partitionem exhibet (n. 5). His praemissis transit ad objectum, quod sibi tractandum proposuit, deque singulis mensuris ac ponderibus in s. Scriptura obviis agit, ostendens, unde uniuscujusque nomen derivetur et qua de causa ita appellentur, tum quae cujusque conditio, qualis valor sit atque potestas; rationem quoque mysticam numerorum iisdem contentorum affert (n. 21—24). Denique occasione ex ponderibus accepta etiam de praecipuis quibusdam Veterum nummis simili modo tractat (n. 24.[1])

2) *Liber de duodecim gemmis (περὶ τῶν δώδεκα λίθων)*, quae erant in Rationali Summi Pontificis Judaeorum (juxta Exod. 28, 15—21. et 39, 8—14). Rogatus quippe a Diodoro, Episcopo Tyri (vel Tarsi), ut „earum nomina et colores, species et loca, et quae faciunt inde ad pietatem meditationes, tum etiam ad quam indicandam tribum quaelibet gemma posita fuerit, quo in loco et in qua patria inveniatur“, sibi exponeret, singulari Opere id egregie praestitit, quod ad Diodorum remisit una cum epistola, quae Praefationis locum obtinet. Qualis autem iste liber

[1]) Migne l. c. T. XLIII. p. 236—293. Cf. de hoc libro Tillemont l. c. Art. XIII. cum Nota 7.

nunc in editis habetur, non est nisi compendium majoris Operis, describens colorem et formam ac patriam istarum gemmarum, exponens etiam nomen paucisque indicans (in Appendice), quibus tribubus singulae conveniant gemmae.[1])

S. Epiphanii Epistolae.

III. *Epistolas* quoque sat multas tam ad monachos suos, quam ad Episcopos complures ipsumque Romanum Pontificem Epiphanius scripsit[2]), quarum duae solummodo hodie exstant, scilicet *a) Epistola ad Joannem* Jerosolymitanum Episcopum, in qua Origenismum illius impugnat, Pauliniani ordinationem a se factam defendit, seque purgat, cur imaginem in ecclesia quadam Palaestinae veli loco

---

[1]) Exstat hic liber seu ejusdem potius compendium T. II. p. 225. — 232. Migne l. c. T. XLIII. p. 294 — 304. *Epistola ad Diodorum* huic libro olim praefixa, cujus breve nonnisi fragmentum in fronte ipsius libri hodie legitur, latine tantum, etsi non integra, habetur in Facundi Defens. trium Capitul. lib. 4. c. 2. (Galland. T. XI. p. 704—5). Hinc quoque haud inepte colligas, eadem fere ratione compendium editum se habere ad Opus originale, qua Anacephalaeosis ad Panarium. Id facile etiam confirmatur ex s. Hieronymo ep. 64. n. 22. atque ex ejusdem Commentar. in Isai. c. 54. n. 11—12 (T. IV. col. 637.) et Comment. in Ezech. c. 28. v. 11 seqq. (T. V. p. 333—34.), ubi valde honorificam hujus libri mentionem facit. — In quibusdam Codd. Mss. iste liber longe brevior inventus est, prioris velut Epitome quaedam (T. II. p. 233—34), confecta verosimiliter ab Anastasio Sinaita, in cujus etiam Operibus reperitur, scil. Quaest. 40. (p. 327—31. ed. Gretser). Cf. Tillemont l. c. Art. XIV. (p. 513 — 14.) cum Nota 8. (ibid. p. 807). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 268—70. Genuinum et integrum Epiphanii Opus de 12 gemmis esse perhibetur, quod in antiqua latina versione repertum, ex Cod. Vaticano, in calce tamen nonnihil mutilatum prodiit ea sub inscriptione: *Epiphanii de XII gemmis rationalis summi sacerdotis Hebraeorum liber ad Diodorum.* Prodit nunc primum ex antiqua versione latina, opera et studio P. Franc. Foggini, qui et notas adjecit. Romae 1743. in 4°. Migne l. c. p. 303—372.

[2]) De quibus vid. s. Hieronym. ep. 91. et lib. contra Joannem Jerosolymit. n. 14. 44. Apolog. I. adv. Rufin. n. 12. Apolog. II. n. 22. Apolog. III. n. 23. et 33. Alia item brevi epistola, quae pariter aetatem non tulit, laudem s. Hilarionis monachi, quocum plurimum conversatus est, scripsit; vid. s. Hieronymus in Prologo Vitae s. Hilarionis (T. II. col. 12). *Fragmentum* breve ex *epistola* quadam *s. Epiphanii ad monachos* servavit nobis s. Joannes Damascenus in Epistola de sacris Jejuniis (Opp. s. Joannis Damasc. T. I. p. 504).

pendentem destruxerit; *b)* et *Epistola* brevis *ad s. Hieronymum*, qua ejus et Theophili Alexandrini zelum adversus Origenistas probat[1]).

S. Epiphanii Opp. dubia et spuria.

Nota 1. *Dubia* existimari debent *duo s. Epiphanii Opera*, scilicet:

a) *Physiologus* seu potius *ad Physiologum* (*Εἰς τὸν Φυσιόλογον* vel *περὶ τὸν Φυσιόλογον*). Physiologus iste non alius, nisi Aristoteles esse videtur, quem de natura et historia animalium scripsisse constat. Inde auctor hujus libri multorum animalium proprietates, modo veras, modo falsas refert, iisque breves considerationes morales subnectit, — argumenti genus non injucundum, cum pias quasdam reflexiones mysticas et morales contineat, quae erudiendo pro concionibus populo apprime solent esse utiles; caeterum totum Opus nil nisi pium, orthodoxum, sanctum prae se fert. Dubium de hujus Operis authentia movent praeter testimoniorum externorum defectum stylus „plane barbarus“ et Codd. Mss. corruptio tanta, ut pars Operis ne typis quidem mandari potuerit. Praeter editiones antiquissimas D. Consali Ponce de Leon Romae 1587. Antverp. 1588. et Romae 1601. exstat cum Praefat. et Notis primi illius Editoris in s. Epiphanii Opp. T. II. p. 185—224. Migne P. G. T. XLIII. p. 518—534. Cf. Tillemont l. c. Art. XIV. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 272—73.

b) *Commentarium* quoque scripsisse perhibetur *in Canticum Canticorum*, memoratum olim a Cassiodorio Institut. divin. lib. I. c. 5. (T. II. p. 513.), repertum nuper in versione latina antiqua editum a P. Franc. Fogginio Romae 1750. Multa de eo disceptatio habetur, quia idem Commentarius tribuitur etiam Philoni Carpasio seu Carpathio in nova editione, quae sic inscribitur: *Philonis Episcopi Carpasii, Enarratio in Canticum Canticorum, gr. et lat. ed. cum Notis suis M. A. Giacomellus, Archiepiscopus Chalcedon. Romae 1772. in* 4°. Recus. cum erudita Praefatione in Galland. Biblioth. T. IX. Append. p. 713—69. Migne P. G. T. XL. p. 27—154. Qua de re vid. Tricalet. Biblioth. manual. Eccles. Patrum T. III. p. 214—17. J. A Fabricii Biblioth. Graec Vol. VIII. p. 275—76. et Vol. IV. p. 754—52. item Tillemont l. c. Art. XVI. cum Nota 10.

Nota 2. Inter *Opera spuria* hujus s. Patris referri debet *liber de Vitis Prophetarum* (T. II. p. 235—50. Migne l. c. T. XLIII. p. 393—426.), breviter agens de rebus gestis prophetarum, eorum obitu et sepultura, incipiens a Nathane et desinens in Joanne

---

[1]) Epistola prior latine tantum exstat in s. Epiphanii Opp. T. II. p. 312—17. (ed. Petavii) et melius inter s. Hieronymi (a quo latine versa est) epistolas tamquam epist. 51.; altera, pariter latine tantum superstes, est ep. 91. inter epistolas s. Hieronymi. De extrema prioris epistolae parte immerito a quibusdam olim dubitatum est, (vid. supra p. 609. Not. 1). Utraque epistola ap. Migne P. G. T. XLIII. p. 380—392.

S. Epiphanii Opp. spuria et deperdita.

Baptista; quem suppositititum esse sexcentae mendaciorum nugae persuadent, quibus liber iste refertus est. Ita censet ipse editor D. Petavius in Praefat. T. II. Tillemont l. c. Art. XIV. Ceillier l. c. Art. III. n. 3. D. Papebroch. in Vita s. Epiphanii l. c. n. 57—59. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 271—72. — Praeterea circumferuntur ejusdem s. Patris nomine *Sermones* sive *Homiliae octo* (T. II. p. 251—311. Migne l. c. T. XLIII. p. 428—508.); at peritiores Critici cum ipso editore Petavio (T. II. Praefat.) consentiunt, hosce octo Sermones non esse s. Epiphanii genuinos foetus, sed potius ad juniorem quemdam Epiphanium Cyprum (forte saeculi VII. aut IX.) esse referendos. Cf. Tillemont l. c. Art. XIV. Ceillier l. c. Art. III. n. 3. Labbe Dissert. histor. de Scriptor. eccles. in Epiphanio p. 92. (ed. cit.) Oudin T. I. col. 534. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 273—75. et p. 258. Tricalet l. c. p. 213—14.

Nota 3. Plura Opera s. Epiphanii, quem multa scripsisse s. Hieronymus testatur (de vir. ill. c. 114.), deperdita sunt. Eo pertinent a) *plurimae epistolae;* b) opus *in hexaëmeron,* cujus mentionem facit Anastasius Sinaita lib. 7. in hexaëmeron; c) sermo vel tractatus (*λόγος*) in Spiritum sanctum, quem commemorat Andreas Caesar. in Apocalysim I. — Quaedam s. Epiphanii Scripta etiam nondum edita recensentur quae in bibliothecis adhuc delitescunt, uti *Expositio in Nahum prophetam*, quaedam *in Psalmos*, et *liber de hebraicis nominibus* quem citat Scotus Erigena libro V *de divisione naturae.*[1])

§. 119.

Character et doctrina S. Epiphanii.

Character et doctrina.

S. Epiphanius. „vir eruditissimus ac ob virtutis reverentiam omnium sui temporis clarissimus" fuit, ita ut s. Hieronymus eum „patrem paene omnium Episcoporum et antiquae reliquias sanctitatis" appellare haud vereatur.[2]) Linguarum graecae, hebraicae et syriacae gnarus, imprimis

---

[1]) V. Notitia in s. Epiphan. V. et VII. ap. Migne P. G. T. XLI. p. X. et XIII. Ceillier T. VIII. Ch. XVI. Art. III.

[2]) S. Hieronymi Apolog. II. adv. Rufin n. 22. lib. contra Joannem Jerosolym. n. 12. Sozom. lib. 8. c. 14. Socrat. lib. 6. c. 10. Multa alia ejusmodi elogia vid. in s. Hieronymi Comment. in Isai. c. 54. v. 11—12. (T IV. col 637). s. Augustin. ep. 222. n. 2. et lib. de haeres. c. 57. Facund. Hermian. Defens. trium Capitul. lib. 4. c. 2. (Galland. T. XI. p. 704. et 705). Imo apud Graecos etiam *ὁ θεῖος καὶ θαύμαστος, ὁ μέγας Ἐπιφάνιος* dicitur; vid. ex. gr. s. Ephraem Antioch. ap. Phot. Cod. 226. s. Joannes Damasc. Orat. I. de ss. Imagg. n. 26.

lectioni s. Scripturae vacavit, eamque et propriae sanctitatis fontem agnovit et gladium terribilem contra haereticos, veritatis hostes, aptissime adhibuit; magis tamen sensum allegoricum, quam litteralem in deliciis habuit, quamvis hunc minime negligeret.[1]) Leviores quidam naevi, in rebus praesertim historicis et chronologicis, ubi vir, fraudis ipse nescius pietatisque zelo aestuans, nimia quandoque facilitate fidem adhibuit, impedire non potuerunt, quin „libri ejus, praecipue Ancoratus, per universum terrarum orbem sint famigerati sonusque eorum per omnes fere ecclesias fuerit sparsus", ac ipse Epiphanius titulo „Doctoris Ecclesiae catholicae" aliquando fuerit insignitus.[2]) Summopere igitur ob doctrinae puritatem, qua pleraque religionis nostrae dogmata accurate et cum plausu totius Ecclesiae exposuit, ob insignem omnis generis eruditionem, qua praecipue s. Scripturam illustrat, ac denique ob maximam monumentorum historicorum et fragmentorum ex antiquissimis Ecclesiae Patribus ac Scriptoribus copiam in ejus Panario obviam commendari meretur. Cum porro magis animum intenderet, ut res ipsas accurate investigaret, minorem autem navaret operam, ut exquisitas eleganter traderet, dictio ejus humilis est atque pedestris, incomta et salebrosa, imo nonnunquam obscura et intricata, quippe cum elegantiae Atticae rationem nullam haberet, et aliquando etiam parum curaret, utrum

S. Epiphanii character.

[1]) Sunt inter Apophthegmata Patrum, quae edidit Cotelerius in Monumentis Ecclesiae graecae T. I. p. 426—30. (cf. s. Nili Tractatus ad Eulog. c. 27. in ejus Opusculis ed. Suares. p. 440—41.), complura s. Epiphanio adscripta, lectu admodum digna, ex quibus nonnulla ad s. Scripturae aestimationem pertinent, ubi scilicet dixit: „Magna cautio est, ne peccemus. lectio Scripturarum" (l. c. n. IX.); item: „Magnum est praecipitium et vorago profunda, Scripturarum ignoratio" (ibid. n. X). Generatim quoque monet: „Necessaria est iis, qui comparare possunt, Christianorum librorum possessio; ipse enim per se librorum conspectus nos efficit segniores ad peccatum invitatque, ut ad justitiam magis erigamur" (ibid. n. VIII). — De moderando interpretationis allegoricae usu optime sentit s. Epiphan. Ancor. n. 54. 55. 62. et haer. 61. n. 6.

[2]) Ita Concil. Nicaen. II. Act. VI. (Mansi T. XIII. col. 296). Cf. s. Augustin. de haeres. c. 57. et Facund. Hermian. l. c. (p. 705).

oratio satis apte concinnata esset justeque sibi cohaereret.[1]) Caeterum cum in turpi haereticorum conversatione describenda hinc inde versetur, caute legendus est, ne quis sanam fidei doctrinam historiaeque notitiam acquirens puritatis morum jacturam faciat et foedis spurcitiis inquinetur animus juvenilis.

S. Epiphanii doctrina.

Quoad *doctrinam* vix alius reperitur antiquorum Patrum, qui dogmata catholica fere omnia et hodiernam quoque Ecclesiae catholicae disciplinam tam diserte adstruat, errores haereticorum recentiorum tam perspicue solideque reprobet, quam s. Epiphanius. Hinc pauca delibamus:

1) *De Traditione Ecclesiae catholicae fidei revelatae fonte* ita testatur: „*Traditione quoque opus est;* neque enim ex Scripturis peti possunt omnia; idcirco alia scripto (ἐν γραφαῖς), *alia* vero *Traditione* Sancti Apostoli reliquerunt, quod ipsum et s. Paulus affirmat.“ „Eorum dogmatum, quae *ab Ecclesia traduntur,* praedicatio e coelo manavit.“ „Omnis autem haeresis mendax est, utpote quae Spiritum S. ex Patrum Traditione in sancta Dei Ecclesia catholica non acceperit.“ Haer. 61. n. 6. Haer. 51. n. 32. et Ancor. n. 63. Ita etiam Ancor. n. 61. 83. et 120. Haer 75. n. 6. et 8. Haer. 55. n. 3. Cf. Concil. Trid. Sess. 4.

2) *Imaginem Dei in homine per peccatum originale amissam non esse,* diserte adstruit: „Apparet, eorum vanam esse rationem, qui Adamum Dei imaginem amisisse praedicant.“ Vid. totus locus haer. 70. n. 3.[2]) Cf. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 1. et can. 5.

---

[1]) Vide judicium s. Hieronymi in libro de Scriptor. eccles. c. 114., qui tamen alibi mitius, etsi minus vere de ipso judicat, ex. gr. ep. 57. n. 2. — Cf. etiam Phot. Cod. 122. et ipse s. Epiphan. Panar. lib. I. n. 2. D. Petav. T. I. Praefat. ad Lector. p. 2. Tillemont l. c. Art. IV. et V. Ceillier l. c. Art. V. n. 1. Hinc vero magna interpretationis difficultas enata est; ea quoque versio latina, quam post J. Cornarium adornavit D. Petavius, justo liberior est, et haud raro paraphrasi, quam versioni similior. Animadversiones autem Petavii, ad calcem T. II. adjectae, sunt potius Dissertationes criticae et chronologicae, quam Notae ad illustrandum Epiphanii contextum.

[2]) Cf. Solida Declaratio I. n. 10. et 11. (Libri symbolici Ecclesiae

S. Epiphanii doctrina.

3) *Veram et realem Jesu Christi in Eucharistia praesentiam* his verbis docet: „Videmus, Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur, quod a coena surgens haec (i. e. panem) acceperit, et gratias agens dixerit: Hoc meum est hoc (i. e. corpus[1]). Atqui videmus, aequale illud non esse, nec simile, non susceptae carnis imagini, non divinitati ipsi, quae videri non potest, non membrorum lineamentis ac notis. Illud enim rotundum est, et quod ad vim attinet, sensus expers, et nihilominus ex gratia pronuntiare voluit: Hoc meum est hoc. Nec quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat; qui enim non credit, verum illum esse, quemadmodum dixit, a gratia et salute prorsus excidit" (*καὶ οὐδεὶς ἀπίστει τῷ λόγῳ· ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀλήθινον, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας*). Ancor. n. 57. Cf. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. et can. 1.

4) *Discrimen Episcopi et presbyteri,* seu *Episcopos presbyteris esse superiores* aperte declarat: „Aërius Episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc autem constare quomodo potest? Siquidem Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lavacro producit, non tamen patres aut magistros. Quînam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo presbyter Episcopo dici potest aequalis?" Haer. 75. n. 4. cf. n. 5.[2]) Cf. Concil. Trid. Sess. 23. cap. 4. et can. 7.

---

evangelicae ed. C. A. Hase Lipsiae 1827. Vol. II. p. 640.), quae expressis verbis per peccatum originale „imaginem Dei amissam in homine" adstruit. — Porro s. Epiphanius etiam *liberi arbitrii* vindicias agit haeres. 16. n. 3—4.

[1]) *Τοῦτο μού ἐστι τόδε* pro *τοῦτο μοῦ ἐστι σῶμα* dicit ob arcani disciplinam, quam toto hoc loco sollicite observat. Cf. C. Thomasii Notas ad h. l. in ejus editione Ancorati infra notanda.

[2]) De discrimine ordinis hierarchici a statu laicali in Ecclesia vid. Epiphan. Exposit. fidei cathol. n. 13. — De gradibus autem hierarchiae vid. ibid. n. 21. et haer. 79. n. 4

S. Epiphanii doctrina.

5) De *praestantia virginitatis* ita statuit: „*Fundamentum* ac velut crepido quaedam *in Ecclesia virginitas* est, quae a multis colitur et observatur, et in illustri quadam gloria ac praedicatione versatur. *Post illam continentia* (ἐγκράτεια) in eodem pietatis curriculo fundata est ac stabilita. *Deinde viduitas* cum diligenti attentaque cautione et casta sinceraque vitae ratione conjuncta. *Post gradus illos et ordines* suum quoque locum obtinet *matrimonium honestum*, quod magno in honore est, unicum praecipue, quod cum praeceptorum observatione jungitur.“ Exposit. fidei cathol. n. 21.[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. 24. can. 10.

6) *De intercessione pro defunctis*, et *de veneratione Sanctorum* praeclare disserit hunc in modum: „*Preces, quae funduntur pro mortuis, iis utiles sunt*, tametsi non omnes culpas exstinguant. Verum ex eo prosunt, quod plerumque, dum adhuc in terra degimus, sponte aut inviti titubamus (i. e. leviores maculas contrahimus). Nam et justorum pariter et peccatorum mentionem facimus; peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus, justorum autem, ut Dominum Jesum Christum singulari quodam honore prosequentes a caeterorum hominum ordine segregemus debitumque cultum illius majestatis tribuamus, animo reputantes, non esse Dominum cum ullis mortalibus adaequandum, quamvis singuli immensa quadam aut etiam ampliori justitia praediti sint.“ Haer. 75. n. 7[2]). Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de Purgatorio et Decret. de Invocatione Sanctorum.

[1]) Cf C. Thomasii Not. ad h. l. in ejus edit. Ancoratus infra notanda. — Vid. etiam haer. 48. n. 8—9. haer. 58. n. 4. haer. 59. n. 6. haer. 78. n. 8. haer. 61. n. 3—8., ubi haec notatu dignissima verba occurrunt: „Peccato se ac judicio implicat, quisquis Dei virginitatem (i. e. Deo dicatam) e medio tollit ac certamini (quod virgines subire debent) ignominiam adsciscit“ n. 7. — Coelibatum denique sacerdotum et diaconorum legem Ecclesiae antiquissimam esse asserit, vid. haer. 59. n. 4. et 6.

[2]) Eadem fere ratione alibi loquitur Exposit. fidei cathol. n. 23. et haer. 78. n. 21. Generatim vero de sacris ritibus ac institutis Ecclesiae praeclare sentit, vid. haer. 75. n. 8. et Exposit. fidei cathol. n. 22. fin. Cf. Concil. Trid. Sess. 7. can. 13. Sess. 22. cap. 3—5. et can. 5. 6. 7. 9.

Editiones: Ancoratum, Panarium, Anacephal. et librum de mensuris et ponderibus primus graece edidit J. Oporinus Basileae 1544. fol. Eadem Scripta latine prodierunt ex versione J. Cornarii primum Basileae 1543. fol. (ed. eodem Oporino), et rursus Basileae 1545. 1560. 1578. fol. Paris. 1564 in 8°. nonnihil aucta, iterumque Paris. 1566. fol. 1612. fol. Editio praestantissima omnium s. Epiphanii Operum (quamvis pluribus adhuc laborans defectibus) gr. et lat. prodiit cura D. Petavii Paris. 1622 Tomis II fol., recusa Coloniae (pr. Lipsiae) 1682. II Voll. fol., recusa ap. Migne P. G. T. XLI. XLII. XLIII. — Epiph. Opp. graece tantum edid. G. Dindorf, 5 voll. 8°. Lipsiae 1858—63. — Ancoratum, Expositionem fidei cathol. et Anacephaleosin gr. et lat. cum Notis exhibent C. Thomasii Institutiones theologicae antiquorum Patrum (ed. Vezzosi Romae 1769.) P. II. p. 8—381. — Panarium et Ancoratum gr. et lat. ed. Oehler Berol. 1855. — Opusc. selecta (Ancorat. et Panarii excerpta) vers. german. ed. Wolfsgruber. Kempten 1880. — Plura de editionibus vid. apud Ceillier l. c. Art. V. n. 2. (p. 742—63). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII p. 261—63. Editiones Opp. s. Epiphanii.

§. 120.

Scriptores praecipui Ecclesiae graecae hujus aetatis.

Praeter alios, quos vel data occasione jam alibi attigimus, vel infra (Cap. V.) proferemus, et quorum fere omnium brevis mentio habetur apud s. Hieronymum sive apud Gennadium (de Script. eccl.), commemoratione digni videntur *Asterius Amasenus*, *Timotheus Alexandrinus*, *s. Macarius Aegyptius*, *et* alter dictus *Alexandrinus*, *Evagrius Ponticus*, *Didymus caecus*, *Hieronymus theol.* et *Nemesius.* Scriptores alii.

Asterius, Amaseae in Ponto Episcopus, adhuc adolescens Scytham quemdam, qui omni liberalium disciplinarum genere, maxime vero jurisprudentia excelluit, praeceptorem nactus, popularem illam et elegantem dicendi venam, qua tantopere eminuit, ab eo hausisse videtur. Is fidei catholicae sincere addictus, eloquentia et sanctitate conspicuus, sub finem saeculi IV. floruit († circa a. 400.), ac ipsis nonnunquam Ecclesiae Patribus annumeratus est.[1] Asterius Amasenus.

[1]) De Asterio hoc orthodoxo, quem cum alio ejusdem aevi Asterio, Episcopo Ariano, confundere non oportet, vid. Photii Amphilochia Quaest. 125. (in B. Montfaucon Biblioth. Coislin. Paris. 1715. p. 346).

Asterius Amasenus.

Multa scripsit, ex quibus hodie supersunt viginti circiter *Homiliae*, quae exceptis *Homiliis adversus avaritiam, in festum Calendarum, de poenitentia, de jejunio,* ac *de divortio* vel singulos quosdam locos s. Scripturae explanant, vel laudes Sanctorum, ut *ss. Petri et Pauli, s. Stephani,* s. martyris *Phocae* et aliorum praedicant.[1])

Timotheus Alexandrinus.

Timotheus Episcopus Alexandrinus (inter Petrum II. et Theophilum), vitae probitate omnibus carus magnique habitus, qui Concilio Constantinopolitano I. interfuit († a. 385.), praeter *historiam monachorum* hodie deperditam,

---

[1]) Phot. Cod. 271. Concil. Nicaen. II. Act. IV. (Mansi T. XIII. col. 15. 18. et 19.) et Act. VI. (ibid. col. 306—7.) item P. Hadriani I. Epist. ad Carolum M. de sacris Imaginibus (ibid. col. 799). — Quinque ex istis Homiliis (*De divite et Lazaro; de oeconomo iniquitatis; adversus avaritiam; in festum Calendarum; de divortio*); sub titulo: *S. Asterii Episcopi Amaseni Homiliae gr. et lat. nunc primum editae Ph. Rubenio interprete* prodierunt Antverpiae 1615 in 4°. recus. in Frontonis Ducaei Auctario Biblioth. Patrum Paris. 1624. T. II. p. 563. seqq. et iterum in magna Biblioth. Patrum Paris. 1644. T. XIII. p. 561—602). Septem novas Asterii homilias (*in Danielem et Susannam; in caecum a nativitate; in SS. Petrum et Paulum; in S. Phocam; in S. Euphemiam; in SS. Martyres; Laudatio S. Stephani*), simul cum quinque jam editis gr. et lat. publicavit Fr. Combefisius in Auctario Novo Biblioth. Patrum Paris. 1648. T. I. col. 1—266. et 283. seqq. Has omnes latine tantum recudi fecit *Th. Raynaudus in Heptade Praesulum Christianorum Paris.* 1671. fol. p. 822—64. (iterum recus. in Opp. s. Prosperi Aquitani Venetiis (Bassani) 1782. T. II. p. 279—328). His postmodum accesserunt *Homiliae quinque in Psalmum V., una in Ps. VI. et una in Ps. VII.,* quas J. B. Cotelerius in Monum. Ecclesiae graecae T. II. p. 1—81. gr. et lat. exhibet eidemque vindicare studet (cf. Coteler. ibid. p. 515—16. Not.); earum tamen authentia dubia censetur. Idem Cotelerius (l. c. p. 516.) *Homiliam in Psalmum IV.* (quae graece exstat in Opp. s. Joannis Chrysostomi ed. Savilius T. VII. p. 431—35.) auctoritate cujusdam Catenae Asterio Amaseno vindicare conatus est. *Adhortatio ad poenitentiam* et *Homilia in principium jejuniorum,* quae reperiuntur in Opp. s. Gregorii Nysseni, auctoritate Photii Asterio restitui debent. — Asterii Scripta omnia ap. Migne P. G. T. XL. — Caeterum de Asterio ejusque scriptis cf. Oudin T. I. col. 892—95. G. Cave Vol. I. p. 372. Tillemont T. X. S. Astère (p. 406—415). Ceillier T. VIII. Chap. XI. (ed. 2. T. VI). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 513—18. Migne l. c. Prolegomena.

brevemque *epistolam ad Diodorum* Tyri Episcopum, quam Facundus nobis asservavit, reliquit *Responsa canonica*, quae Epistolis canonicis ss. Patrum inserta habentur, atque varia dubia de ecclesiastica disciplina scite solvunt.[1])

S. Macarius senior.

S. Macarius senior, genere *Aegyptius*, natus circa a. 300, tricesimo aetatis anno monasticum institutum amplexus est; tumque discipulus s. Antonii factus[2]), virtutibus atque austero vivendi genere adeo enituit, ut *παιδαριογέρων* appellaretur a monachis. Deinceps vero in intimam solitudinem secedens in eremo Sceti sedem posuit, ubi egregiis religiosae vitae certaminibus inclytus pluribusque gratiae donis divinitus cumulatus annos natus quadraginta ad sacerdotium evectus est. Sub Valente fidei catholicae causa, quam constanter tenuit, in exilium pulsus est; postea tamen redux nonagenarius ex hac vita migravit a. 390. vel 391.[3])

[1]) Vid. Socrat. lib. 4. c. 37. et lib. 5. c. 12. Sozom. lib. 6. c. 29. Facund. Hermian. lib. 4. c. 2. (Galland. Biblioth. T. XI. p. 702—3). *Responsa canonica* gr. lat. edita sunt in Beveregii Synodico Oxonii 1672. T. II. p. 165., in Galland. Biblioth. T. VII. p. 345—50. in Harduini Actis Concil. T. I. col. 1191—96. ap. Migne P. G. T. XXXIII. p. 1295—1310. Cf. Galland. T. VII. Prolegom. c. 7. Tillemont T. VI. Les Ariens Art. CXXXVII. (p. 621—22). Ceillier T. VI. Chap. XV. (p. 597—603). G. Cave Vol. I. p. 274—75. — His affinia Responsa canonica dedit etiam *Theophilus*, Episcopus Alexandrinus, Timothei successor immediatus, quae ita inscribuntur: *Edictum* (*προσφώνησις*), *cum Theophania die Dominico instarent; Commonitorium* (*ὑπομνήστικον*). *quod accepit Ammon; Expositio* (*ἀφήγησις*) *de iis, qui dicuntur Cathari; Agathoni Episcopo; Menae Episcopo.* Haec omnia gr. et lat. habentur in Beveregii Synodico T. II. p. 170—75. Galland. Biblioth. T. VII. p. 603—8. in Harduini Actis Concil. T. I. col. 1195—2000. ap. Migne P. G. T. LXV. p. 34—46.

[2]) Alius quoque fuit Macarius, quem Veteres honorifico „discipuli s. Antonii" elogio commendant, de quo vid. Floss in Macarii Egyptii Epistolis etc. Colonii 1850. p. 104. 107—8. 110—13. 125—27. 150. 161—62. 184—86. Caeterum quo sensu Macarius etiam Aegyptius s. Antonii discipulus dici possit, vid. ibid. p. 112—13. et 162.

[3]) Pallad. Histor. Laus. c. 19. et 20. Rufini Histor. monachorum c. 28. Ejusdem Histor. Eccles. lib. 11. c. 4. et 8. Socrat. lib. 4. c. 23. et 24. Sozom. lib. 3. c. 14. et lib. 7. c. 20. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 21. S. Hieronymi ep. 108. n. 14. Gennad. de Scriptor. ec-

S. Macarius senior.

Sub ejus nomine circumferuntur *Homiliae spirituales* 50 (*ὁμιλίαι πνευματικαὶ*) de integritate vitae, quae decet Christianos. Homiliae istae non sunt proprie conciones ad populum habitae. sed potius hortationes ad religiosos, interdum etiam quaestiones variae et responsiones, nullam homiliarum speciem habentes. Eidem quoque tribuuntur *Opuscula septem ascetica,* quae tractant de cordis custodia, de perfectione spirituali, de oratione, de patientia et prudentia, de elevatione animi, de caritate, ac de libertate animi. Opuscula non minus, quam Homiliae summa pietate et alta rerum spiritualium scientia referta sunt. Criteria interna extra dubium collocant, eundem, qui Homilias istas composuit, quoad rei substantiam existere quoque auctorem opusculorum: haud immerito tamen maxime ob silentium Veterum omnium et vestigia Semipelagianismi illic obvia dubitatur, utrum s. Macarius Aepyptius, an junior quidam auctor, haeresi Semipelagianae plus justo favens, verus Homiliarum et Opusculorum auctor sit habendus.[1]) Praeterea ipsius Macarii nomine habentur

---

cles. c. 10. S. Macarii Apophthegmata in Cotelér. Monum. Ecclesiae Graecae T. I. Cf. Bolland. in Actis SS. T. I. Januarii (die 15. Januar.) p. 1005—1015. praesertim §. II. et T. II. Commentar. de s. Antonio (die 17. Januar.) §. VI. p. 111—112. Tillemont. T. VIII. S. Macaire d'Egypte Art. I—XVIII. (p. 574—617. cum Notis p. 805—9). Ceillier T. VII. Chap. VI. n. 1—7. (ed. 2. T. V). Macarii Aegyptii Epistolae etc. ed. H. J. Floss. Coloniae 1850. (ubi praemittuntur ejusdem eruditissimi auctoris *de Macariorum Aegyptii et Alexandrini vitis quaestiones criticae et historicae*).

[1]) Homilias 50 primus gr. et lat. ed. J. Picus. Paris. 1559. in 8°. Iterum editae sunt cum Gregorii Thaumat. et Basilii Seleuciensis Opp. Paris. 1622. fol. Septem Opuscula ascet. primus gr. et lat. ed. J. Possinus in Thesauro ascetico. Tolosae 1684. in 4°. Omnia ejus Opera, nec non ipsius Apophthegmata (de quibus vid. Floss l. c. p. 159—60) gr. et lat. ed. J. Pritius. Lipsiae 1699. iterumque 1714. in 8°., quae editio recusa est in Galland. Biblioth. T. VII. p. 1—236. Vers. germ.: Makarius des Grossen sämmtliche Schriften, übersetzt von Casseder. Bamberg 1819—20. 2 Bde. Uebersetzt mit Einleitung von M. Jocham. Sulzbach 1839. 2 Bde. Kempten 1878. Cf. de ipsius scriptis Galland. T. VII. Prolegom. c. 1. — Pritii Praefat. — Possini Prolegom. ad Thesaur. ascet. — Tillemont l. c. Art. XIX. (p. 617—20). — Ceillier

Epistolae duae ad monachos, altera graece, latine altera, in quibus virtutes christianae, ac praesertim humilitas, plurimum commendantur.[1] S. Macarius senior.

Stylus auctoris simplex est, qualis probum Solitarium decet, qui ex corde loquitur, sine affectatione, sine ornamento, et quod minus probes, plerumque etiam sine ordine.[2] Allegoriis valde delectatur, multas quoque cogitationes mysticas profert difficiles intellectu, ac similitudines frequenter adhibet, quae tamen non semper optime quadrant. — Exstant etiam s. Macarii *Apophtegmata* seu sententiae ejus narrationesque de ipso, quae varia vitae asceticae capita spectant. Ista autem non a s. Macario conscripta sunt, sed ab antiquis auctoribus, uti ab Evagrio Pontico aliisque tradita.[3]

Alterius quoque *s. Macarii* paulo junioris, qui dictus est *Alexandrinus*, vel etiam *Urbicus* (ὁ πολιτικὸς seu ἀστὸς),

---

l. c. n. 10—14. — C. Oudin T. I. col. 474—80. — J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 361—65. — Labbe de s. Macario Seniore (ed. cit.) p. 66—67. — Editionibus variis addendae sunt partes Homiliae V. et L., quas nuper detexit et graece cum orbe literato communicavit H. J. Floss l. c. p. 221—31. Adde ejusdem curas criticas in s. Macarii Aegyptii homilias ibid. p. 233—34. Idem sagacissimus auctor tum ex comparatione Opusculorum et homiliarum, tum ex Codd. Mss. auctoritate statuit, Opuscula, quae s. Macarii Aegyptiii nomine in lucem edita sunt, maximam partem ex homiliis Macarii compilata esse, idque a Simeone Metaphraste saeculo demum duodecimo factum esse ex Codd. Ms. Viennensi luculenter probat. Vid. ejus curas criticas in opuscula s. Macarii ibid. p. 235—41. — Omnia scripta Macarii senioris cum Dissertatione citata H. J. Floss aliisque Prolegomenis habes ap. Migne P. G. T. XXXIV. p. 990. sqq.

[1]) Has epistolas primus edidit Floss l. c. p. 191—95. (latin.) et p. 199—220. (graec.). Migne l. c. p. 406. sqq. Alia quaedam epistola sub nomine Macarii a Petitdidier olim latine edita, quam Floss (l. c. p. 196—98. cf. p. 311—12. Migne l. c. p. 442.) recudi fecit, merito eidem abjudicatur, cum pars illius major ex epistola Macarii Alexandrini appareat compilata. His denique Floss (l. c. p. 231—32.) *preces s. Macarii* adjecit, quas tamen ex rationibus non sat firmis Macario Aegyptio attribuit. Migne l. c. p. 446.

[2]) Floss, qui Codices Mss. istarum homiliarum diligenter inspexit, apposite notat, „homilias, quales hucusque editae sunt, miserrime depravatas ac mutilatas esse“ l. c. p. IV. cf. p. 233—34.

[3]) V. haec Apophtegmata partim primum a Possino partim a Cotelerio edita ap. Migne l. c. p. 230—263.

S. Macarius Alexandrinus.

qui et ipse s. Antonii discipulus ac postea Confessor, cum s. Macario Aegyptio aetate conjunctus simili quoque virtutum et miraculorum laude inclaruit, ac tandem abbas Nitriensis constitutus est († a. 395. vel a. 404.), circumfertur *Sermo de excessu justorum et peccatorum*, quorsum scilicet eorum animae e corpore demigrent, ac quomodo se habeant; qui tamen hodie communi fere eruditorum consensu ei abjudicatur. Eidem porro a nonnullis tribuitur *S. Macarii Alexandrini abbatis Nitriensis Regula ad Monachos*, cui adjecta est ejusdem auctoris *Epistola* monachis inscripta et egregiis sententiis referta.[1])

Evagrius Ponticus.

Evagrius monachus, *Ponticus* dictus, quia ex Ponto erat oriundus, utriusque Macarii fuit discipulus, spiritualium rerum scientia et incredibili abstinentia insignis. Is a s. Gregorio Nazianzeno in philosophia et sacris litteris eruditus, a s. Basilio M. lector, a s. Gregorio Nysseno diaconus ordinatus, circa a. 380 Archidiaconi munere in ecclesia Constantinopolitana functus est. Relicta paulo post Constantinopoli sacra Hierosolymorum loca visitavit: exinde vero Aegyptum petiit, atque vitam monasticam amplexus non minore sanctitatis, quam doctrinae gloria

---

[1]) Ita ex. gr. Ceillier T. VII. Chap. VI. n. 8. et 9. (ed. 2. T. V). Caeterum de hoc s. Macario vid. fontes supra ad s. Macarium Aegypt. nominatos, cum Scriptores utriusque res gestas junctim fere pertractant; adde Rufini Histor. monach. c. 29. Accuratissime de hoc Macario Alexandrino tractat Floss l. c. p. 27. 66—109. 113—18. 122—25. 127—28. 160—66. 187—80. 252—64. Edita est *Regula cum Epistola* latine in L. Holstenii Cod. Regularum monast. T. I. p. 18—21. cf. p. 9—14. (et Floss l. c. p. 311. 312—14). Migne l. c. T. XXXIV. p. 967—970. *Sermo* vero gr. lat. exstat in G. Cave Histor. litter. Vol. I. p. 258—60, quem postea accuratius ed. J. Tollius Insign. Itiner. Ital. p. 192—99. Habentur omnia in Galland. Biblioth. T. VII. p. 237—42. cf. ibid. Prolegom. c. 2. — Migne l. c. p. 386—392. — Cf. Bolland. in Actis SS. die 2. Januarii (T. I. p. 84—89. cf. p. 1007. et 1085). Tillemont T. VIII. S. Macaire d'Alexandrie (p. 626—48. cum Nota p. 809—810). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 365—66. Floss l. c. p. 242—44., qui memorat Codicem Ms. Vindobonensem, ubi Sermo iste *Alexandro* monacho tribuitur. — Cf. Chevalier s. v. Macaire.

Evagrius Ponticus.

in Seetensi Nitriae monasterio, ac postremo in Celliis reliquam transegit aetatem († a. 399). Vir erat tum intelligendi facultate, tum dicendi copia praeditus ac in distinguendis cogitationibus, quae aut ad virtutem, aut ad vitium tenderent, sagacissimus, et quomodo illae quidem excolendae, hae vero cavendae essent, consultor idoneus.[1]) Quoniam vero Origenistarum partes strenue propugnabat, postmodum a variis Conciliis condemnationis sententiam expertus est.[2]) Evagrius libros multos conscripsit valde utiles, quorum nonnullos Rufinus, alios Gennadius vertit in linguam latinam. Ex quibus hodie supersunt:

1 *Monachus seu de vita activa (liber Practicus)*, quo in scripto egregie vitae sanctioris praecepta tradit.[3])

[1]) Vid. s. Hieronymi ep. 133. n. 3. Rufini Histor. monachorum seu de Vitis Patrum c. 27. Pallad. Histor. Laus. c. 86. Socrat. lib. 4. c. 23. Sozom. lib. 6. c. 30. Gennad. de Scriptor. eccles. c. 11. Cassiodor. Histor. tripart. lib 8. c. 1. Suidas in Lexico s. v. *Μακάριος* (T. II. p. 482—83). Nicephori Histor. Eccles. lib. 11. c. 42. et 43. Cf. Tillemont Mém. T. X. Evagre de Pont Art I—VII. (p. 368—79).

[2]) Vid. s. Hieronym. Comment. in Jerem. lib. IV. Prolog. (Opp. T. IV. p. 965—66). Evagrii Hist. Eccles. lib. 4. c. 38. Chronicon Alexandrin. (ed. Rader) p. 794. 795. Concil Lateran. a. 649. can. 18. (Mansi T. X. col. 1157). Concil. Constantinopolit. III. Act. XVIII. in Definit. fidei (Mansi T. XI. col. 631 — 34.) et s. Sophronii Hierosolymit. Synodica lecta in ejusdem Concilii Act. XI. (ibid. col. 492. 496. et 500. atque Edictum Imp. Constantini (ibid. col. 709.); item P. Leonis II. Epist. ad Constantinum Imp. (ibid. col. 732.); Barsanuphius abbas in B Montfaucon Biblioth. Coisliniana Paris. 1715. p. 394—99. Cf. Tillemont l. c. Art. VII—VIII. (p. 379—82).

[3]) Ap. Migne P. G. T. XL. p. 1219—1252. — Opus hoc, Palladio l. c., Socrati l. c., Gennadio l. c. admodum celebratum, primus cum opusculo seq. sub 2. gr. lat. ed. Coteler. Monum. Eccles. Graec. T. III. p. 98—102. et p. 103—115. *Epistolam* continet *ad Anatolium*, quae est velut praefatio ad librum *Practicum* et ad *Gnosticum*. Tum post *Capita* practica 71, quibus variae regulae vitae asceticae proponuntur, sequitur integer *liber Practicus*, 100 capitibus constans. Alter libellus, qui inscribitur: *Gnosticus* sive *de iis, qui cognitionis munere donati sunt* (Socrat. l. c. Gennad. l. c.), injuria temporum excidit. Ex alio libro ejus deperdito, qui inscriptus erat: *Gnostica problemata* 600 (Socrat. l. c.), fragmenta quaedam exhibent s. Maximi Confessoris Scholia in Dionys. Areopagit. de coelesti hierarch. c. 7. et de eccles. hierarch. c. 6. (Opp. Dionys. Areopag. Antverpiae 1634. T. I. p. 94.

Evagrius Ponticus.

2) *Rerum monachalium rationes*, quae 11 capitibus officiorum conditionis monasticae brevem delineationem exhibent ad usum eorum, qui religionem ingredi vellent.[1])

3) *Libellus de octo vitiosis cogitationibus* compendium majoris Operis videtur, quod olim inscriptum erat: *Antirrheticus contra daemones tentatores.* Liber iste in octo partes divisus erat secundum numerum principalium tentationum seu vitiosarum cogitationum, quae hominem infestant; missis tamen s. Scripturae locis, Operi huic olim intextis, sola Evagrii verba hodie superesse videntur.[2])

4) Variae *Sententiae* breves, quae ad vitam spiritualem ejusque perfectionem ducunt.[3])

5) His accedunt *Sententiae ad eos, qui in coenobiis habitant*, nec non *Sententiae ad virgines* Deo sacratas, in quibus Proverbia Salomonis haud incongrue imitatus est.[4])

Multa insuper *Fragmenta* ex caeteris Evagrii scriptis hodie deperditis tum in Vitis Patrum, tum in Catenis aliisque Veterum

---

et 396.), item Barsanuphius abbas in B. Montfaucon Biblioth. Coisliniana Paris. 1715. p. 394. Cf. de istis Evagrii libris Tillemont l. c. Art. IX. et X. (p. 382. 383. 384—85.), ubi conjecturam haud improbabilem affert, Capita practica 71 ex diversis Evagrii aliorumque Veterum opusculis esse collecta.

[1]) Migne l. c. p. 1251—1264.

[2]) Librum hunc primus gr. lat. vulgavit E. Bigot cum Palladii Vita s. Chrysostomi Paris. 1680. p 349—55., ubi videsis Praefat. Migne l. c. p. 1271—1278.

[3]) *Capitula* 33 *per gradus quosdam congruenter disposita* (κεφάλαια κατ' ἀκολουθίαν). — *Spirituales sententiae per alphabetum digestae.* — *Aliae sententiae*, quae omnia antehac inter Opera s. Nili latebant (Opp. s. Nili p. 543—53.), nunc vero tam Codd. Mss. fide, quam Veterum auctoritate Evagrio attribuuntur. Migne l. c. p. 1263—1280. Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 386.) Galland. T. VII. Prolegom. c. 14. n. 3. Verosimili porro ratione etiam *Institutio ad monachos* (Opp. s. Nili p. 553—56.) Evagrio tribuitur. Vid. Suares. in Opp. s. Nili p. 613. et 626. Coteler. Monum. T. III. Not. p. 543—47. Tillemont l. c. Ceillier T. XIII. Chap. III. n. 11.

[4]) Migne l. c. p. 1278—1286. — Hasce sententias, a Veteribus saepe laudatas (Socrat. l. c. s. Hieronym. l. c. Gennad. l. c.), ex latina Rufini versione ed. L. Holsten. in Cod. Regul. monast. T. I. Append. p. 465—69. Cf. Tillemont l. c. (p. 383—84). Galland. l. c. n. 5.

monumentis reperiuntur. — *Sermo dogmaticus de SS. Trinitate* ad eos, qui monasticam vitam degunt in patria, perperam antehac vel Evagrio, vel s. Nilo adscriptus, s. Basilium M. verum agnoscit auctorem atque inter ejus epistolas octava numeratur.[1])

Didymus Alexandrinus.

Didymus Alexandrinus, quintum vix aetatis annum agens, quum adhuc prima etiam litterarum ignoraret elementa, oculorum usum amisit; inde tamen majori desiderio scientiae verique luminis inflammatus, precibus et audiendi meditandique impigro studio tantum profecit, ut non modo grammaticae, rhetoricae, dialecticae, geometriae, arithmeticae, musicae et astronomiae omnisque philosophiae adyta penetraverit, verum etiam sacrarum litterarum insigni peritia instructus doctorem ecclesiae praestiterit tanto magis eximium, quanto magis vitae simul exemplo et morum sanctitate enituit. Virum hunc, toto orbe doctrinae laude celebratum, et scholae catecheticae in urbe Alexandria praefectum, summi istius aetatis viri, s. Hieronymus, Rufinus aliique magistrum venerati sunt. Obiit c. a. 395 (vel 399).[2]) Plurima conscripsit Opera tum dogmatica, tum exegetica, quae summa quidem eruditionis tam sacrae, quam profanae laude conspicua, Origenismi tamen labe sunt infecta[3]); ex quibus hodie supersunt:

---

[1]) Opp. Evagrii gr. lat., vel latine tantum, ubi graecus textus non est repertus, in unum collecta exhibet Galland. Biblioth. T. VII. (p. 551 — 81.) Migne P. G. T. XL. p. 1214 — 1286. Caeterum cf. de ejus scriptis Galland. T. VII. Prolegom. c. 4. ap. Migne l. c. p. 1214 —1219. Tillemont l. c. Art. IX. et X. (382 — 86). Ceillier T. VIII. Chap. IV. n. 9 — 20. (ed. 2. T. VI.). C. Oudin T. I. col. 883 — 89. Pagi Crit. ad a. 388. n. 16. Dupin T. III. p. 1 — 3. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 284—86. — Cf. Chevalier s. v. Evagre.

[2]) S. Hieronym. de viris illustr. c. 109. Chronicon ad a. 9. Imp. Valentiniani I. item ep. 50. n. 1. 2. ep. 68. n. 2. ep. 84. n. 3. et 10. Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 7. Socrat. lib. 4. c. 25. Sozom. lib. 3. c. 15. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 29. Pallad. Hist. Laus. c. 4. Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 5.

[3]) Vid. s. Hieronym. c. Rufin. lib. I. n. 6. („Didymus Origenis apertissimus propugnator est") lib. 2. n. 11. („Didymus apertissime in Origenis scita concedit") et lib. 3. n. 27. Socrat. lib. 4. c. 25. Unde merito eadem sententia damnationis, quae Origenem et Evagrium feriit, Didymus quoque implicatus est.

Didymus Alexandrinus.

1) *Libri III de SS. Trinitate*, in quibus fidei puritatem et ingenii sagacis virtutem admirari licet.[1])

2) *Liber de Spiritu S.*, quem s. Hieronymus, praestantia tractationis allectus, latine vertit. In isto libro duo probat, nempe Spiritum S. diversae ab angelis naturae esse, ac proinde inter creatas substantias referri non posse, atque Spiritum S. vere Deum esse; varias insuper Pneumatomachorum objectiones solide refellit.[2])

3) *Liber adversus Manichaeos*, sive major certe libri pars, quo haereticos illos rationibus potissimum metaphysicis impugnat.[3])

4) Scripsit Didymus multos Commentarios in libros sacros Veteris et Novi Testamenti, in quibus interpretationem mystico-allegoricam Origenis secutus est. Integer tamen nullus ex his Commentariis exstat.

Supersunt quoad Vetus Testamentum *a) Expositio in Psalmos*, magna ex parte[4]) *b)* Fragmenta quaedam *Com-*

---

[1]) Lucem viderunt *Didymi libri tres de Trinitate* (quos memorat Socrates l. c.) per J. Al. Mingarellium gr. et lat. Bononiae 1769. fol. His praeiverant *Veterum testimonia de Didymo Alexandrino coeco, ex quibus tres libri de Trinitate nuper detecti eidem asseruntur, collecta a Ferd. Mingarellio.* Romae 1764. in 4°. Migne P. G. T. XXXIX. p. 131—1030. — Cf. J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 272—73. De doctrinae ejus puritate circa SS. Trinitatis mysterium ipse nobis testatur s. Hieronymus contra Rufin. lib. 3. n. 27. et lib. 2. n. 16. ubi diserte affirmat: „Didymus certe in Trinitate catholicus est".

[2]) Liber hic, qui latine tantum habetur ex versione s. Hieronymi, excusus est inter Opp. s. Hieronymi T. II. p. 107—168, ubi videsis s. Hieronymi Praefat. et Editoris Admonit. — Ap. Migne l. c. p. 1020—1066.

[3]) Migne l. c. p. 1086—1110. — Hunc librum primum gr. lat. ed. Combefisius in Auctario novissimo Biblioth. Patrum. Paris 1672. P. II. p. 21—32. iterumque Canisius in Lectt. antiq. ed. Basnage T. I. p. 204—216. Cf. Basnagii Animadvers. ibid. p. 197—203. Ejusdem libri initium graece tantum edidit P. Possinus in Notis ad Epistolas s. Nili Parisiis 1657. p. 342—43. Quae deinceps apud Didymum sequuntur in forma syllogismorum, eadem et s. Gregorio Nysseno adscripta reperiuntur hac inscriptione: *Tractatus (λόγος) contra Manichaeos decem constans syllogismis.*

[4]) Ap. Migne P. G. T. XXXIX. p. 1155—1616. Primum ed. Aug. Mai Nova Patr. Bibl. T. VII.

mentariorum in Genesim, Exodum, secundum librum Regum et *in Proverbia*[1]); *c)* Fragmentum amplius *in librum Job.*[2]) Didymus Alexandrinus.

Quoad Novum Testamentum habentur: *a)* Magna parte *Breves enarrationes in epistolas canonicas* (catholicas), quas ex graeco latine vertendas ab Epiphanio scholastico olim curavit Cassiodorius. Continet hoc opusculum instructiones et reflexiones utiles atque ingeniosas.[3]) *b)* Magna pars *Commentarii in epistolam secundam ad Corinthios.*[4]) *c)* Fragmenta quaedam *Commentariorum in Evangelium s. Joannis et in Actus Apostolorum.*[5]) — Didymi stylus virum apostolicum exprimit „tam sensuum lumine, quam simplicitate verborum“.[6])

Adjungamus hisce Scriptoribus *Hieronymum* non illum quidem magnum Ecclesiae Doctorem, de quo inferius agetur, sed alium hujus nominis virum, qui fuit presbyter Hierosolymitanus, theologus autem doctus et pius. Is vixisse videtur versus finem saeculi quarti imperante Hieronymus theologus.

---

[1]) Migne l. c. p. 1111—1120. 1623—1646. Cf. Mai l. c. — Scholion in Gen. 1, 27. sub nomine Didymi, etiam publicavit Pitra Spicil. Solesm. I. 284.

[2]) Migne l. c. p. 1119—1154. — Primum ed. P. Junius Catena Graec. Patrum in beatum Job. Londini 1637.

[3]) Opusculum hocce optime exhibent *Quaestiones ac Vindiciae Didymianae*, sive Didymi Alexandrini Enarratio in Epistolas catholicas latina, graeco exemplari magnam partem e graecis Scholiis restituta, ed. Luecke. Particulae IV. Gottingae 1829—32. in 4°. Ap. Migne l. c. p. 1731—1818.

[4]) Migne l. c. 1679—1731. Primum ed. A. Mai, Nova Bibl. Patr. T. IV.

[5]) Migne l. c. p. 1645—1678.

[6]) Ita s. Hieronym. Praefat. in librum Didymi de Spiritu S. T. II. (p. 105—6). Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 8. — Didymi Opera, exceptis libris de SS. Trinitate, exhibet Galland. Biblioth. T. VI. Complete Migne P. G. T. XXXIX. p. 131—1818. — Cf. de Didymo, Prolegomena ap. Galland. et Migne ll. cc. Tillemont T. X. Didyme l'aveugle (p. 387—97. cum Nota p. 696). Ceillier T. VII. Ch. VII. (ed. 2. T. V). J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 269—77. J. A. Mingarellii Commentarius de Didymo Alexand. in fronte librorum de Trinitate ab ipso editorum. Luecke, Quaestiones ac Vindiciae Didymianae, v. supra. — Cf. Chevalier s. v. Didyme.

Theodosio Magno. Ejus exstant: *Dialogus de sancta Trinitate*, in forma dialogi inter Christianum et Judaeum egregie conscriptus; *Commentarius de effectu baptismi* et *de notis Christiani*, per modum quaestionum et responsionum pariter bene compositi; denique fragmentum *de veneratione crucis*.[1])

Nemesius Emesenus.

Floruit demum versus finem saeculi quarti *Nemesius* Emesae in Phoenicia Episcopus. Conjiciunt varii eruditi, eum fuisse illum Nemesium, ad quem quum esset adhuc gentilis et Cappadociae praefectus, s. Gregorius Nazianzenus varias dedit epistolas familiares[2]); alii tamen non satis fundatam esse hanc suppositionem existimant.[3]) Exstat autem Nemesii opus *De natura hominis* (*περὶ φύσεως ἀνθρώπου*) satis prolixum ac quadraginta quatuor capitibus contentum.[4]) Mira cum eruditione et secundum principia christiana in hoc opere psychologiam et anthropologiam spectata illa aetate egregiam confecit. Immortalitatem animae, hominis dignitatem ac providentiam divinam bene vindicat, ita ut optimis apologetis accensendus sit. Valde versatum se ostendit in disciplinis scientiae naturalis, et

---

[1]) Galland. T. VII. Migne P. G. T. XL. p. 845—866. „Conjicit Caveus (Hist. litt. T. I. p. 282.) scriptorem quo de agimus eumdem esse atque Hieronymum presbyterum et monachum, natione Dalmatam, qui monachorum Aegyptiorum historiam scripsisse perhibetur, apud Cangium in codice MCCXIII bibliothecae Colbertanae. . . Porro si ejusmodi conjecturam admittamus, quae a veritate haud longe abesse videtur, scribebat igitur auctor Theodosio Magno imperante, ut ipse testatur in Vita Joannis Abbatis.“ Galland. T. VII. Proleg. p. 18. ap. Migne l. c. p. 845. — Cf. Ceillier T. II. Ch. XIX. (ed. 2. T. VI.). Nirschl Patrol. II. p. 126. Chevalier s. v. Jérome.

[2]) S. Gregor. Naz. epp. 198—201. Cf. Tillemont T. IX. p. 242. 272. (ed. 1732). Nirschl Patrol. II. 229.

[3]) V. J. A. Fabricius Bibl. Gr. VII. 549. ap. Migne P. G. T. XL. p. 501.

[4]) Opus hoc primum gr. et lat. ed. Ellebodius, Antverpiae 1585. Post alios cum Prolegomenis Galland. T. VII. Accuratius correctum Matthaei Magdeburgi 1802. Ap. Migne cum Prolegomenis ac Notis P. G. T. XL. p. 479—840. — Vers. germ. cum Commentario Osterhamer, Salzburg 1819.

c. 24. vel ipsam circulationem sanguinis indigitare videtur. Obscurior est quoad animarum originem; dixeris eum errori Origeniano de praeexistentia animarum implicatum fuisse.[1])

§. 121.

De Scriptis vulgati Dionysii Areopagitae.

Fontes et Subsidia.

Fontes et Subsidia: Euseb. H. E. lib. 3. c. 4. et lib. 4. c. 24. — Photius Biblioth. cod. 1. 229. 231. — Collatio Constantinop. cum Severianis (a. 532.) ap. Mansi T. VIII. col. 820—21. — Opera s. Dionysii Areop. ed. B. Corderii (Venetiis 1755—56). 2 Tom. ap. Migne P. G. T. III. IV. ubi (T. IV.) et Scholia s. Maximi, Paraphrases Pachymeris, Vitae Dionysii Areopag. variorum habentur. — Cornel. Byeus De s. Dionysio Areopagita Episcopo Martyre Athenis in Graecia, (Acta SS. Octobris T. IV. p. 696—855). — Ph. Labbe de Scriptor. Eccles. in s. Dionysio. — Nourry Apparatus T. I. Diss. X. (etiam ap. Sprenger Saec. I. Diss. XI). — Tillemont T. II. Denys l'Areopagite (p. 122—23.) cum Notis (p. 524—33). — Ceillier T. XV. Chap. XXV. (ed. 2. T. X.) — P. Morinus de sacris ordinationibus p. 28. sqq. — J. Sirmondus de duobus Dionysiis (in ejusdem Opp. ed. Venet. T. IV. p. 241—60). — J. Launoji judicium de libris Dionysio Areopagitae inscriptis. (Opp. T. II. P. I. p. 558. sqq.). — Lumper P. I. Sect. XI. (p. 396—451). — Dupin T. I. p. 51—57. — Oudin T. I. col. 48—57. et Dissert. critica de scriptis Dionysii Pseudo-Areopagitae ibid. col. 1353—72. — Engelhardt de origine scriptorum Areopag. Erlang. 1844. — G. Darboy, Oeuvres de S. Denys l'Aréopagite traduites du Grec avec une introduction. Paris 1845. — Hipler, Dionysius der Areopagit. Untersuchungen über Aechtheit u. Glaubwürdigkeit der unter diesem Namen vorhandenen Schriften. Regensburg 1861; Dionysius Areopagita Kirch. Lex. ed. 2. III. 1789—96; Hierotheus, ibid. V. 2037—38. — Nirschl Patrologie II.

---

[1]) De nat. hom. c. 2. V. Gallandi Proleg. in Nemes. n. II. ap. Migne l. c. p. 481. — Nemesium nostrum philosophum christianum eumdem esse ac Nemesium Episcopum Emesenum, complurium Codd: inscriptiones et antiquorum, uti s. Maximi et Anastasii Sinaitae, testimonia comprobant. Unde immerito Caveus (Hist. litt. T. I. p. 276.) aliique id in dubium revocant. — Vid. de Nemesio Galland. Prolegom. l. c. Dupin (ed. 1702.) III. 2. p. 672. J. A. Fabricius Bibl. Gr. T. VII. 549. Ritter Gesch. d. christl. Philosophie (1841.) II. p. 461—484. — Cf. Chevalier s. v. Némèse.

131—148; Dionys. d. Areop. u. sein Brief an den Apost. Johannes auf Patmos. Hist.-pol. Bl. 1883. (B. 91). — Schneider (Cesl. M.) Areopagitica: die Schriften des heil Dionys. v. Areopag, eine Vertheidigung ihrer Echtheit. Regensburg, 1884. — Frotingham, Stephen Bar Sudaili the Syrian Mystic and the Book of Hierotheos. Leyden 1886. — Cf. Chevalier s. v. Denys. (Cum Supplemento ed. a. 1888).

Opera vulgati Dionysii Areopagitae.

De Scriptis, quae sub nomine *Operum s. Dionysii Areopagitae* circumferuntur jam ex tempore diuturno inter eruditos exarsit controversia, quae nostris diebus speciali modo recruduit. Medio quidem aevo, imo inde a saeculo septimo, scripta haec quae summopere aestimabantur, s. Dionysio Areopagitae, s. Pauli Apostoli discipulo, tribuebantur. Sed postquam per decem paene saecula librorum illorum authentia fere inconcussa steterat, Laurentius Valla et Erasmus Roterodamus gravissimis moti rationibus eam statuerunt sententiam, ut Opera omnia tum libros, tum epistolas Dionysio Areopagitae plane penitusque abjudicarent eaque spuria et tanto viro supposita esse contenderent. Initio quidem multi contradixerunt, imo et nostro tempore aliqui sunt qui illa Opera Dionysio Areopagitae Apostolorum discipulo vindicare conantur. Sed praevaluerat apud auctores criticos eosque gravissimos persuasio et sententia certa, spuria esse illa scripta, atque saeculo quarto quintove confecta et s. Dionysio illi temporum Apostolicorum Patri esse supposita. — Nostris tamen diebus mota est sententia quaedam media, quam praecipue cll. Hipler[1]) et Nirschl[2]) erudite propugnaverunt. Statuunt videlicet, Opera illa neutiquam spuria esse nec supposita s. Dionysio viro illi apostolico. Sed auctorem esse virum insignem saeculi quarti, cui fuerit nomen Dionysii, (forte cum cognomine mystico Areopagitae,) eumque quantum videtur abbatem fuisse monasterii Aegypti.[3]) Neque in illis Operibus talia occurrere, quibus se

[1]) Cf. Dionysius der Areopagite, Regensburg 1861.

[2]) Cf. Patrologie II. 131. sqq. Mainz 1883.

[3]) Forte et integrum nomen *Dionysius Areopagita*, nomen monasticum erat, vel alii nomini Aegyptiaco superadditum.

exhibeant ut scripta aetate Apostolica, adeoque immerito conamen suppositionis ex iisdem argui. Sed tum authentiam tum pretium illis Scriptis egregie constare. — Quum igitur auctores illi graves ad eam de quo modo agimus aetatem Scripta Dionysiana referant, hoc loco de iis tractare visum est opportunum. Quid enim in quaestione hac admodum implicata statuendum videatur, examinare jam convenit. — Primum igitur *Opera* ipsa recensebimus, dein vero de eorum *Auctore* agemus. Opera vulgati Dionysii Areopagitae.

Circumferuntur sub nomine Dionysii Areopagitae *Scripta* sequentia:

1. *Liber de coelesti hierarchia* (*περὶ τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας*) quindecim capitibus constans, et inscriptus: *Τῷ συμπρεσβυτέρῳ Τιμοθέῳ Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος.*[1]) Eidem Timotheo etiam reliqua Scripta dicata sunt. — Liber hic *de coelesti hierarchia* proprie tractatus theologicus est de angelis, quorum naturam et nomina, diversa munera, corporeas imagines quibus in s. Scriptura figurantur, et praecipue novem eorum ordines, ex quibus omnis coelestis hierarchia constat, describit et explicat.

2. *Liber de ecclesiastica hierarchia* (*περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας*). Auctor postquam ejus nexum cum libro priore, et relationem hierarchiae ecclesiasticae ad hierarchiam coelestem praemisit, de sacramentis baptismi et eucharistiae, de sacri olei benedictione, de ordinatione sacrorum Ecclesiae ministrorum, Episcopi scil. presbyteri et diaconi, ac de solemni monachorum professione articulatim disputat; accuratam subjungit caeremoniarum, quibus mortuorum corpora sepeliebantur, descriptionem expositionemque, et subinde de infantium baptismate disserit. Hic liber septem capita complectitur.[2])

3. *Liber de divinis nominibus* (*περὶ θείων ὀνομάτων*), tredecim capitibus constans.[3]) In hoc Opere nomina, quae Deus in s. Scriptura sibi tribuit, et per quae ad

[1]) Migne P. G. T. III. p. 119—369.
[2]) Migne l. c. p. 370—584. Vers. germ. ed. Storf. Kempten 1877.
[3]) Migne l. c. p. 585—996.

Opera vulgati Dionysii Areopagitae.

divinarum perfectionum cognitionem evehimur, egregie explicantur.

4. *Liber de mystica theologia* (*περὶ τῆς μυστικῆς θεολογίας*) quinque capita complectens.[1]) In hoc Opusculo auctor Deum speculatur ut nostrae cognitionis nostrique amoris objectum, cui uniri possumus in hac vita unione quadam ineffabili, et modo quodam sublimi humanum captum prorsus excedente.

5. *Epistolae* Dionysii exstant *decem* quae fere omnes argumenta ex theologia mystica pertractant.[2]) *Quatuor* priores Caio monacho (*θεραπεύτῃ*) inscriptae sunt; *quinta* scripta est Dorotheo ministro (*λειτούργῳ*), eaque explicat, quid sit caligo divina, de qua Dionysius egit in libro de mystica theologia. *Sexta* directa est Sosipatro sacerdoti (*ἱερεῖ*); *septima* Polycarpo Antistiti (*ἱεράρχῃ*), iisque inculcat, veritatem potius docendam et explicandam esse, quam contentiose contra adversarios disputandum. *Octava* scripta est Demophilo monacho (*θεραπεύτῃ*) et agit de propria operatione et clementia (*περὶ ἰδιοπραξίας καὶ χρηστότητος*); in eaque durum modum agendi Demophili reprehendit et clementiam laudibus evehit. *Nona* directa est Tito; roganti per epistolam, quae sit domus sapientiae, quis crater, et quisnam cibus ejus et potus, explicat. *Decima* scripta est Joanni Theologo, Apostolo et Evangelistae, in Patmo insula exsulanti. (*Ἰωάννῃ Θεολόγῳ Ἀποστόλῳ καὶ Εὐαγγελίστῃ περιοσισθέντι κατὰ Πατμὸν τὴν νῆσον*). Eidem praedicit prophetice celerem ab exilio liberationem et reditum in Asiam, ubi exemplo suo plurimis profuturus sit.

Exstat etiam latine tantum Dionysii *Epistola ad Apollophanem* philosophum, in qua de veritate religionis christianae agit, ac fusius etiam de solis eclypsi prodigiosa in morte Christi Domini, quam ipse Dionysius ac Allophanes simul Heliopoli conspexerint. De eadem eclypsi, secundum explicationem hucusque vigentem, Dionysius etiam loquitur in epistola septima ad Polycarpum;

---

[1]) Migne l. c. p. 997—1948.

[2]) Migne l. c. p. 1065—1120, cum adnotationibus Corderii.

sed alio modo plures recentiores auctores iique graves textum Epistolae ad Polycarpum exponunt. — Epistola autem haec ad Allophanem a plerisque censetur spuria. Videtur tamen jam s. Maximus graeco idiomate eam legisse. Habentur enim in epistola ad Allophanem haec de aetate qua vidit Dionysius prodigia illa: *Eram tum annos circiter viginti quinque natus et tu mihi ferme cooevus.* S. Maximus vero in Scholiis ad epist. 10. Dionysii quae est ad Joannem scribit: *Supponamus* (ὑποθώμεθα) *autem, sanctum Dionysium, quando ista propter Domini crucem prodigia conspexit, fuisse viginti quinque annorum, quemadmodum me adhuc legisse arbitror.*[1]) — Alia demum sub nomine s. Dionysii existit epistola ad Timotheum *De passione Apostolorum Petri et Pauli.* Hanc in versione syriaca, armenica, et latina edidit a. 1883. cl. Martin ap. Pitra Analecta T. IV. (pp. 241. 249. 261.) Sed spuriam eam esse editor et omnes eruditi conveniunt. Opera vulgati Dionysii Areopagitae.

§. 122.

De Auctore Operum quae sub nomine Dionysii Areopagitae exstant.

Modo quum breviter quae sint vulgati Dionysii opera indicavimus, jam de *Auctore* agamus. Atque imprimis ea ex ipsis scriptis citemus testimonia, ob quae communi consensu hucusque eruditi existimarunt, scriptorem se exhibere ut Dionysium illum Apostolorum coaevum qui Areopagita dicitur. Quis Auctor.

1. Tempore mortis Christi se Heliopoli solis eclypsim prodigiosam conspexisse visus est Dionysius evidenter indicare in *Epistola ad Polycarpum.* Scribit, postquam de aliis miraculis locutus est quae Allophanem philosophum ad fidem adducere deberent: *Verum illi liceat sive per ignorantiam, sive per inscitiam istis fidem denegare; sed dic illi: Quid sentis de illa solis defectione, quae accidit in*

[1]) V. Migne P. G. T. IV. p. 574.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

cruce salutari? (Τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γεγονυίας ἐκλείψεως.) Tunc cum ambo juxta Heliopolin praesentes simul et adstantes, mirabili ratione soli lunam coincidere (ἐμπίπτουσαν) cernebamus, (neque tamen tempus conjunctionis erat), ipsamque rursus, sub horam vespertinam, diametro soli opposito supernaturaliter (ὑπερφυῶς) restitui. Quin etiam in memoriam illi revoca quiddam aliud; scit enim, quomodo viderimus illum lunae cursum ab oriente coepisse, et usque ad solis extremitatem (μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσαν) pervenisse, ac tum demum resiliisse, (εἶτα ἀναπηδήσασαν), et rursum, non ex eadem parte occursum illum et recessum exstitisse, sed ex adverso diametri. Ista sunt quae tunc (τοῦ τότε καιροῦ) supra naturam omnino contigerunt, et a solo rerum omnium conditore Christo fieri possunt, qui facit magna et stupenda quorum non est numerus. — Haec, si fas est, ei dicito, tuque Apollophanes refelle si potes, idque adversum me, qui tunc praesens adfui, et simul aspexi et observavi omni cum admiratione.[1])

2. In libro *De divinis nominibus* c. III §. II., quum rationem reddat, cur post ipsius praeceptorem Hierotheum scripta de rebus adeo profundis emiserit, encomiis evehens Hierotheum manifeste significare videtur, se cum ipso et cum Apostolis Hierosolymis fuisse, ut B. Mariam V. post ejus obitum, (vel Christum post resurrectionem) videret. Scribit videlicet: *Nam etiam apud ipsos divino Spiritu plenos antistites (ἱεράρχας) nostros, (cum et nos, ut nosti, et ipse plurimique sanctorum fratrum nostrorum, ad corpus illud, quod dedit principium vitae Deumque susceperat contuendum venissemus; aderat autem et frater Domini Jacobus et Petrus, suprema ista atque antiquissima summitas theologorum*[2]*), placuissetque post contuitum antistibus omnibus,*

---

[1]) V. Migne l. c. T. III. p. 1081.

[2]) „Ἤνικα καὶ ἡμεῖς ὥς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν, ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνελήλυθαμεν, παρῆν δε καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας“ κ. τ. λ.

pro virili cuique sua, infinita potentia praeditam divinae imbecillitatis bonitatem collaudare,) ipse post theologos, ut nosti, caeteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus se deserens, rerumque quas laudabat consortium patiens.[1])

De Auctore Operum Areopagiticorum.

3. Exstat illa *Epistola ad Joannem Apostolum in Patmo insula exulem.*[2]) Si forte inscriptio haec a Scholiasta quodam facta est, tamen etiam ex ipso contextu ad Joannem in Patmo exulem epistolam hanc directam esse colligitur. Inter alia auctor scribit: *Saluto te sanctam animam, o dilecte, quoniam id mihi prae caeteris tecum licet familiarius. Salve, o vere dilecte, et perquam dilecte illi, qui vere amandus et expetendus et diligendus est.*[3]) *Quid mirum, si Christus vera loquitur, et iniqui discipulos e civitatibus expellunt, sibi ipsi quae merentur tribuentes, dum a viris sanctis scelesti se segregant atque recedunt. . . . Caeterum eos qui vos injuriis afficiunt, et perperam se solem Evangelii exterminare posse putant, jure merito reprehendens, opto ut abstineant ab iis quae contra semetipsos delinquunt et ad bonum convertantur, et ad se vos alliciendo, luminis participes existant. Nos autem e diverso nihil lucidissimo Joannis radio privabit, in praesentiarum quidem fruituros memoria et renovatione verissimae theologiae tuae, paulo vero post (ausim dicere, licet confidentius, ἐρῶ γὰρ, εἰ καὶ ταλιηρὸν) vobis ipsis conjungendos. Utique sum fide dignus, quando praecognita tibi a Deo, et disco et refero, te nimirum ex Patmi ergastulo liberatum iri, et in Asiam reversurum, ubi praebebis exempla benignum Deum imitandi, eaque posteris relinques.*

4. Dionysius se ut discipulum s. Pauli Apostoli utque socium aliorum discipulorum Apostolicorum exhibet. Ita ab ipso s. Paulus dicitur *communis ille noster nostrique praeceptoris* (Hierothei) *sol*[4]) *a quo* (Hierotheo) ait, *post*

[1]) Migne l. c. p. 682.

[2]) Migne l. c. T. III. p. 1117.

[3]) *Χαῖρε ἀληθῶς ἠγαπημένε, τῷ ὄντως ἐραστῷ καὶ ἐφετῷ καὶ ἀγαπητῷ λίαν ἠγαπημένε.*

[4]) Div. Nom. VII. §. I.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

divinum Paulum imbuti sumus.[1]) Timotheus, Titus, Carpus, Sosipater, Polycarpus, ut ejus amici et coaevi occurrunt; videntur autem his nominibus significari noti illi Apostolorum discipuli. Sed et cum Petro et Jacobo se Hierosolymis fuisse, uti vidimus, Dionysius asserit.

Ob varia haec indicia igitur ita invaluit sententia, a s. Pauli discipulo Dionysio Areopagita opera haec scripta esse, ut per decem saecula plane communis esset.

Opera non sunt aetatis Apostolicae.

Sed gravissima argumenta inde a saeculo decimo sexto contra hanc sententiam prolata fuere, eaque ita praevaluerunt, ut omnes fere eruditi uti rem exploratam habeant, temporibus Apostolicis illa scripta non prodiisse, sed sequioris esse foetum aetatis. Momenta autem praecipua quae illi origini Operum vulgati Dionysii Areopagitae obsunt ad haec redeunt:

1°. Silentium omnium veterum usque ad saeculum sextum de his Scriptis, quae propter auctoris nomen ac res sacras planeque divinas iis contentas notissimae ac celeberrimae ex indole rerum primis saeculis esse debuissent. Saltem notitiam fugere non potuissent eorum, qui data opera accuratos Scriptorum ecclesiasticorum texerunt catalogos, uti Eusebius et s. Hieronymus, vel qui easdem tractarunt materias cum vulgato Dionysio, uti s. Athanasius et s. Cyrillus Alexandrinus.

2° Severiani Monophysitae in Collatione a. 532 Constantinopoli habita primi fuerunt, qui Opera haec ut Dionysii Areopagitae ad errorem suum de una in Christo natura comprobandum alegaverunt. Tunc respondit ipsis Hypatius Episcopus Ephesinus, qui erat dux verbi ex parte catholica in illa collatione: *Illa testimonia quae vos Dionysii Areopagiti esse dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? si enim ejus erant, non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicaeno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversae substan-*

[1]) Div. Nom. III. §. II.

tiae blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio.[1]) De Auctore Operum Areopagiticorum.

3° Hisce accedunt *argumenta interna* quae peremptoria videntur. Libri isti enim multa continent quae Apostolorum aevum non sapiunt sed aperte saecula posteriora indicant. Ita e. g. epistolae s. Ignatii M. ad Romanos textum citat Dionysius his verbis: *Scribit enim divinus Ignatius: Meus amor crucifixus est.* (De div. Nem. IV. § XII); passim provocat dum dogmata exponit *ad antiquas praeceptorum traditiones* (de eccles. hier. c. VII. § XI et c. I § IV.; de div. Nom. c. I § IV et c. II, § IV). De ss. Trinitatis mysterio non minus enucleate disputat ac Patres post Concilium Nicaenum; (cf. de coel. hier. c. V. de div. nom. c. I et II.); de monachis eorumque votis ac solemni professione loquitur (de eccles. hier. c. IV); magnam caeremoniarum multitudinem ac solemnem apparatum describit, quibus sacramenta baptismi, confirmationis et eucharistiae confici et conferri solebant, ac de missae celebratione, de liturgia et de sepultura defunctorum ea ratione loquitur (de eccles. hier. c. II. sqq.), ut ex his omnibus colligatur, opera illa non aevo Apostolico conscripta esse, sed posteriore aetate, quando Ecclesia jam dilatata felici pace fruebatur. — Certum igitur jam esse videtur, Dionysio Areopagitae Apostolorum discipulo opera haec tribui non posse.

Nostro demum tempore proposita est sententia a cll. viris praesertim Hipler[2]) et Nirschl,[3]) qua censent quaestionem implicatam egregie elucidari et solvi. Advertunt, libros illos insigni ac profunda doctrina esse refertos simulque summam pietatem ac theologiae mysticae cognitionem et experientiam redolere. Unde admodum repugnare, auctorem adeo egregium decipere voluisse fideles spuriaque volumina, ac si essent Dionysii Apostolorum discipuli, supponere. Praeterea ipsum nulla cautela adhibita va- Sententia quorumdam recentiorum.

[1]) V. Labbe Conc. T. IV. 1767.
[2]) Dionysius d. Areopagite etc. Regensb. 1861.
[3]) Patrologie II. § 127.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

riis locis diserte ostendere ac veluti proclamare, se satis diu post Ecclesiae initia, traditione antiquorum jam formata, et ex eadem haurientem, opera sua conscribere. Unde nisi stupidum simul virum adeo insignem dixeris, admitti non posse, eum sese fingere s. Pauli discipulum Dionysium illum Areopagitam Athenis conversum. Sed auctorem fuisse, statuunt, virum quantum videtur versus finem saeculi quarti in Aegypto viventem, forte magistrum scholae catecheticae, quae in civitate Rinocorura florebat, imo et Abbatem monasterii in eadem civitate. Apud Sozomenum H. E. VI. 31. legimus: *Rinocorura quoque ex eo tempore viris optimis, non adventitiis, sed indigenis, floruit. Ex iis vero quos illic philosophatos esse accepi, praestantissimos fuisse comperi Melanem qui tunc temporis ecclesiam illius loci administrabat, et Dionysium qui ad borealem urbis partem domicilium (τὸ φροντιστήριον) habebat, et Solonem Melanis fratrem, qui eidem in Episcopatu successit.*

Sententia quorumdam recentiorum.

Porro Areopagitae cognomen, quod caeteroquin ipse auctor sibi non tribuit potuit esse cognomen aliquod mysticum. Supponi merito potest, ejusmodi cognomina mystica in societate quadam virorum piorum vel in monasteriis adoptata fuisse, uti id etiam passim alias, e. gr. in curia Caroli M. factum est. Apud monachos illorum saeculorum denominationes vel designationes mysticas usui fuisse, indubium est. Ita testatur Sozomenus (H. E. III. 14.), s. Pachomium statuisse, *ut universa congregatio in viginti quatuor classes dividatur, eaeque ex Graecorum litteris cognomentum accipiant: cognomen vero ipsis aptetur pro vita ac moribus singulorum. Verbi gratia simpliciores iota appellentur: versuti ζ vel ξ, et sic de aliis, prout institutum cujusque classis figura alicujus litterae apte exprimere licet.* Et Gennadius de Pachomio scribit: *Scripsit et ad collegas praepositurae epistolas, in quibus Alphabeticum mysticis tectum sacramentis, velut humanae conversationis excedens intelligentiam clausit, solis, credo, eorum gratiae vel meritis manifestatum.*[1]) Simili igitur ratione Dionysius ejusque amici nominibus mysticis se potuerunt appellare, depromptis ab Apostolis eorumque discipulis, unde explicari possit, quod varia illa nomina discipulorum Apostolorum in scriptis Dionysii occurrunt.

---

[1]) De viris illustr. c. 7. — Cfr. hac de re Nirschl, Patrol. II. 138 et 123. Cl. Nirschl praesertim suppositioni insistit, Dionysio ejusque amicis mystica cognomina fuisse.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

Quod vero attinet ad illos textus qui referre videntur ex tempore Christi et Apostolorum eventus, quorum testis fuerit Dionysius, ita ut peremptoriam praebeant probationem in operibus ipsis huic aevo eorum originem tribui, inadvertentia quadam talis opinio invaluit. Etenim de talibus eventibus illis textibus non agitur, sed de aliis factis.

Sententia quorumdam recentiorum.

Sic in primo textu non agitur de illis tenebris quae in morte Christi Domini acciderunt. Sed agitur de aliqua alia eclypsi prodigiosa, quae saeculo quarto, Dionysii tempore, accidit. Phaenomena ejusmodi prodigiosa evenerunt e. g. in illa crucis apparitione initio Episcopatus s. Cyrilli Hierosolymitani, de qua exstat Cyrilli epistola ad Constantium, vel quando Julianus Apostata templum Judaeorum Hierosolymis restaurare conatus est; uti et alias ejusmodi prodigia visa sunt. Designari a Dionysio eclypsim tempore passionis Domini ex textu non eruitur, imo varia huic suppositioni contraria sunt.

In altero textu non agitur de visitatione quam fecerint Apostoli. Dionysius et alii, Hierosolymis post obitum B. Mariae V. ut ejus corpus viderent, vel de alio facto temporis Apostolici. Sed indicatur sacra aliqua peregrinatio, quae uti moris erat, suscepta est saeculo quarto a variis Aegypti Episcopis et viris piis, ut Christi sepulchrum et sanctam crucem Hierosolymis servatam viderent ac venerarentur, concionumque fit mentio quae ab Episcopis, ab Hierotheo et aliis ea occasione habitae sunt. Jacobus et Petrus quorum fit mentio non sunt sancti illi Apostoli, sed viri insignes istius aetatis. Jacobo vel cognomen erat Theadelphus, vel forte scripsit Dionysius ἀδέλφος, quod posteriores, quum jam opinio invaluisset agi de Jacobo apostolo in ἀδελφοθέος mutarunt. Petrus autem qui nominatur erat theologus maxime clarus Aegypti ea aetate, videlicet summi doctoris et magistri munere fungens. Videtur designari Petrus ille qui fuit postea patriarcha Alexandrinus et s. Athanasii successor. Advertendum demum est, loco σώματος legendum forte esse σήματος, sanctamque crucem esse intelligendam, (quae caeteroquin et sensu latiori σῶμα dici potest, quod Christum suscepit.)

Quod attinet ad epistolam Joanni in Patmo exulanti inscriptam, per se posset eadem haberi ut pia elucubratio mystica auctoris venerantis tali exercitio s. Joannem Apostolum. Pronae tamen sunt explicationes probabiliores. Inscriptio tribuenda est non ipsi auctori sed Scholiastae sequioris aetatis, quum scripta illa jam haberentur ut confecta a Dionysio Apostolorum discipulo. Revera autem Dionysius ille saeculo quarto scribens eam direxit ad illustrem Episcopum tunc in exilio degentem, cui reditum paulo

De Auctore Operum Areopagiticorum.

post futurum praedicit. S. Athanasius, quum a Juliano Apostata iterum e sede sua ejectus esset, anno 363 exul fuit in Nili insula Tabenna, ubi degebat in monasterio Pachomii apud Theodorum abbatem. Dionysius profecto ob analogiam quamdam et pro sua tendentia mystica eum designare poterat ut Joannem in Patmo exulem, eo vel magis, quod Athanasius latere debebat, ne summo mortis periculo exponeretur. Unde litteras istas consolatorias ad eum direxit sub ea appellatione, qua forte etiam ab amicis illis generatim, mystico selecto cognomine, designabatur. (Ita vel ipsa quidem inscriptio genuina esse potest.)

Sententia quorumdam recentiorum.

Qui in operibus Dionysio occurrunt amici, nomina gerentes discipulorum Apostolicorum, non sunt illi viri aevi Apostolici, sed homines saeculi quarti, qui similia gerebant nomina. Per se nihil in hac re mirum est, quum nomina sint multorum communia; sed possent etiam nomina ista mystica et adscititia esse, quibus amici illi pii ad invicem conversantes se appellabant. Nequaquam vero Dionysius asserit, se esse s. Pauli discipulum, sed ejus verba eo sensu sumenda sunt, quod tum ipse tum ejus praeceptor Hierotheus praesertim s. Pauli Apostoli doctrinis profundis sese imbuerint.

Advertendum porro est, videri Dionysium commemorari a s. Gregorio Nazianzeno Oratione in Theophania (XXXVIII) anno 380 habita dum ait: *Si nimirum Sancta Sanctorum, quae etiam a Seraphinis obteguntur ac tribus sanctificationibus celebrantur* (Isa. 6, 2 sqq.) *in unam dominationem ac deitatem coëuntibus: quemadmodum et alius quidam ante nos pulcherrime et sublimissime philosophatus est.* Ejusmodi videlicet expositionem sublimem Dionysius profert in opere *de coelesti hierarchia* c. *VII* §. *IV.* Etiam s. Hieronymum ad Dionysium alludere dixeris, dum ait in opusculo de Seraphin (ep. 18. al. 142 vel 143) a. 381 scripto, quando versabatur cum s. Gregorio Nazianzeno Constantinopoli: *Quidam Graecorum in Scripturis apprime eruditus Seraphim virtutes quasdam in coelis esse exposuit, quae ante tribunal Dei assistentes laudent eum et in diversa ministeria mittantur, maximeque ad eos qui purgatione indigent et ob pristina peccata aliqua ex parte suppliciis purgari merentur.*

De Auctore Operum Areopagiticorum.

Haec igitur hypothesis de Dionysio auctore saeculi quarti, qui cognomen mysticum Areopagitae habuerit ac neutiquam dum opera illa confecerit Apostolorum discipulum se finxerit, et explicatio proposita textuum, ingeniosa est suaque habet argumenta non spernenda. Attamen satis solida ea nobis non videntur, nimis arbitraria haec hypothesis manet et explicationi illi gravia obsunt momenta. — Conjectura ista de societate amicorum illius aetatis quibus cognomina mystica fuerint, cujusque membra fuerint s. Athanasius et varii illi qui sub nominibus discipulorum Apostolorum apud Dionysium occurrunt, sufficienti probatione non nititur. Ex monumentis historicis nihil quoad hanc rem eruitur, neque ex eo quod classes monachorum pro eorum indole et perfectione ab abbatibus litteris alphabeti designabantur, ulterior illa conjectura satis commendari possit. Fuisse illa nomina, saeculo quarto propria nomina illorum virorum, absolute quidem non repugnat, sed parum probabile est. Series enim ista nominum, quum apprime sint illa discipulorum Apostolicorum, per se insinuat ipsam aetatem Apostolicam: adeoque hoc argumentum aliis junctum suam vim habet, ut Scripta ex intentione auctoris ad illud tempus referantur. — Idem fere adverti possit quoad explicationem epistolae directae ad Joannem in Patmo exulem. Sensu obvio sane Joannes Apostolus intelligendus est, imo et varia epistolae verba discipulum quem diligebat Jesus indigitant. Consultum non est ab hoc sensu litterali discedere. Ea quoque quibus auctor indicat, Hierotheum suum magistrum ab Apostolis doctrinam accepisse (v. g. de div. nom. II. 9), et s. Paulum Hierothei ac suum esse praeceptorem, variis textibus collatis de solis scriptis congrue intelligi non possunt.[1]) — Praesertim vero ea quae Dionysius dicit de eclypsi ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ novae huic explicationi vehementer obstant.

Sententia recentior discutitur.

---

[1]) Cf. De coel. hier. VI. 2. De eccles. hier. II. 1. De div. nom. II. 9. 11. Ep. VIII. 5.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

Historici imprimis qui de prodigiis loquuntur conspectis tempore Juliani, quando a Judaeis attentata est restauratio templi (Socrates, III. XX; Sozomenus V. XXII, Theodoretus III. XX), alicujus eclypsis nullam faciunt mentionem, nec ea igitur ex arbitrio supponenda est. Neque Cyrillus describens in epistola ad Constantium miraculum apparitionis crucis quae die septimo (nonis) Maii a. 351 contigit, aliquam solis eclypsim accidisse indicat, imo clare significat solem luxisse. Scribit enim: *Compluribus horis desuper terram oculorum visu conspecta est* (crux illa permagna e luce constructa), *solares radios coruscantibus fulgoribus superans*, (ταῖς μαρμαρυγαῖς τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας νικήσας); *alioqui illis oppressa infuscataque latuisset, nisi ipso sole valentiores conspicientium oculis emisisset fulgores.* Videlicet Cyrillus asserit, crucis splendorem majorem fuisse luce ipsius solis, quam assertionem ut probet ait, secus enim radiis solis crux illa luminosa oppressa fuisset nec ita coruscare potuisset. Quae probatio sane subindicat, solem non obscuratum fuisse, sed more solito lucem suam emisisse.[1]) — Ipse porro modus loquendi quo Dionysius utitur, per se sensu obvio notam illam solis obscurationem designat, quae Christo in cruce pendente (ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ) accidit et vulgo ut solis eclipsis denotari solet. Accuratior autem descriptio accessus lunae ejusque recessus insinuat, virum eruditum, si non fuit testis, studuisse ejusmodi explicatione probabile reddere, quod viderit phaenomenon illud miraculo plenum.[2]) — Expositio alterius textus qua statuitur, agi de peregrinatione solemni a multis suscepta ut Hierosolymis venerarentur sepulchrum et crucem Domini, si separatim spectatur satis concinna est. Attamen σώματος vox aegre de cruce intelligi potest; σήματος autem vocabulum substituere codicum unanimi lectioni repugnat. Nec licet contra Codicum fidem lectioni ἀδελφόθεος subsituere ἀδελφὸς. — Dum vero re-

Sententia recentior discutitur.

---

[1]) Cl. Hipler, l. c. p. 94 ostendere conatur, s. Cyrillum indicare aliquam solis eclypsim, atque etiam cl. Nirschl l. c. p. 138 advertit, aliquam eclipsim solis, apparente in coelo splendida cruce, describi. At ex toto contextu colligitur, non agi de aliqua eclipsi, sed Cyrillum indicare solem more consueto luxisse.

[2]) Advertit Nolte (Tüb. Quartals. 1868 p. 450.), loco ἐκλείψεως apud Dionysium ep. VII. secundum optimos codices legendum esse περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ ἐκλάμψεως (coruscationis), indeque confirmari explicationem hujus textus de apparitione crucis tempore Cyrilli. Sed quomodocumque legitur, ex contextu Dionysiano colligitur, agi de aliqua eclypsi, unde etiam lectio ἐκλείψεως praeferenda videtur; ex contextu Cyrilli autem eruitur, in apparitione illa splendidae crucis, eclipsim non accidisse.

liqua conteruntur, etiam ex hoc textu confirmatur, Dionysium se fingere virum temporis Apostolici.[1]) De Auctore Operum Areopagiticorum.

Quum igitur ex una parte gravissimas ob rationes Dionysio Areopagitae Apostolorum discipulo Opera de quibus agimus tribui nequeant, quum ex altera parte auctor aetatis Apostolicae virum se fingat, posterioris tamen temporis illa scripta esse multis ex indiciis deprehendatur, eadem supposita esse Dionysio Areopagitae existimamus.

Qui vero censent spuria esse Opera Dionysii Areopagitae, in varias abeunt sententias, dum quaeritur, quando Scripta illa prodierint. Eadem nota fuisse s. Gregorio Nazianzeno et s. Hieronymo sunt qui existimant, uti vidimus; sed textus s. Gregorii ab aliis, potiori forte jure, refertur ad s. Athanasium. Idem de s. Hieronymo foret dicendum, eo vel magis, quod quae ipse addit illo loco de ministerio Seraphim ad purganda aliquorum peccata, apud Dionysium non inveniuntur. — Indicia autem adsunt in his Operibus, eadem prodiisse quum jam haeresis Nestorii orta esset atque etiam Monophysitarum jam circumferrentur errores. In iis quippe haeresis contra incarnationis Christi mysterium non minus aperte, quam omnes contra ejus divinitatem et unam trium divinarum personarum naturam errores, proscribitur. De incarnato enim Dei Filio variis in locis haec legimus: *Dei principalis bonitas . . . nostrorum omnium, vere facta particeps absque peccato, humilitatique nostrae unita, salvo proprietatum suorum statu eoque prorsus inconfuso et inviolato.*[2]) *Verbum divinissimum . . . per inconfusam humanitatis nostrae assumptionem.*[3]) *Quatenus erat Deus et homo novam quamdam nobiscum conversando θεανδρίκην ἐνεργείαν (dei-virilem operationem) exhibebat.*[4]) Occurrunt videlicet ea verba et for- Quando confecta et supposita.

[1]) Quoad argumenta quae obstant admittendae hypothesi de Dionysio Areopagita saeculi IV scriptore quam modo evolvimus, cf. etiam Funk, Litterar. Rundschau, Dec. 1883 p. 711 sqq.

[2]) De Eccl. Hier. c. 3.

[3]) De div. nomin. passim. — Cf. Le Nourry Dissert. X., C. XIX.

[4]) Ep. 4. ad Cajum.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

mulae, quae maxime in controversiis contra Nestorium et Eutychem invaluerunt.

Doctissimus Lequien O. P. qui non exiguo labore Operum s. Joannis Damasceni editionem adornavit, Dissertat. II. inter Damascenas eam sententiam tuetur, parentem librorum qui sub nomine Dionysii Areopagitae circumferuntur, non alium fuisse, quam haereticum Monophysitam. Ostendere pro virili sua nititur, errores Monophysitarum, sive Acephalorum ac Severianorum in Areopagiticis libris contineri; suspicaturque (l. c. n. 16.), eorundem auctorem fuisse Petrum Gnaphaeum seu Fullonem, ecclesiae Antiochenae pseudoëpiscopum (471), aut alium quemlibet partium ejus et consiliorum socium.[1]) Sed argumenta illa vim non habent; aequa enim et benigna interpretatione adhibita, omnes loci qui Monophysitis favere videntur, orthodoxum praebent sensum, uti passim theologi eruditi jam ostenderunt.[2]) — Monophysitam saeculi sexti ineuntis Operum Areopagiticorum esse auctorem etiam nuperrime probare aggressus est cl. A. L. Frotingham, pollicitus disquisitionis ulteriorem evolutionem. Statuit vir eruditus, Opera Areopagitica scripta esse assumpto Dionysii Areopagitae nomine a discipulo Stephani Bar Sudaili, monachi et scriptoris Monophysitae qui ultimis decenniis saeculi V. et ineunte saeculo VI. vixit. Hunc Stephanum, ficto nomine, esse Hierotheum illum, quem ut suum magistrum Dionysius celebrat.[3])

Utrum Auctor sit Monophysita.

Stephanus Bar Sudaili Edessae ut videtur natus, postea in Aegypto et in Palaestina vixit. Monophysitismo fuit addictus, praeterea vero variis in scriptis errorem Origenianum de apocatastasi omnium ac de fine poenarum inferni, et doctrinas pantheisticas emanationis disseminavit. Stephanus hic a variis auctoribus

---

[1]) Pseudodionysium Apollinarii sectatorem fuisse similes ob rationes conjecit cum Ed. Stilling J. A. Fabricius Biblioth. Graeca Vol. VII. p. 8.

[2]) Cf. Bern. de Rubeis Dissert. de fide Auctoris Operum quae vulgo Areopagitica dicuntur (Opp. s. Dionys. Areop. T. II. Append. p. 434—74. praesertim cap. VII et sqq., ap. Migne P. G. T. IV. p. 1025—1079.)

[3]) V. Stephan Bar Sudaili praesertim cc. II. IX. X. Leyden 1886.

Syris, uti a Gregorio Barhebraeo, (saec. XIII) a Cyriaco patriarcha Antiocheno (a. 793—817), a Joanne Episcopo Darensi (saec. VIII et IX), indicatur ut auctor Operis cui titulus *Liber Hierothei*, quod opus, pantheismo mystico refertum jam aetate Scriptorum illorum valde rarum erat, eo quod sequaces illarum doctrinarum librum ut secretum haberent. Asservatur unicum quod noscitur hujus operis exemplar Codice Syriaco manuscriptum (saec. XIII.) cum commentario Theodosii patriarchae Antiocheni (887—896) in Museo Britannico, editionemque jam praeparat cl. Frotingham, qui dissertatione citata de Stephano Bar Sudaili publicationi totius operis praeludit. Hierothei discipuli s. Pauli personam in illo libro Stephanus assumit, ac pantheismum de Deo ac divinis disserens aperte statuit. Asserit porro Frotingham, comparatione facta inter hunc Pseudohierothei librum, et Pseudodionysii scripta comprobari, haec opera confecta esse a discipulo Pseudohierothei, seu Stephani illius. Ea quae Pseudodionysius de Hierotheo dicit, apprime Stephano Bar Sudaili convenire advertit (p. 74 sqq.) Textus quidem Hierothei in Scriptis Pseudodionysii citati non sunt desumpti ex *Libro Hierothei*, sed ex aliis illius Scriptis; at propterea non citatum esse existimat auctor *Librum Hierothei*, quod secretam doctrinam contineret et ab asseclis quantum fieri poterat celaretur.

De Auctore Operum Areopagiticorum.

Utrum Auctor sit Monophysita.

Quaestio haec accuratius quidem discuti nequit, antequam *Liber Hierothei* in lucem publicam prodierit. Attentione certe valde digna sunt quae cl. Frotingham disseruit; non tamen hucusque iisdem probari existimo, auctorem Operum Areopagiticorum Stephani Bar Sudaili seu Pseudohierothei discipulum esse. Etsi enim cl. Frothingham id refellere conetur, probabilius esse videtur jam exstitisse Scripta Pseudodionysii quum Stephanus *Librum Hierothei* scriberet, atque ex illis potius ansam hunc cepisse ut Hierothei personam indueret, et sub ficta hac persona opus suum conscriberet. Mirum sane est, quod nulli textus *Libri Hierothei* in Scriptis Areopagiticis inveniantur; ad Opus celandum suffecisset nomen ejus tacere. Nullum autem indicium est, quod Stephanus seu Pseudohierotheus illa opera scripserit quae in libris Dionysianis ut opera Hierothei citantur.[1]) *Liber Hierothei* porro pantheisticam emanationis doctrinam aperte proclamat; libri autem Areopagitici merito a pantheismi erroribus vindicantur. Si quae sunt effata obscuriora, eadem ex contextu et indole operis sensu orthodoxo facile explicantur. Censet quidem cl. Frothingham, pantheismum in libris Areopagiticis contineri, sed ab ejus opinione pro tempore eo magis recedere licebit, quod vir eruditus etiam summo doctori Gregorio Nazianzeno, s. Gregorio Nysseno, s. Ephraem, sensa

[1]) Citantur *Θεολογικαὶ στοιχειώσεις* (De div. nom. II. 10. III. 2.) et *Ἐρωτικοὶ ὕμνοι* (ibid. IV. 15—17.)

De Auctore Operum Areopagiticorum.

pantheistica tribuat.[1]) Sed hi profecto ab omni pantheismi labe immunes sunt. — Demum si Opera Areopagitica a discipulo Stephani Bar Sudaili (Pseudohierothei) scripta essent, eadem vix ante annum 520 in lucem prodiissent.[2]) Sed perdifficile est. supponere, Scripta adeo recentia a. 532 in Collatione Constantinopolitana a Monophysitis jam tanta asseverantia prolata esse ut genuina Dionysii Areopagitae Opera.[3]) — Haec modo innuisse sufficiat; discussioni ulteriori locus erit post exoptatam *Libri Hierothei* editionem.

Auctor orthodoxus Saec. V.

Quum longum sit omnium auctorum opinionem de origine Operum Areopagiticorum exponere, jam ad eam veniamus sententiam, quae hucusque nobis probabilior esse videtur. — Omnibus igitur perpensis satius habemus acquiescere sententiae nostro tempore communiori, Dionysium auctorem catholicum et orthodoxum fictione quadam pia (etsi non probanda) se exhibuisse ut Areopagitum illum ac discipulum s. Pauli. Advertit vero merito Lumper,[4]) non infrequens olim fuisse, ut priorum temporum Scriptores magnis se nominibus obumbrarent. Ita (ne loquamur de falsis Decretalibus) Canones et Constitutiones Apostolicae, quae insignem pietatem spirant, se exhibent falso ut Apostolorum opus, et ejusmodi scripta varia sunt inter ea quae in vulgato Gelasii decreto ut apocrypha relegantur. Hermae Pastorem medio seculo II a Pastore fratre s. Pii I conscriptum esse varia argumenta suadent, etsi auctor se tempore Clementis I scribere fingat. Imo forma quadam fictiva totum Pastoris opus compositum esse, nec ea quae de se ac familia sua dicit scriptor, ut facta vera sumenda esse, graves critici existimant. Videntur autem illi auctores bona quadam fide ita egisse, ut majorem dignitatem, gravitatem, auctoritatem scriptis conciliarent. Quum vero non astuta quadam calliditate scriberent ut

---

[1]) Stephan Bar Sudaili p. 54.

[2]) Stephanus Bar Sudaili ante a. 510 non obiisse censetur, cf. Frotingham l. c. p. 58. 59. — Dionysius vero suum magistrum Hierotheum jam defunctum esse satis insinuat. de div. nom. III. 2—3 et II. 9.

[3]) Hoc argumento utitur etiam Le Nourry contra sententiam Dallaei, qui versus a. 520 Pseudodionysii Scripta prodiisse existimavit.

[4]) Historia theol. critica etc. T. I. Sect. XI. C. I. A. II. § III.

deciperent subtili arte lectores, inde explicari potest, tales, ut nostrum Dionysium, minus sollicitos fuisse, quod passim quaedam scriberent ex quibus aetas posterior operis confecti colligi posset; non tanti intererat, si pia fictio apparebat. Caeterum dum ritus et caeremonias vulgatus Dionysius describit, quae non tempori Apostolico sed sequiori aetati conveniunt, fieri certe potuit, ut ipse haud adverteret, primo saeculo tales ritus nondum viguisse. De Auctore Operum Areopagiticorum.

Varii auctores igitur graves existimant, Opera haec post annum 431 quo oecumenica Synodus Ephesina celebrata est conscripta fuisse, ac forte ante annum 451, quo Concilium Chalcedonense Monophysitismum repressit. Quum enim quaedam expressiones occurrant quae sensum monophysiticum non penitus excludunt, censent, Concilio Chalcedonensi nondum habito opera vulgati Dionysii jam prodiisse. Levis tamen haec tantummodo conjectura est, nam omnia effata sensu orthodoxo aptissime exponi possunt. Nec facile mihi persuaserim, quod aliqui opinantur, eo praecipue scopo scripsisse Dionysium, ut Nestorianismo et Monophysitismo orthodoxam theologiam opponeret. Sed scopus potius fuisse videtur, ut Neoplatonicorum philosophiae et pseudomysticismo opponeret profundiorem doctrinam theologicam orthodoxam et contemplativam seu mysticam, in qua quae in ipsa Platonis philosophia sana erant ac sublimia, conservarentur vel transformarentur. Unde non incongrue censetur, vulgatum Dionysium professione monachum, et in disciplinis Platonicis quae Alexandriae maxime florebant valde versatum fuisse, eumque scripsisse primis decenniis vel medio saeculo quinto. Ea fere est sententia Cardinalis Bona dum ait: *Unus fortasse fuit ex professoribus Platonicae philosophiae qui in schola Alexandrina circa finem quarti saeculi vel initio quinti sapientiae laude floruerunt. Christi vero fidem amplexus, doctrinam qua prius imbutus fuerat retinuit; nulla enim ejus pagina legi potest, in qua non appareant phrases, axiomata et idiotismi Platonicorum.*[1]) Auctor orthodoxus Saec. V.

[1]) De Liturg. L. I., c. 8.

Scripta deperdita vulgati Dionysii Areopagitae.

Nota. Variis locis Operum suorum a Dionysio vulgato et alia Scripta ab ipso confecta commemorantur scil: *Liber de hymnis divinis; de informationibus, theologicis, θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις*, principia theologiae); *de symbolica theologia liber de anima; liber de justo divinoque judicio; liber de iis quae sub intellectum et sensum cadunt;* ac forte etiam *liber de hierarchia legis.* Ita quibusdam visus est composuisse integram fere theologiam dogmaticam.[1]) — Scriptionis hujus auctoris genus stylusque non simplex est ut discipuli Apostolorum, sed elatus et sublimis; passim et turgidus. Modum loquendi sibi proprium habet. Vocibus usitatis, sacro nascentis Ecclesiae usu jam receptis, novas et parum usitatas saepe, solemni quadam dictione substituit.[2]) Partim forte ipsa natura comtemplationis et explicationis mysticae rerum sublimium styli illius quaedam causa est; partim ex indole auctoris et ex ejus institutione in philosophia Platonis ratio haec loquendi provenisse videtur.

Editiones.

Editiones. Initio Opera sub Dionysii Areopagitae nomine evulgata *latine* tantum prodierunt, et primum quidem e versione Ambrosii Camaldulensis cum Fabri Stapulensis notis Argentorati 1498; subsecutae dein sunt aliae editiones. — *Graeca* antiquissima editio est Florentina quae a. 1516 cum glossario evulgata est. — Opera gr. et lat. edidit B. Corderius, additis Scholiis Maximi, Paraphrasi Pachymerii, Vitis Dionysii et variis Disquisitionibus. Antverpiae 1634. II. Tom. fol. — Eadem Opera studio P. Lansselii et B. Corderii gr. et lat. Paris 1644. II. Tomi fol.; (ordine paululum immutato meliorique substituta versione, opusculis etiam apologet. locupletata editio.) — Recusa est haec editio Venetiis 1755—56, II Tomis fol. (accurante Bern. de Rubeis, qui adjecit Dissertationem de auctore Operum ejusque fide, contra ea quae Lequien in II Dissert. Damascenica asseruerat.) — Recusa demum est eadem editio cum Prolegomenis (Dissert. Le Nourry), ineditis fragmentis Angeli Maii, et Apparatu scientif. variarum Dissertationum ac Vitarum Dionysii, ap. Migne P. G. T. III. IV. — Vers. gall.: G. Darboy, Oeuvres de s. Denys l'Arèopagite traduites du Grec avec une introduction. Paris 1845. — Vers. germ: Engelhardt, Die angeblichen Schriften des Areopagiten Dionysius, übersetzt und mit Abhandlungen begleitet. 2. B. 8°. Sulzbach 1823.

---

[1]) Cfr. Hipler. l. c. p. 75.

[2]) Auctor e. g. Episcopum, presbyterum, diaconum, monachum, non verbis usu receptis, sed vocibus *ἱεράρχα, ἱερεύς, λειτουργος, θεραπεύτα* designat.

SECTIO III.

§ 123.

S. Ambrosius. — Ejus Vita usque ad susceptum Episcopatum (a. 374.)

Fontes et Subsidia.

Fontes: Ipsius s. Ambrosii Opera. — Paulini, diaconi Mediolanensis, Vita s. Ambrosii[1]) (in Opp. s. Ambrosii ed. Maur. Paris. T. II. Append. ed. Venet. T. IV., in Galland. Biblioth. IX., ap. Migne P. L. T. XIV.) — S. Augustini Confess. lib. 5. n. 23—24. lib. 6. n. 1—6. lib. 9. n. 13—16. et saep. — S. Hieronym. de Scriptor. Eccles. c. 124. — Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 11. 15. 16. 18. — Socrat. Histor. Eccles. lib. 4. c. 30. lib. 5. c. 11. — Sozom. Histor. Eccles. lib. 6. c. 24. et lib. 7. c. 13. et 25.

Subsidia: C. Baronii Vita s. Ambrosii in Prolegom. edit. Rom. Opp. s. Ambrosii. — Vita s. Ambrosii ex Ejus potissimum Scriptis collecta in edit. Maur. Opp. s. Ambrosii (ed. Paris. T. II. Append. ed. Venet. T. IV. Migne P. L. T. XIV.). — G. Hermant Vie de s. Ambroise. Paris. 1678 in 4°. — Tillemont Mém. T. X. S. Ambroise (p. 78—306.) cum Notis ad calcem ejusdem T. X. (p. 729—70.). — Ceillier T. VII. Chap. IV. s. Ambroise (ed. II. T. V.). — Dupin T. II. p. 438—515. — Baunard, Hist. de s. Ambroise. Paris 1872 (vers. germ. ed. Bittl. Freib. 1873.) — Pruner, Die Theologie des hl. Ambrosius. Eichstädt. 1862. — Cf. Chevalier s. v. Ambroise c. Supplem. a. 1888.)

S. Ambrosii Vita usque ad Episcopatum.

S. Ambrosius ex gente Romana, patre Ambrosio Galliarum praefecto, natus est probabiliter Treviris circa a. 333—340.[2]) Patre mortuo Ambrosius (non ante a.

---

[1]) De Vita s. Ambrosii, quam paucis post obitum sancti Doctoris annis hortante s. Augustino scripsit Paulinus, clericus ecclesiae Mediolanensis ac postea diaconus, qui s. Ambrosio ad extremum usque diem fuerat a manu, nec non de Vita ejusdem s. Patris scripta a C. Baronio vid. Baronii Annal. ad a. 397. n. 36—38. Cf. etiam de Vita s. Ambrosii per Paulinum ejus diaconum scripta Galland. Biblioth. T. IX. Proleg. c. 2. n. 1—3.

[2]) Paulinus in Vita s. Ambros. n. 3. cf. s. Basilii M. ep. 197. n. 1. In ea igitur urbe, ubi Praefecti Galliarum praetorium erat, in lucem

S. Ambrosii Vita usque ad Episcopatum.

353.) cum matre Romam reversus est, qua in urbe Marcellinam, sororem natu majorem, quae virginitatem professa jam fuerat, cum alia item sacra virgine habitantem reperit.[1]) Educatus in contubernio harum virginum s. Ambrosius inde tanto erga virginitatem sacrumque coelibatum amore affectus est, ut illud vitae genus non modo ipse semper coluerit quam studiosissime, verum etiam totis viribus longe lateque propagaverit. Ambrosius, dum egit Romae, liberalibus disciplinis operam dedit, magnosque et in lectione bonorum auctorum, et in graecarum litterarum cognitione progressus habuit. Inde cum orandis in foro causis animum adjecisset, tantum prae se tulit ingenii, eloquentiae et gravitatis, ut eum Probus, Praetorio Praefectus, ad consilium tribuendum eligeret. Nec multo post idem Probus Ambrosium, Consulari dignitate ornatum, praefecit Liguriae atque Aemiliae; quo in munere constitutus Ambrosius Mediolani sedem habuit (a. 373.).

Cum vero Ambrosium abs se dimitteret Probus, eum hisce verbis est allocutus: „Vade, age non ut judex, sed ut Episcopus," pulcherrime nimirum admonens, ut potius clementiam Episcopalem, quam judicis severitatem provincialibus exhiberet; cujus praecepti haud immemor exstitit

---

editus est s. Ambrosius, ubi et Paulinus prodigium illud memorat contigisse, quo apiculae in os infantuli alternatim intrantes atque exeuntes summam illius in dicendo et in hominibus ad Christi obsequium alliciendis suavitatem visae sunt portendere (Vita s. Ambrosii n. 3.). Eam autem urbem Treviros fuisse, solidis argumentis ostendit Pagi in Crit. ad a. 369. n. 14. Tillemont l. c Art. III. (p. 82—83). Ceillier l. c. Art. I. n. 1. (p. 329—30). Cf. Dupin T. II. p. 512—13. — Annus autem natalis s. Ambrosii pendet ex vero sensu verborum s. Ambrosii in ep. 59. n. 3., utrum eo in loco sub „barbaricis motibus et bellorum procellis" bellum adversus Maximum tyrannun (a. 387.), an bellum Eugenianum (a. 393—394.) sit intelligendum. Probabilius annus natalis fuit a. 340. — Cf. Vita Maur. n. 4. et 7. Pagi Crit. ad a. 369. n. 13. et ad a. 387. n. 8—9. Tillemont l. c. (p. 82.) cum Nota 1. in s. Ambros. (ibid. p. 729—30). Ceillier l. c. Dupin T. II. p. 438. Baunard l. c. L. I. Ch. 1.

[1]) Paulin. Vita Ambros. n. 4. s. Ambros. de Virginibus lib. 3. n. 1. Cf. Maur. Vita n. 7—8. Tillemont l. c. Art. III. et IV. (p. 83—85), ubi plura de hac Marcellina legi possunt.

Ambrosius.[1]) Populorum enim animos tantopere sibi devinxit comitate sua et mansuetudine, ut exstincto Auxentio, perfido illo Ariano, qui post s. Dionysium per multos annos sedem Mediolanensem occupaverat, in ejus locum prodigioso eventu ac mira plebis concordia ipsemet electus fuerit Episcopus Mediolanensis. Electus autem plane invitus nihil non tentavit, ut huic tanto oneri subduceret humeros.[2]) Verumtamen ubi Valentiniani Imperatoris allatae sunt litterae, quibus electionem istam rati habuit et confirmavit, divinae voluntati, quam modo non agnoscere non poterat, morem gerere humili obedientia coactus fuit.[3]) Itaque cum adhuc Catechumenus esset, ab Episcopo catholico baptizatus est; et postquam viribus omnibus, frustra tamen, annisus fuerat, ut saltem ordinatio protelaretur, impletis omnibus officiis ecclesiasticis, octava die (7. Decembris 374.) Episcopus ordinatus est summa cum gratia et laetitia cunctorum. Quam postea ordinationem, Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo comprobarunt.[4])

S. Ambrosii Vita usque ad Episcopatum.

---

[1]) Paulin. Vita Ambros. n. 5. et 8. Quo autem animo tam ipse, quam frater ejus natu major, Satyrus, qui simili dignitate auctus fuerat, munus obierint provinciamque administraverint. videre licet apud ipsum s. Ambrosium de Excessu Satyri lib. I. n. 25. 49. et 58. Cf. Tillemont l. c. Art. V. (p. 85—87).

[2]) Paulin. Vita Ambros. n. 6—9. S. Ambrosii ep. 63. n. 65. De offic. ministr. lib. 1. n. 2. et 4. De poenitent. lib. 2. n. 72—73. Rufin. Histor. Eccles. lib. 11. c. 11. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 6—7.

[3]) Paulin. Vita Ambros. n. 8—9. S. Ambros. ep. 21. n. 7.

[4]) Paulin. Vita Ambros. n. 9. S. Ambros. ep. 63. n. 65. S. Basilii M. ep. 197. Rufin. l. c. Theodoret. l. c. cap. 7. — De tempore autem, quo Episcopus ordinatus est s. Ambrosius, vid. Maur. Vita u. 12. Pagi Crit. ad a. 374. n. 3. Tillemont. l. c Art. VII. et VIII. (p. 89—94.) cum Nota 3. in s. Ambros. (ibid. p. 732—33). Ceillier l. c. Art. I. n. 4. (p. 331—33). Dupin T. II. p. 513. Nota c.

§. 124.

S. Ambrosii Episcopatus (374—397.)

S. Ambrosii Episcopatus.

S. Ambrosius factus Episcopus Mediolani, quae urbs metropolis erat Italiae superioris,[1]) abjecta statim gravi rerum temporalium ac domesticarum sarcina, quarum curam omnem Satyro fratri commisit,[2]) totum se rebus divinis sacroque muneri addixit. Summo imprimis fervore pietatis exercitiis se dedit, adeoque se mancipavit cultui sacrorum altarium, ut nullis negotiis, quominus divinum quotidie offerret sacrificium, avocaretur.[3]) Inveniendis etiam dignoque honore afficiendis Sanctorum reliquiis summam navavit operam, precibus ad Deum fusis aliquando impetrans, ut locus earundem sibi revelaretur, et miracula earum veritatem comprobarent.[4]) Quoniam vero novi muneris initio ecclesiastica eruditio ipsi deerat, eam ut sibi compararet, atque ut rite impleret doctoris munus nunc sibi impositum, quidquid temporis sibi a negotiis muneris sui aut necessaria corporis cura vacuum erat, incredibili assiduitate diu noctuque s. Scripturae lectioni et meditationi totum impendit. Cumque acerrimo ingenio praeditus esset, et humanioribus litteris apprime institutus, maxime vero Graecis, in quibus inter Latinos Patres uni

---

[1]) S. Athanas. Histor. Arian. ad Monach. n. 33. Cf. praecipue Tillemont l. c. Art. VI (p. 87—88)

[2]) Paulin. Vita Ambros. n. 38. S. Ambros. ep. 20. n. 8. item de excessu Satyri lib. I. n. 7. 20. et 59. Cf. Maur. Vita n. 13. et Tillemont l. c. Art. IX. (p. 94—95).

[3]) Singulorum dierum pias exercitationes satis accurate refert Paulinus in Vita Ambros. n. 38—41. S. Ambros. ep. 20. n. 15. et ep. 47. n. 1. S. Augustini Confess. lib. 5. n. 23. et lib. 6. n. 3. Sulpic. Sever. Dialog. I. n. 25. Possid. in Vita s. Augustini c. 27. Cf. Tillemont. l. c. Art. IX. (p. 95-98). Baunard l. c. L. I. Ch. III.

[4]) Paulin. Vita Ambros. n. 14. n. 29. n. 32—33. S. Ambros. Exhort. virginit. n. 1—10. item ep. 22. S. Augustini Confess. lib. 9. n. 16. De civit. Dei lib. 22. c. 8. n. 2 Vid. etiam s. Basilii ep. 197. n. 2. S. Paulini Poëm. 24. v. 436—39. et ep. 32. n. 17.

Hieronymo primas concedebat, Patrum praecipue et Scriptorum Graecorum, Origenis, Didymi et s. Basilii M. Operibus indefessa manu volvendis, et sacris utriusque linguae codicibus conferendis insignes vereque admirandos brevi progressus habuit.[1] S. Ambrosii Episcopatus.

Fide igitur et eruditione ecclesiastica abunde institutus Episcopi officia sedulo implevit. Nam et singulis diebus Dominicis verba ad populum facere consuevit, et singulari nonnunquam oblata occasione quotidianos habuit sermones; imo vero interdum etiam semel et iterum eodem die suggestum conscendit.[2] — Plurimum quoque laboravit in Catechumenis ad baptismum praeparandis erudiendisque, ita ut permultos ipse ad fidem et baptismum perduceret.[3] In his eminet s. Augustinus, qui a. 384 Rhetoricae magister Mediolanum venerat et a s. Ambrosio perquam benigne exceptus sermones ejus publice habitos non minus eruditos, quam suaves studiose audiebat. Tanti Doctoris sermonibus paulatim captus, ejusque consiliis directus, ac divina gratia tractus demum s. Augustinus a. 387. veritati manus victas dedit atque a s. Ambrosio institutus baptismum suscepit.[4]

Porro s. Praesul attente considerans, gubernacula ejus Ecclesiae sibi credita, quam Auxentius, qui eam totos viginti annos occupaverat, Arianorum dogmatum veneno inficere omni modo conatus fuerat, e contrario ipse arbitratus est, sibi nervis omnibus esse connitendum, ut non modo ejusdem Arianae dementiae, sed et omnium aliarum haereseon prava germina stirpitus ex populorum

---

[1]) S. Augustini Confess. lib. 6. n. 3. S. Ambros. de officiis ministr. lib. I. n. 3—4. item ep. 29. n. 1 ep. 47. n. 1—3. S. Hieronymi ep. 84. n. 7. ep. 112. n. 20. Apolog. 1. contra Rufin. n. 2. Apolog. 2. contra Rufin. n. 14. et Apolog. 3. contra Rufin. n. 14. Rufini Apolog. 2. adv. Hieronymum. n. 25. Cf. Tillemont l. c. Art. X. (p. 97—98).

[2]) S. Augustini Confess. lib. 6. n. 4. s Ambros. de myster. n. 1. Cf. Maurin. Admonit. in s. Ambrosii Hexaëmeron.

[3]) Paulin. Vita Ambros. n. 38. S. Ambrosii Hexaëm. lib. 3. n. 3.

[4]) S. Augustini Confess. lib. 5. n. 23—24. lib. 6. n. 3—8. et lib. 9. n. 13—14. item lib. I. contra Julian. n. 10.

S. Ambrosii Episcopatus.

animis evelleret, suosque contra technas ac perfidiam haereticorum praemuniret. Quo factum est, ut intra breve tempus omnis ad fidem rectam Italia reverteretur.[1])

Maxime autem Ambrosii sollicitudo et constantia in tuenda fide catholica eminuit, quando intrepide restitit conatibus Justinae Imperatricis, quae Arianis addicta protectione sua res eorum nitebatur restituere. Vivente Gratiano, qui septemdecim annos natus a. 375 Valentiniano I patri successerat, haud multum quidem Justina protectione sua ac favore profecit, quum Gratianus religioni catholicae ferventer adhaereret, et s. Ambrosii consiliis uteretur. Sed quum Gratiano occiso a. 383 ejus frater Valentinianus II., puer duodecim annorum, imperium adeptus esset, et Justina mater suo influxo plurimum valeret, majora orta sunt pericula. Justina enim effecit, ut Valentinianus Ambrosio parum affectus esset, et in Arianos propenderet. Plures tunc leges in favorem Arianorum latae sunt, Catholici vero variis modis vexati.[2]) Ariani a Justina a. 385 petierunt, ut ipsis traderetur Basilica Portiana extra urbem sita, ac Valentinianus II. matre instigante postulavit, ut Ambrosius hac in re Arianis obsequeretur. Restitit vero Episcopus. Paulo post Ariani jam Basilicam novam quae dicebatur, multo ampliorem et in ipsa civitate sitam postulaverunt; Justina autem militibus missis obtinere nisa est, ut eadem ipsis traderetur. Sed Ambrosius cum multitudine fidelium Basilicam illam aedesque ei junctas occupavit, ac diu noctuque ibidem versatus impedivit, quominus in Arianorum manus ecclesia traderetur.[3])

---

[1]) S. Hieronymi Chronicon ad a. 11. Imp. Valentiniani I. — S. Ambrosii ep. 14. n. 3. ep. 20. n 12. Hexaëm. lib. 3. n. 3. Exposit. in Evangel. Lucae lib. 9. n. 32.

[2]) Cf. s. Ambrosii Epist. 21. seu libellus ad Valentinianum Imp. contra Auxentium.

[3]) Superest adhuc egregia Oratio hoc tempore a s. Ambrosio habita, scil. *Sermo contra Auxentium de Basilicis tradendis*, post s. Ambrosii ep. 21. Vid. praesertim hujus Serm. n. 7. 8. 9. 10. 19., quibus in locis temporum istorum conditio satis apte delineatur.

Ea occasione hymnorum et psalmorum cantus videtur primum institutus fuisse, ne fidelibus diu in ecclesiis detentis fastidium obreperet. Scribit videlicet s. Augustinus qui anno 387 Mediolani a s. Ambrosio baptizatus est: „Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exaestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis. Non longe coeperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur haeresis suae causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore Spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac paene omnibus gregibus tuis, et per caetera orbis imitantibus".[1]) s. Ambrosii Episcopatus.

Demum Basilicae illae Catholicis remanserunt, Justina et Valentinianus II. a coeptis destiterunt, concordia et amicitia cum familia et aula imperiali restituta est, ac paulatim Ariani Mediolani degentes ad fidem orthodoxam redierunt.[2])

Haud minore autem vigore s. Ambrosius adlaboravit, ne Gentilium superstitio et falsorum numinum cultus recrudescerent. Romae videlicet adhuc permultae nobilium familiae paganismo addictae erant. Inter monumenta vero pagana, quibus Gentilium cultus connexus erat, celebris erat Victoriae simulacrum et ara, in ipso Senatu constituta. Constantinus M. quidem simulacrum istud

---

[1]) Confession L. IX., cc. VI. VII. Cfr. Paulinum in Vita Ambrosii n. 13.

[2]) Cf. Paulin. Vita Ambrosii n. 12. 14—17. — Caeterum de tota hac persecutionis a. 386. contra Ambrosium factae historia vid. Tillemont l. c. Art. XLIV—VIII. et C. Baron. Annales ad a. 387. n. 1—43.; (quae tamen Baronius ad a. Chr. 387 refert, potius ad a. 386. pertinent, ut ostendit Pagi Crit. ad a. 387. n. 3—8.) Cf. Baunard. l. c. L. IV. Ch. I. L. V. Ch. I. III.

S. Ambrosii Episcopatus.

removerat, sed Julianus Apostata illud restituerat. Valentinianus I Victoriae statuam simulata potius ignorantia, quam positiva tolerantia in suo loco reliquerat, idemque facturum esse Gratianum Senatores gentiles summopere sperabant et exoptabant. Sed Gratianus a. 381 idolum istud nocturno tempore semoveri curavit. Abstulit insuper decreto edito Vestalium privilegia, sacrificulorum commoda et pecunias sacrificiorum sumptibus destinatas. Ethnici, ac maxime Senatores, duce Symmacho urbis praefecto nullum non lapidem moverunt, ut decretum illud revocaretur et ara Victoriae restitueretur. Christiani vero Senatores libellum Damaso Pontifici tradiderunt rogantes, ut Imperatoris decretis sua vis maneret. Quem cum Damasus s. Ambrosio misisset, hic libello porrecto tam efficaciter apud Imperatorem egit, ut Gentiles etsi delegatos suos Mediolanum misissent, nihil obtinerent. Gratiano a. 383 exstincto, Gentiles iterum, quum Ambrosius iter Treviros ad Maximum suscepisset, apud Valentinianum II suam causam propugnaverunt, ac Symmachus eloquenti elaborato libello quo et Ambrosii influxus dextere perstringebatur, Victoriae restitutionem postulavit.[1]) Sed Ambrosius Mediolanum redux epistola ad Valentinianum II data, Symmachi relationem egregie confutavit, ita ut Valentinianus fratris decreta sarta servaret.[2]) Etiam novos conatus, quos a. 388 Gentiles fecerunt apud Theodosium Imperatorem, Ambrosius influxuo suo elisit.[3]) Sic s. Episcopus continuo paganam superstitionem strenue impugnavit, ejusque hac in re fervorem Imperator admirans suspexit. Unde quum a. 394 apud Aquilejam acri praelio Eugenium usurpatorem ac paga-

[1]) Haec *Relatio Symmachi Urbis Praefecti*, quemadmoduum vulgo inscribitur, omnibus eloquentiae calamistris comta et exculta, habetur inter s. Ambrosii Opera post Epist. 17., et inter Symmachi epistolas lib. 10. ep. 61.

[2]) Cf. s. Ambrosii epist. 17. 18.

[3]) Vid. s. Ambros. ep. 57. n. 1—4. Paulini Vita Ambrosii n. 26, ubi notandum, diversos Gentilium ea in causa conatus male a Paulino confundi. Cf. C. Baronii Annales ad a. 384. n. 7—11. ad a. 383. n. 6. ad a. 387. n. 64 et 67. ad a. 388. n. 93. Tillemont l. c. Art. XXXVIII. et Art. LVI. Baunard. l. c. L. IV. Ch. IV. L. V. Ch. II.

nismi protectorem vicisset, illico ea de re certiorem fecit Ambrosium, petens ut solemne in gratiarum actionem sacrificium offerret. S. Ambrosii Episcopatus.

Interea Ambrosius, scriptis, gestis, synodis habitis[1]) Ecclesiae disciplinae, fidei, moribus, sollicite providere nunquam destitit. Sed etiam bono publico sollicitudine sua, ac ipsis principibus influxu suo quantum poterat profuit. Bis (a. 883. et 387.) legationem suscepit ad Maximum usurpatorem in favorem Valentiniani II adolescentis; quumque hic a. 392 nece exstinctus esset. adolescentis mortem adnodum luguit, et oratione habita ejus memoriam celebravit.[2]) Auctoritate vero sua principum excessus idem dem compescuit. Valentinianum I brevi postquam sedem Mediolanensem adscenderat, intrepide monuit, ut facinora in administratione rerum commissa corrigeret,[3]) Theodosium M. ob caedes Thessalonicae a. 390 praecipitanter fieri mandatas, ab ingressu in ecclesiam cohibuit, donec publice Imperator peregit poenitentiam.[4])

Mortuus est Ambrosius eloquentia, doctrina, virtutibus ac meritis illustris, a. 397. De ejus obitu inter alia Paulinus Ambrosii diaconus scribit: „Eodem tempore quo migravit ad Dominum ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, in qua emisit spiritum, expansis

---

[1]) V. Gesta seu Acta Concilii Aquilejensis inter s. Ambrosii ep. 8. et 9. inserta, itm Epistolae Synodicae inter Ambrosianas ep. 9. 10. 11. et 12, quas ipe s. Ambrosius composuisse recte vulgo creditur. Cf. Maurin. Admoni. in has epistolas, et Pagi Crit. ad a. 381. n. 13. C. Baron. Annales ad a. 380. n. 19. ad a. 381. n. 81—95. Tillemont. l. c. Art. XXII—XVII. Baunard l. c. L. IV. Ch. II.

[2]) S. Ambrsii de Obitu Valentiniani Consolatio, ubi de virtutibus defuncti Imperatris deque summo dolore s. Episcopi videsis n. 5—6. n. 15—28. et n. 30. Cf. C. Baron. Annal. ad a. 392. n. 15—25. Baunard. l. c. L. VII. Ch. I.

[3]) Cf. Theodoret. Histor. Eccles. lib. 4. c. 7.

[4]) Vid. s. Abros. ep. 51. De obitu Theodosii n. 34. Enarrat. in Ps. 37. n. 43 Palin. Vita Ambrosii n. 24. S. Augustin. de Civit. Dei lib. 5. c. 26. n. 1 Rufin. Hist. Eccles. lib. 11. c. 18. Sozom. lib. 7. c. 25. Theodoret. Ht. Eccles. lib. 11. c. 18. Cf. Baron. Annal. ad a. 390. n. 2—31. Pagi Crit. ad a. 390. n. 2—9. Tillemont. l. c. Art. LVII —LXII. Baunard c. L. VI. Ch. IV.

S. Ambrosii Episcopatus.

manibus in modum crucis oravit; nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus etiam Sacerdos ecclesiae Vercellensis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus, quo accepto ubi glutivit emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens ut in virtute escae anima refectior angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, et Eliae societate laetetur, quia ut Elias nunquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est. Atque inde ad ecclesiam majorem antelucana hora qua defunctus est (die 4. Aprilis), corpus ipsius portatum est ibique fuit eadem nocte, qua vigilavimus in Pascha."[1]) Dein lucescente die dominico Paschatis ad basilicam Ambrosianam corpus delatum est, ibique sepultum in loco quem ipse s. Ambrosius sibi delegerat, videlicet ad dexterum latus ss. Gervasii et Protasii martyrum, quorum corpora s. Ambrosius a. 386 invenerat et in dedicatione illius Basilicae ibi posuerat.[2])

Brevi post mortem s. Episcopi, petente s. Augustino, ejus vitam scripsit Paulinus clericus ac postea diaconus ecclesiae Mediolanensis, qui s. Ambrosio a manu, seu ejus notarius fuerat. „Caeterum, ait Baronius, quod spectat ad libellum de s. Ambrosii vita conscriptum, summa fide illum consignatum fuisse, quisque intelligere potest; dum vel quae ipse vidit, vel a s. Marcellina de Ambrosio didicit, vel ex epistolis diversorum pst obitum datis de iis qui in diversis provinciis ipsum vidisse narārunt, se scripsisse testatur. Attamen brevius quam par erat, et non levi jactura posterorum, quamplurima ab eo praetermisa noscuntur."[3])

[1]) Vita Ambrosii n. 47. 48

[2]) Multa quae ad exitum vitae s. Ambrosii atque ad miracula ab eo patrata spectant, vid. in Paulini Vita Ambrosii n. 42—55. Cf. s. Possidii Vita s. Augustini c. 27. Tillemont. l. c. Art. XXVIII—LXXX. Baron. Annal. ad a. 397. n. 25—35. Baunard l. c. L. IX. Ch. II.

[3]) Ad a. 397. n. 48.

§. 125.

Opera s. Ambrosii. — *Opera dogmatica et exegetica.*

S. Ambrosius plurima reliquit Opera *I. dogmatica, II. exegetica, III. moralia,* nec non *IV. Sermones* aliquot, *V. Epistolas* multas, et *VI. Hymnos* nonnullos. S. Ambrosii Opera dogmatita.

I. Opera dogmatica seu polemica.

In his primum occupant locum

1) *Libri V. de Fide,*[1]) quos nunquam non summo in pretio habitos, rogante Gratiano Augusto ita exaravit s. Ambrosius, ut duobus libris prioribus a. 378. conscriptis, qui ex auctoris mente integrum et absolutum Opus contra Arianos conficere debuissent ad fidem Imperatoris confirmandam, novas Arianorum cavillationes destructurus tres posteriores singulari cura elucubratos a. 379. adjiceret. Hoc opere igitur contra Arianos divinitatem Filii egregie demonstrat. In duobus libris prioribus multa, sed brevia argumenta seu potius testimonia profert apteque concinnat; in tribus sequentibus, qui veluti illorum supplementum haberi possunt, partim omissa adjungit, partim jam dicta fusius explanat, partim novas quasdam objectiones inanes esse probat.

2) *Libri tres de Spiritu Sancto*[2]) tanquam continuatio quinque librorum de Fide merito considerantur,[3]) atque

---

[1]) Migne P. L. T. XVI. p. 527—698. — Citantur a nonnullis auctoribus hi libri sub titulo: *De Trinitate;* verumtamen certum est, communem epigraphen: *De Fide* illis praenotatam esse ab ipso Ambrosio, vid. de Fide lib. I. n. 4. Exposit. Luc. lib. 3. n. 32. S. Leo M. ep. 165. (T. I. col. 1388.) aliique. De vero proprioque hujus inscriptionis sensu vid. Rufini Apolog. contra Hieronym. lib. 2. n. 27., ubi haec habet: „De fide, id est de Trinitate" etc. — In libros quinque ipse s. Ambrosius hoc Opus distinxit, vid. lib. 5. n. 6—7. et de Incarnat. Domin. n. 62. — Cf. Dupin T. II. p. 482. Tillemont. l. c. Art. XV. (p. 109—110) et XIX. (p. 120—121). Ceillier l. c. Art. II. §. XVI. n. 1. (p. 499—500.)

[2]) Migne l. c. p. 703—816.

[3]) Cf. S. Ambros. de Spiritu S. lib. 1. n. 63. et 121. Caeterum notandum est, apud quosdam Scriptores hoc Opus titulo etiam commu-

S. Ambrosii Opera dogmatica.

cum iisdem intimo nexu cohaerent, quippe quos statim post illos superiores (sub medium annum 381.) petente Imperatore Gratiano conscripsit. His libris igitur s. Doctor ostendit, Spiritum Sanctum vere Deum esse atque unius cum Patre et Filio naturae ac substantiae. In hoc Opere, quod miro artificio concinnatum atque connexum est, non solum Didymum excerpsit Ambrosius, sed et Basilium et Athanasium, ita ut in eo colligat, quidquid dici unquam potuit ad probandam Spiritus Sancti divinitatem.

3) *Liber de Incarnationis Dominicae Sacramento,*[2]) cum Ariani novas in dies contra divinitatem Filii Dei quaestiones moverent, a. 382. singulari quadam occasione paene contra ipsius Ambrosii mentem traxit originem.[2])

Ariani scilicet duo, Gratiani Imperatoris cubicularii, objectiones contra divinitatem Filii Dei ex mysterio Incarnationis petitas proposuerant, quas in Basilica Portiana coram omni fidelium coetu a se solutum iri s. Ambrosius fuerat pollicitus. Die dicto cum frequentem plebem exspectantem, aulicos vero istos non convenisse videret s. Doctor, nihilo tamen secius verba facere

---

nicum libris superioribus de Fide citatum reperiri. scilicet: *De Trinitate,* nec immerito, cum non solum de divinitate Spiritus Sancti, sed etiam Filii haud paucis in locis agatur. Cf. Maurin. Admonit. in libros de Spiritu S. — Insignem huic Operi laudem plerique Veterum tribuerunt, ut Rufinus Apolog. adv. Hieronym. lib. 2. n. 23. 25. S. Augustin. de doctrina christiana lib. 4. n. 46. Cassiodor. Institut. div. litter. c. 16., quibus unus s. Hieronymus Praefat. in librum Didymi de Spiritu S. contraire videtur, siquidem vere Ambrosium intendat, quod alii negant, alii affirmant. Cf. Maurin. Admonit. in s. Ambros. lib. de Spiritu S. (Opp. T. II. pag. 595—98.)

[1]) Hunc verum istius libri titulum esse, ipse s. Ambrosius testatur ejusdem libri n. 63. Cf. Paulin. Vita s. Ambrosii n. 18, Theodoreti Dialog. II. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 96—97.), Epistola quorundam Orientalium ad Rufum Thessalonicensem inter Acta Concliabuli Ephesini a. 431 (Mansi T. IV. col. 1416), Synodicon Cassin. adversus tragoediam Irenaei cap. 34. et 84. (Mansi T. V. col. 807—8. et col. 863.), ubi inscribitur: *Liber contra Apollinarii dogmata.* Non defuerunt tamen, qui Operis exordio permoti sub titulo *Sermonis de Cain et Abel* istud citatum vellent, ut Ivo et Gratianus. Alii eundem librum: *Contra Apollinarium* vel *Contra haereses* appellarunt, ut Anastasius presbyter in A. Maji Collect. Nova Veterum Script. T. VII. p. 7. et 15.

[2]) Vid. hujus libri n. 62. 63.

statim aggressus est. Inde est illud tractatus initium: „Debitum fratres cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores; nisi forte improviso conventu putaverunt nos esse turbandos: sed nunquam fides vera turbatur". — Occasionem dein nactus ex historia oblati a duobus primis fratribus Caïn et Abel sacrificii, quae quidem historia ex Scripturis lecta erat, quonam vitio Caini sacrificium infectum fuerit, aperit, eandemque terribilem sententiam, qua ille ipsomet Dei ore perculsus fuerit, ad omnes etiam haereticos protendi docet, quorum seriem decurrentem usque ad Apollinaristas subtexit. (n. 1—12). Dein auditores suos enixe hortatus, ne se unquam ab Ecclesiae gremio distrahi patiantur, Christum *aeternum* esse *vereque Deum* adversus Arianos probat (n. 14—35). Tum de *Incarnatione* Domini locutus, unum eundemque Christum esse Deum simul ac hominem ostendit, ac tacito nomine speciatim Apollinaristas confutat, tam eos qui delirabant divinitatem et carnem unius esse naturae,[1]) quam eos qui contendebant, *rationalem* animam a Dei Filio non esse susceptam (n. 36—76.) — Hic finierat sermonem suum in Basilica habitum s. Ambrosius; quum autem librum ex eo concinnaret, placuit difficultatis, quae ab haereticis recens inventa, ab Imperatore ipsi fuerat proposita solutionem subjungere. Novam igitur objectionem, *ingenitum et genitum* (i. e. Patrem et Filium) ejusdem naturae et substantiae esse non posse, ideoque *ingenitum* et *genitum* esse *dissimiles* solide refutat (n. 79—105); ac demum eos quoque refellit, qui Filium Patri *similem* quidem, sed non ejusdem substantiae esse profiterentur (n. 106—116). Liber hic, in quo pariter s. Athanasium et s. Basilium duces s. Ambrosius libenter sequitur, haud incongrue *supplementum* anteriorum de Fide tractatuum vocari posset.

S. Ambrosii Opera dogmatica.

4) *Liber de Mysteriis*,[2]) Opus s. Ambrosii admodum insigne, scriptum circa a. 387, analogiam quamdam habet cum Catechesibus mystagogicis s. Cyrilli Hierosolymitani.

---

[1]) Exstat etiam in Theodoreti Dialogo II. (Opp. ed. Paris. T. IV. p. 93—95) Fragmentum, quod *in expositione fidei* inscriptum s. Ambrosio tribuitur et apertissimis verbis duas in Christo naturas unamque personam testatur; sunt vero qui ejus authentiam in dubium vocent. Vid. Maurin. Not. in calce istius Fragmenti (Opp. s. Ambrosii T. II. p. 729—32.), Dupin T. II. p. 484. Ceillier l. c. Art. II. §. XVIII. n. 3.

[2]) Migne P. L. T. XVI. p. 389—410. — Ita in longe plurimis et antiquissimis Codd. Mss. inscribitur hic liber; expressio haec: „*in mysteriis*" alibi etiam apud s. Ambrosium obvia (de Spiritu S. lib. 2. n. 105. et lib. 3. n. 79.), juxta usum loquendi Ambrosianum sacramenta

S. Ambrosii Opera dogmatica.

Hoc libro videlicet s. Ambrosius iis qui sacro baptismate regenerati fuerant, tum hujus sacramenti, tum aliorum, quae simul conferri solebant, confirmationis scilicet et ss. eucharistiae, rationem atque caeremonias explicat. Egregia habentur in eo de praesentia reali Christi in eucharistia ac de transsubstantiatione testimonia. Immerito a quibusdam heterodoxis recentioribus ex argumentis levissimis iisque mere dogmaticis hic tractatus in dubium vocatus est, cum interna maxime indicia s. Ambrosium auctorem prodant, Codices Mss. omnes eundem auctorem prae se ferant, et externa testimonia, sequioris licet aetatis idem confirment.[1])

5) *Libri duo de poenitentia* a s. Ambrosio circa a. 384. scripti sunt contra Novatianos.[2]) Hosce libros unus alterve Protestantium, meris rationibus dogmaticis ducti, quia scilicet vix alibi clarius Ecclesiae a Christo tradita potestas dimittendi peccata, necessitas peccata confitendi, ac tandem bonorum operum corporisque castigationum meritum proponitur, s. Ambrosio abjudicare ausi sunt. Verum praeter criteria interna etiam certissima et antiquissima testimonia externa eorundem authentiam extra omne dubium collocant.[3])

---

baptismi et eucharistiae significat. — Porro libri hujus inscriptio in variis editionibus antiquis varia habetur, ut: *De mysteriis initiandis; De iis, qui mysteriis initiantur; De Initiandis.*

[1]) Hujusmodi indicia, ut nihil dicam de stylo, qui totus est Ambrosianus, reperire licet lib. de myster. n. 1. 31—32 et n. 36. Argumenta adversariorum omnia in unum collecta exhibet Oudin T. I. col. 659—65. Vindicias vero hujus libri agunt Editores Maur. in Admonit. eidem libro praemissa, Tillemont. l. c. Art. XIII. n. 1. Dupin. T. II. p. 472 et al.

[2]) Migne P. L. T. XVI. p. 465—524.

[3]) Vid. de Poenit. lib. 2. n. 72—73. S. Ambros. Enarrat. in Ps. 37. n. 1. S. Augustin. de pecc. orig. n. 47. et contra Julian. Pelagian. lib. 2. n. 5. et 8. item contra duas epistolas Pelagian. lib. 4. n. 29. Cf. Tillemont. l. c. Art. XCII. et Ceillier l. c. §. XV. n 1—2. Caeterum monere juvat, alium librum *de poenitentia* s. Ambrosii nomine inscriptum omnino spurium esse. Vid. Admonit. alteri huic libro praefixa ab Edit. Maurin. (ed. Paris. T. II. Append. p. 589—90.)

S. Ambrosii Opera dogmatica.

Primo libro s. Doctor probat, Ecclesiae seu proprie sacerdotibus a Christo Domino potestatem collatam esse, omnia peccata post baptismum commissa, etiam gravissima, remittendi. Novatianorum vero exceptiones et objectiones aliquas ex s. Scriptura depromptas solida refutatione refellit. — *Libro secundo* postquam docuit, non tantum sollicite, sed mature etiam poenitentiam esse agendam, ac necessitatem peccata confitendi inculcavit, duo praecipua Novatianorum praesidia impugnat, et eximia plane rationum vi tractat ac diluit. Primum scilicet illis suppeditabant Apostoli verba asseverantis (Hebr. 6; 4—6), eos qui post baptismum lapsi essent renovari non posse in poenitentiam. Alterum vero iidem mutuabantur ex verbis Domini (Matth. 12, 31—32), peccatum in Spiritum neque in hoc neque in futuro saeculo dimitrendum esse.

II. Opera exegetica.

Opera exegetica.

In explananda s. Scriptura plerumque ita versatus est s. Ambrosius, ut sermonibus publice habitis majorem quamdam s. Scripturae partem, quae apte cohaerens integram referebat narrationem rei cujusdam gestae aut vitae cujusdam Sancti, populo explicaret; quos postea ipse stylo adstrinxit ac in eam, qua hodie circumferuntur, tractatus formam concinnavit, tum ut amicorum obsequeretur voluntati caeterorumque Christianorum utilitati consuleret, tum ne sibi a notariis imponi posset. Morem hunc sermones publice habitos postea in libri formam redigendi, etiam observare licet in nonnullis Operibus ipsius dogmaticis et moralibus. Sunt autem ejusmodi *Tractatus in s. Scripturam*, aliique libri nonnulli, qui cum iisdem indivulso nexu cohaerent:

1) *Hexaëmeron.*[1]) Opus illud, quo rerum hominisque creationem sensu litterali et morali accurate exponit (juxta Genes. 1, 1—26.), proprie constat novem Sermonibus s. Ambrosii ad populum Mediolanensem habitis sub extrema hebdomade Quadragesimae a. 389.; nunc autem divisus est in sex libros, qui sex diebus creationis respondent.[2]) In his libris elucubrandis s. Ambrosius sic Origenis Hexaëmeron compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basilii-

[1]) Migne P. L. T. XIV. p. 123—174.

[2]) Ita jam Cassiodorius Instit. divin. litter. c. 1. Unde probabile fit, hanc divisionem in sex libros jam ab ipso s. Ambrosio descendere.

S. Ambrosii Opera exegetica.

que sequeretur.[1]) Licet vero quam plurima ex s. Basilio transtulerit, neque tamen serviliter eum imitatus est, neque religioni sibi duxit, dictis a s. Basilio addere aut demere, vel etiam contraria Basilio sentire.[2])

2) *Liber de Paradiso* scriptus est c. a. 375.[3]) Hoc in libro de Paradiso disputat, et s. Scripturae ordinem secutus (Genes. 2, 8—3, 19.) perbrevi sacri textus expositione ostendit, quid, qualis et ubi fuerit Paradisus, quid egerint in eo primi parentes, qua fraude, quo ordine, qua arte a diabolo tentati in peccatum tandem lapsi sint, quae fuerint peccati hujus sequelae et poenae a Deo inflictae; varias simul quaestiones argutas ab haereticis, Gnosticis et Manichaeis, circa praeceptum Dei Protoparentibus datum et circa eorundem praevaricationem scite dissolvit. Praecipue vero immoratur expositionibus allegoricis, dum paradisi cum anima humana comparationem fusius exsequitur.

3) *De Cain et Abel libro duo*[4]) scripti sunt c. a. 375. In his continuans explanationem contextus Geneseos (Gen. 4,

---

[1]) Ita s. Hieronymus ep. 84. n. 7.

[2]) Vid. Maurin. Admonit. in sex libros Hexaëmeron iisdem praemissa, item Tillemont l. c. Art. LXXXVII. (p. 287—88) et C. Baron. Annal. ad a. 375. n. 20. et 22. — S. Ambrosii Hexaëmeron separatim ed. R. O. Gilbert. Lipsiae 1840 in 8°. — Notari meretur, discipulum quemdam s. Ambrosii perlectis hisce libris duplicem ei movisse quaestionem, scilicet, cur homo *ultimus* creaturarum fuerit conditus, et cur *sex* diebus rerum universitas creata sit; utramque solvit quaestionem s. Ambrosius ep. 43. et 44. — *Libellus de conditione dignitatis humanae*, qui in omnibus Operum s. Ambrosii editionibus ante Maurinam libros Hexaëmeron proxime sequitur, *spurius* censeri debet. Vid. Opp. s. Ambrosii T. II. Append. p. 611.

[3]) Migne l. c. p. 275—314. — De hoc libro vid. Maurin. Admonitio eidem praefixa, et Tillemont. l. c Art. LXXXVIII. (p. 288.) Eundem librum a se scriptum ipse memorat s. Ambrosius ep. 45., in qua pariter suam de paradiso sententiam paucis exponit, unde hanc epist. lector cum libro isto conjungere debet. Ejus pariter libri saepius mentionem facit s. Augustinus, ex. gr. lib 2. contra Julian. n. 13. et 20.

[4]) Migne l. c. p. 314—360. — Hujus Operis divisio in libros duos antiquissima quidem, sed plane inepto loco facta est, ac proinde non ab ipso s. Ambrosio profecta. Auctor hujus libri s. Ambrosius est,

S. Ambrosii Opera exegetica.

1—15.) exponit historiam illorum duorum fratrum; at argumentum suum ubique fere mysticis interpretationibus inspergit et illustrat. Immoratur praesertim in explicandis Caini et Abelis sacrificiis, qua in re multo majorem totius commentationis partem insumit; interdum etiam nonnulla catholicae fidei dogmata, quae imbuendis fidelium animis utiliora judicabat, satis subtiliter insinuat; ea vero, quae ad formandos mores conducunt, fusius et accuratius prosequitur.

4) *Liber de Noë et Arca* seu potius *de Arca et Noë,*[1]) scriptus c. a. 379., hinc inde nonnihil mutilus est. Hoc in Opere universim quidem Ambrosii consilium fuit, „Noë sancti vitam, mores, gesta et mentis altitudinem explanare" (n. 1.), sed tamen praecipua ejus cura in arcae constructione, in cujus aedificatione descriptam invenit „humani figuram corporis" (n. 13.), atque in diluvio universali explicando collocata est. Singulas sacrae hujus historiae partes diligenter expendit, indeque sensum cum litteralem, tum allegoricum seu „altiorem" (n. 34. 38. 46. et saep.) exprimere omni industria adnititur, ut non facile aliam ejus commentationem reperias, ubi majori studio in utrumque illum sensum scrutandum eruendumque incubuerit.

Sequuntur „libri septem de Patriarchis", qui compositi sunt a s. Ambrosio ex Sermonibus, quos verisimiliter c. a. 387. tempore Quadragesimae habuit in gratiam Catechumenorum.[2]) Sunt autem hi:

5) *De Abraham libri duo.*[3]) In his pius Doctor s. Patriarcham lectoribus eo consilio ob oculos posuit, ut ad

---

quippe qui n. 1. librum de paradiso a se exaratum esse diserte statuit; nec ulla dubitandi occurrit ratio. Vid. Maurin Admonit. in h. lib.

[1]) Ita enim allegatur a s. Augustino lib. 2. contra Julian. n. 4. et lib. 4. contra duas epist. Pelagian. n. 29. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. — Migne l. c. p. 361—416.

[2]) Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 1. Cf. Maurin. Admonit. in libros de Abraham, in lib. de Joseph, et in lib. de benedictionibus Patriarcharum; item Tillemont l. c. Art. LXXXVIII. (p. 289—91).

[3]) Migne l. c. p. 419—500.

S. Ambrosii Opera exegetica.

ejus exemplar, tanquam ad speculum, vitiorum coenum detergerent, atque ad absolutissimam vitae ac sapientiae Christianae perfectionem contenderent (cap. 1.).

In *priori* scilicet libro, quidquid Scriptura de vita Abrahami inde a jusso divinitus accepto egrediendi ex Haran usque ad ejus obitum tradit, breviter enarrat atque ad mores applicat. Praecipue commendat Abrahae *devotionem*, videlicet obedientiam in exsequendis Dei mandatis. — In libro *secundo* qui satis depravatus est, post expositum sensum moralem ad profundiorem seu allegoricum transit, ad animae profectionem in virtutibus ea vertens, quae de Abrahae referuntur. Animam scilicet, cum in Adamo cecidisset, in Abrahamo resurgere atque ad perfectionem niti, docet. — Quum iste modus agendi satis consuetus sit s. Ambrosio in hisce sermonibus ad Catechumenos habitis, juvabit, ut indoles ejus interpretationis intelligatur, referre quae libri II. c. 1° scribit: „Moralem quidem locum prosecuti sumus, qua potuimus intellectus simplicitate, ut qui legunt morum possint sibi haurire magisteria: sed quia ex utraque parte acuta est acies gladii, ex utraque parte praeliaris, similiter verbum Dei, quod est acutius omni gladio acutissimo penetrans usque ad divisionem animae, quocumque converteris, paratum invenies et opportunum, ut animam legentis pertranseat ad revelandum propheticarum Scripturarum aenigmata. Unde non absurdum reor referre ad altiora sensum et per historiam diversarum personarum, virtutis formae quemdam processum explicare, maxime cum jam in Adam intellectus profundioris exordia degustaverimus. Adam etenim mentem diximus, Evam sensum esse significavimus, serpentis specie delectationem expressimus: sed ibi de summa beatitudine et quadam naturali virtutum amoenitate per circumscriptionem sensus et delectationis illecebram refluxus ad culpam est: hic autem profectum mentis speculari datur. Hoc enim Legislator provide egit, ut quemadmodum lapsum mentis demonstravit, ut illas erroris caveremus semitas: ita etiam processum mentis, et quemdam superiorem reditum significaret, ut quemadmodum infracta mens reformare se possit cognosceremus. . . . Abraham mentis loco inducitur. Denique Abraham transitus dicitur. Ergo ut mens quae in Adam totam se delectationi et illecebris corporalibus dederat, in formam virtutis speciemque transiret, vir sapiens nobis ad imitandum propositus est. . . . Haec ergo mens erat in Charra, id est, in cavernis, obnoxia variis passionibus. Ideoque dicitur ei: „Exi de terra tua“ id est, de corpore tuo. Exivit de hac terra ille, cujus conversatio in coelis est. „Et de cognatione, inquit, tua.“ Cognati sunt animae nostrae corporis sensus. Dividitur enim in duo anima nostra: in id quod est rationabile, et in id quod est irrationabile. In eo autem quod est

irrationabile. sensus sunt: ergo cognati sunt partis rationabilis, hoc est mentis."

6) *Liber de Isaac et anima.*[1]) In eo s. Ambrosius prosequitur coeptam in superiore Opere materiam, et mysterium unionis inter Christum, per Isaac designatum, et animam, repraesentatam per Rebeccam, describit.

7) *Liber de bono mortis,*[2]) affinitate quadam interna jungitur cum praecedente, uti colligitur ex ejus initio: *Quoniam de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus, faciliorem viam putamus de bono mortis conficere aliquid.* Distinguit s. Doctor triplicem mortem; mortem peccati quae malum est; mortem mysticam, qua morimur mundo et peccato; mortem naturalem. Morte mystica debemus nos praeparare ad mortem naturalem, quam ea ratione non esse malum sed bonum variis argumentis s. Ambrosius ostendit.[3])

8) *Liber de fuga saeculi*[4]) porro ulterius evolvit, fugiendum esse hoc saeculum, ac media ad hoc opportuna exponit.

Quum videlicet s. Doctor in prioribus tractatibus et concionibus Catechumenos competentes quam diligentissime omnibus christianae vitae praeceptis imbuisset, atque illud praecipua quadam cura docuisset, quantopere ad fugiendas saeculi voluptates obstringerentur, tandem eos, qui baptismum jam susceperant, in doctrina accepta magis confirmaturus hic ostendit, quam sit humanae fragilitati atque cupiditati proclive, sensim in mundanas

---

[1]) Migne l. c. p. 501—534. — Hujus libri mentionem facit s. Augustin. lib. I. contra Julianum n. 44. Cassiodor. Institut. divin. litter. c. 5. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib.

[2]) Migne l. c. p. 539—568. Vers. germ. ed. Schulte, Kempten 1877. — Meminit hujus libri s. Augustin. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. n. 31.

[3]) Quae s. Doctor sub finem hujus libri de animarum suis corporibus exutarum statu deque auctoritate canonica libri IV. Esdrae tradit, non carent difficultatibus, quibus solvendis adlaborant Maurin. Admonit. in h. lib.

[4]) Migne l. c. p. 569—596. Vers. germ. ed. Schulte, Kempten 1877. — Hoc titulo citatur a s. Augustino lib. 4. contra duas epist. Pelagian. n. 30. et lib. 2. contra Julian. a. 23—24. Cf. Maurin. Admonit. in h. l.

S. Ambrosii Opera exegetica.

ineptias relabi, et quam sit arduum in sancto proposito perseverare; atque ideo ipsis ut indefesso cursu vanitates fugiant, ac supra illas positi ad perfectionem indesinenter contendant, omnibus viribus adnitendum esse monet. Deinde in quo haec fuga posita sit, declarat; quamque illis eadem gloriosa, utilis, necessaria sit, propositis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum atque etiam ipsius Christi Domini exemplis evincit, addens, fugam istam celerem esse debere. Quoniam vero non omnibus ex mundo profugere licet, ejusmodi hominibus aperit, qua ratione mundum corpore non deserentes inde animo evolare, Deo unice adhaerere, observare ejus praecepta, et occasionem quamlibet ulterius in via virtutis progrediendi arripere possint et debeant.

9) *Libri duo de Jacob et vita beata.*[1]) In hisce ostenditur, vitam beatam consistere in vita perfecta, ad hanc autem perveniri non posse, nisi per temperantiam, qua omnis cupiditas non quidem exstinguitur, sed juste refraenatur. Veluti exemplar cum aliis viris sanctis antiqui Foederis praecipue Patriarcham Jacob s. Ambrosius proponit.

10) *Liber de Joseph Patriarcha*[2]) de ipso ejusque castitate agit. *Sit igitur nobis propositus sanctus Joseph tanquam speculum castitatis. In ejus enim moribus, in ejus actibus lucet pudicitia, et quidam splendet castimoniae comes nitor gratiae* (c. 1. n. 2.) Docet porro s. Ambrosius, Christi Domini typum ac figuram exstitisse Joseph Patriarcham, ejusque omnes propemodum actiones mystice Christo convenire.

11) *Liber de benedictionibus Patriarcharum,*[3]) agit de benedictionibus illis quibus Jacob in extremis positus filiis suis omnia fausta comprecatus est, ac mysticum sensum harum benedictionum exponit. — Libri hi quos recensuimus *libri septem de Patriarchis* dici solent.[4])

---

[1]) Migne l. c. p. 597—638.

[2]) Migne l. c. p. 641—672. Vid. Cassiodor. Instit. divin. litter. c. 6. Cf. Maurin. Admonit. in hos libros.

[3]) Migne l. c. p. 673—694.

[4]) De tempore quando sermones illi habiti fuerint librique confecti, non omnino conveniunt auctores. Baunard primis annis Episcopatus s. Ambrosii libros de Patriarchis tribuit (L. I. Ch. IV.); libros vero *de bono mortis* ac *de fuga saeculi* anno 387 adscribit. (L. V.

S. Ambrosii Opera exegetica.

Tractatibus hisce junguntur etiam quidam tractatus similis indolis, quibus temporum mores et vitia s. Ambrosius vehementer et egregie perstringit, virtutemque commendat. Huc pertinent:

12) *Liber de Elia et jejunio*,[1]) qui constat sermonibus quos praecipue tempore Quadragesimae a. 389 vel 390 Ambrosius habuit.

Theodosius Imp. devicto Eugenio usurpatore, eo tempore Mediolani (a. 388—391) frequenter degebat, festisque et epulis ac compotationibus omnia resonabant. Hinc ut excessus redargueret, fervidos de jejunio sermones s. Doctor habuit.[2]) Sedulo insistit, ut Eliam in quadraginta dierum jejunio fideles imitentur (c. 1—11.) Altera dein parte (c. 12—19) in sui temporis intemperantiam vehementer invehit, et graphice epularum luxum et vinolentiam tum plebis tum ditiorum virorumque militarium describit. Tandem extremi judicii terroribus ob oculis positis hortatur, ut confugiant ad Dei misericordiam, utque nondum baptizati suscipiant baptismatis sacramentum (c. 20—21.).

13) *Liber de Nabuthe Jezraëlita*[3]) continet unum alterumve sermonem, quibus avaritiam perstringit s. Ambrosius exordiens de nota Nabuthis et Achabis historia.

Videtur s. Ambrosius hunc librum scripsisse versus a. 395, quum post mortem Theodosii Imp. vexationes et oppressiones pauperum multum auctae essent, et proceres divitiis augendis et latifundiis dilatandis maxime inhiarent. In avaritiae et invidiae vitia igitur s. Doctor, historiam Nabuthis explanans, vehementer invehit.

Ch. IV.) Sed hi tractatus cum libro de Isaac et anima cohaerent et eodem tempore confecti esse videntur. Ceillier (l. c. Ch. IV. Art. II.) omnes hos libros anno 387 adsignat, huic sententiae etiam Tillemont. (l. c. Art. LXXXVIII) suffragatur, ac Maurini Editores. Eo anno s. Augustinus baptizatus est. — Cl. Nirschl annis 385—389 hos libros tribuit.

[1]) Migne l. c. p. 697—728. — Idem liber inscribitur etiam: *Sermo s. Ambrosii de Jejunio;* in eo autem multa inveniuntur, quae ad ecclesiae Mediolanensis consuetudines pertinent. Caeterum notari meretur, vix ullum ex Ambrosianis Operibus in editionibus prioribus hoc Tractatu magis depravatum exstare, in editione PP. Maurinorum tamen primum magna cura ad Codd. Mss. bonae notae exactum castigatumque esse. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib.

[2]) Cf. Ceillier l. c. Baunard. L. VIII. Ch. I.

[3]) Migne l. c. p. 731—756.

S. Ambrosii Opera exegetica.

14) *Liber de Tobia*[1]) sermonibus aliquot constat quos perlecto in ecclesia Tobiae libro circa a. 377. habuit s. Ambrosius. Istic in pauca contractis, quae in sacra Tobiae historia de virtutibus sancti hujus viri memorantur, illud accuratius expendit atque amplificat, quod de pecunia ab eodem Tobia Gabelo consanguineo suo commodata et nonnisi obitu imminente repetita ibi legitur. Hinc arrepta ansa injustam usuram, quae frequentissima erat ea tempestate, vehementer exagitat, criminis gravitatem exponit, ac demum ostendit, quid homines vitare debeant, ut inhumanas foeneratorum manus tuto evadant.

15) *Libri quatuor de interpellatione Job et David,*[2]) qui ex sermonibus compositi esse videntur quos a. 383 s. Ambrosius habuit. Est autem liber primus de interpellatione Job, secundus de interpellatione David, tertius iterum de interpellatione Job, et quartus de interpellatione David. Duplex porro interpellatio seu expostulatio querulosa hic discutitur, uti pulchre initio libri tertii s. Doctor indicat. *Superior*, ait, *disputatio nobis fuit de interpellatione sanctorum, quod fragilis et imbecilla conditio est humana, quae nusquam sui habeat firmitatem, nisi in protectione coelesti: hodie nobis ea sumenda est, qua vulgus hominum, plerique etiam prudentium, valde moventur, cum vident injustos affluere rebus secundis, justos autem frequenter afflictari in hoc saeculo. . . . Utriusque* (*Job et David*) *disputationes in medium proferamus. Digni sunt enim qui nobis magisterium vivendi afferant; quandoquidem in adversis positi, plus Deo placere meruerunt.*

Ostendit porro s. Doctor, improborum bona non esse vera bona neque ipsis in praemium meritorum concessa, nec ullam

---

[1]) Migne l. c. p. 759—794. — Hujus libri meminit s. Augustin. lib. 1. contra Julian. n. 10. Doctrina s. Ambrosii de usuris ac de sacro Tobiae libro, nonnullis difficultatibus obnoxia, illustratur ac defenditur in Maurin. Admonit. in h. l. et Tillemont l. c. Art. XC.

[2]) Migne l. c. p. 797—850. — De tempore, ac de conditione librorum istorum olim valde depravata, in editione autem PP. Maurinorum meliorem in ordinem restituta, vid. Maurin. Admonit. in hos libros. Cf. Tillemont l. c. Art. XC.

eorum possessione felicitatem afferri, neque in praesens, neque multo minus in futurum, quo tempore justi demum regnaturi sint. Huic veritati fidem facit allatis verbis Job (L. III.) adhibitaque eleganti enarratione Psalmi LXXII. (L. II.) Scripsit s. Ambrosius hos libros post necem Gratiani Imperatoris (a. 383); eventus quoque subsequentes hanc necem respexit, ut Christianos divinamque providentiam adversus Gentilium objectiones defenderet.

16) *Apologia prophetae David ad Theodosium Augustum,*[1]) confecta pariter est ex sermonibus quos, uti videtur circa annum 384., Ambrosius habuit. — Occasionem et scopum s. Doctor L. I. c. 1° ipse indicat. *Apologiam,* ait, *prophetae David praesenti arripuimus stylo scribere, non quod ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis enituit, virtutibusque efloruit; sed quia plerique gestorum ejus lecta serie, non introspicientes vim Scripturarum vel occulta mysteriorum, mirantur, quomodo tantus propheta adulterii primo, deinde homicidii contagia non declinavit.* Haec igitur expendere suscipit, ut fidelium offensioni occurrat.

Fatetur itaque s. Doctor, Davidem duobus gravissimis peccatis maculatum fuisse; at vero contendit, eum accelerata confessione (c. 2), prolixa poenitentia et indefesso operum bonorum studio expiatum (c. 3—6), ut jam peccatoribus eum quem Deus absolverat accusare minime liceret. Caeterum haudquaquam insolitum videri, quod tentationis et concupiscentiae vi succubuerit homo fragilis, sed illud prorsus omnium admiratione dignum, quod rex potentissimus, qui legum severitate non tenebatur, statim atque de commisso peccato fuit admonitus, culpam agnoverit eamque sincero ac vehementi dolore deleverit. Addit his, memoratum lapsum eam ob rem divino permissum consilio, ut idem ille, ad posteritatis exemplum humiliatus exerceretur ac probaretur, neque non in hoc ipso mysterii figuram exstitisse, quae atrocitatem noxae minueret. Postremo non paucis praeclaris ac sanctis actionibus, quibus David delictum texerit suum, dinumeratis, affirmat, eum alio patrono haud indigere, quandoquidem in Psalmo

[1]) Migne l. c. p. 851—884. — Saepius hujus libri mentio fit apud s. Augustinum, ex. gr. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. n. 29. et lib. 1. contra Julian. n. 10. Hunc porro librum postrema cura perfectum et recognitum, qualis hodie exstat, Theodosio Imperatori postea misisse perhibetur Ambrosius, ut nempe illum ad expiandam Davidis instar caedem Thessalonicensium exstimularet. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. Tillemont l. c. Art. LXXXIX.

S. Ambrosii Opera exegetica.

quinquagesimo (c. 8. sqq.) suam ipse reliquit apologiam. Hoc s. Doctor probat brevi quidem, at eleganti omnium ejusdem Psalmi versuum enarratione, in qua sicut et in toto opere mysticas quasdam expositiones, observationes, exhortationesque morales ad populi apud quem verba faciebat institutionem spargit.

17) *Enarrationes in 12 diversos Psalmos* Davidis (scil. Ps. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. et 61.). Illos temporibus occasionibusque variis (circa a. 390—397.) partim concinnando, partim dictando, cum nimirum jam publice verba facere sibi per valetudinem non liceret, explanavit, quin tamen secutus sit ordinem Psalterii, quandoquidem ultimo loco elucubravit Psalmi 43. commentationem.

Explanationi Psalmi 1. praemissa est Praefatio pulcherrima, qua s. Basilium imitatus Psalmorum in genere laudes amplificat; in ipsa autem horum Psalmorum enarratione Origenem hinc inde secutus, praecipua quadam cura *moralem sensum* vestigat et prosequitur, quin tamen mysticum plane negligat; insuper aptas occasiones nactus varios haereticos impugnat, atque Trinitatis et Incarnationis mysteria singulari perspicuitate explanat et confirmat.[1])

18) *Expositio in Psalmum 118.*, exarata a s. Ambrosio circa a. 386—87., inter pulcherrima ejusdem monumenta jure memoratur.[2]) Constat 22 Sermonibus ad populum habitis, quorum singuli singulos versuum octonarios seu unam Alphabeti litteram secundum Hebraicorum elementorum divisionem complectuntur.

---

[1]) Migne, l. c. p. 922—1180. — Veteres, qui harum Enarrationum fecere mentionem, nusquam indicant, quot Psalmos s. Ambrosius exposuerit; attamen unum alterumve Psalmum ab ipso explanatum nominatim designant, vid. s. Hieronym. ep. 112. n. 20. Cassiodor Instit. divin. litter. c 4. s. Augustin. lib. 1. contra Julian. n. 10. Paulin. Vita Ambros. n. 42. Cf. Maurin. Admonit. duodecim hisce Psalmis praefixa; item Tillemont l. c. Art. XC. (p. 294—95).

[2]) Migne l. c. T. XV. p. 1197—1526. — Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. Tillemont l. c. Art. XC. (p. 295). Ceillier T. VII. Chap. IV. Art. II. §. VII. n. 5. et Art. VIII. n. 2.; cujus haec sunt verba: „S. Ambroise s'est comme surpassé lui-même dans l'explication du Ps. 118.; rien n'est plus beau, ni plus édifiant; c'est un trésor de vérités morales et de maximes de la vie chrétienne, traitées avec autant d'esprit et d'éloquence, que de zèle et de piété."

S. Ambrosii Opera exegetica.

Hujus autem Operis propositum eo spectat, ut Christiani et officiorum suorum informentur cognitione, et ad eadem morum honestate ac pietatis cultu implenda stimulentur. Id vero s. Pater melius effici omnino non posse arbitratus est, quam Psalmorum nobilissima enarratione; unde etiam exsculpendo illustrandoque sensui morali omnem ingenii vim adhibet:[1]) ac quidquid in eo fuit eloquentiae, quidquid ardoris, modestiae, humilitatis, scientiae, id omne in hac commentatione insigni cum splendore elucet. Intexit hisce omnibus longe maximam Cantici Canticorum partem, cujus hic mysteria potissimum de Ecclesia interpretatur, atque ex eodem pulcherrimas morum instituendorum eruit praeceptiones.[2])

19) *Expositio Evangelii secundum Lucam*, libris decem comprehensa, pariter constat ex Sermonibus, quibus Evangelium Lucae s. Ambrosius ferme per biennium (circa a. 386—387.) populo explanavit; eosque postea omnes in unum Opus redegit.[3])

Post eruditam in Evangelia generatim introductionem multus hic est in enarrando sensu litterali atque historico; hinc non raro desudat in conciliandis iis, quae apud Evangelistas apparent contraria, atque etiam interpretatur huc translata ex aliis Evangelistis. Praeterea frequenter ad sensum mysticum indagandum convertitur et egregia inde morum praecepta ducit. Denique principales temporis sui haereses, quibus Christi divinitas tunc impugnabatur, ut Manichaeos, Photinianos ac prae caeteris Arianos, strenue illic debellavit.

---

[1]) Exemplum omnino praeclarum, quam egregie sensum moralem eliciat, videsis in v. 94. (Serm. 12. n. 37. seqq.), in quo miro ingenii acumine omnia veri Christiani officia comprehensa esse docet.

[2]) Hic etiam indicari merentur expositiones aliquot Psalmorum aliis libris insertae ab ipso s. Ambrosio, ut Ps. 75. in libro de Nabuthe, Ps. 41. et 42. in lib. 2. de interpellat. Job et David, Ps. 72. in lib. 4. de interpellat. Job et David, Ps. 50 in apologia prophetae David, et Ps. 114. in Orat. de Obitu Theodosii.

[3]) Divisio isthaec in decem libros, sicuti et inscriptio ab ipso s. Ambrosio profecta esse videtur, cf. s. Augustin. de gratia Christi n. 48. 49. 50. 51. et saepius coll. s. Ambros. Exposit. in Luc. lib. 4 n. 1. — Hujus porro Operis mentio est apud Rufin. Apolog. 2. n. 23. s. Hieronym. ep. 121. quaest. 6. Cassiodor. Instit. divin. litter. c. 7. aliosque. Cf. Maurin. Admonit. in hanc Exposit, Tillemont. l. c. Art. XLIX. (p. 191—92), Pagi Crit. ad a. 376. n. 6.

§. 126.

S. Ambrosii Scripta. — *Moralia, Sermones, Epistolae, Hymni.*

S. Ambrosii Opera moralia.

III. Jam veniamus ad s. Ambrosii Opera quae speciali modo *moralia* appellari solent, etsi etiam ea quae *exegetica* dicuntur ad mores formandos magna ex parte dirigantur. — Ad Opera moralia igitur pertinent:

1) *Libri tres de officiis ministrorum*, scripti circa a. 391., sermonibus publice habitis maximam partem constant.[1]) Cum enim prius Clericos suos viva voce ad pietatem informare sedulo studuisset (lib. 2. n. 25.), postea ne datae praeceptiones ex eorum animis paulatim effluerent, easdem in Operis legitimi corpus redactas (lib. 1. n. 23.) ipsis quasi manu ac sinu semper ferendas tradere constituit (lib. 3. n. 138.). Toto hoc Opere disputat *de honesto* (seu decoro) *et utili*, ex quibus veluti fontibus officia derivari statuit, ita ut libro I. *decorum*, seu „quod deceat et honestum sit," libro II. *utile*, seu „quod ad vitae aeternae gratiam prosit," libro III. utrumque simul consideret.[2])

Officia distinguit s. Ambrosius *Libro primo* in *media* et *perfecta*, atque officium medium in praeceptorum, perfectum vero in

[1]) Migne P. L. T. XV. p. 1197—1526. — In tres libros ipse s. Ambrosius Opus suum distinxit, vid. de Offic. lib. 3. n. 138. Quod autem ex sermonibus publice habitis Opus istud coaluerit, patet ex. gr. ex lib. 1. n. 15. — Caeterum praeclara horum librorum tum apud veteres, tum apud recentiores fit mentio; vid. s. Augustin. ep. 82. n. 21. Cassiodor. Instit. divin. liter. c. 16. Dupin. T. II. p. 459. Tillemont. l. c. Art. XCII. (p. 297—98). — *S. Ambrosii libri tres de Officiis* frequenter seorsim prodiere. Ed. Gilbert Lipsiae 1839. 8°. Krabinger, Tübing. 1837. Vers. germ. Haas, Tübing. 1862, F. X. Schulte, Kempt. 1877. Cf. Bittner, de Ciceronianis et Ambrosianis officiorum libris. Brunsberg. 1848. Hasler, Verhältniss der heidnischen und christlichen Ethik. München. 1866. Reeb, Cicero und Ambrosius de officiis verglichen. Zweibrücken. 1877.

[2]) Cf. de *honesto* (seu decoro) et *utili*, ex quibus „officia ducuntur," lib. 1. n. 27. 28. 30. 82. 99. 105. lib. 2. n. 1. n. 22—23. n. 26—28. lib. 3. n. 8—9.

consiliorum observatione positum esse adstruit (c. 1—11). Exponit dein officia *quae nobis ab adolescentia spectanda sunt, ut cum aetate simul accrescant.* Huc praeter timorem Dei ac honorem parentibus et senioribus (c. 12—21.) exhibendum maxime refert *verecundiam* et *clementiam.* His pertractatis ad instar introductionis ad ipsum veluti officiorum fontem descendit, atque ex animi nostri constitutione derivat quid sit *decorum.* Duplex enim animo nostro inest facultas principalis, scilicet cognoscendi et appetendi; facultas cognoscendi (ratio) verum exquirere debet, facultas appetendi (seu appetitus) ad aliquid agendum impellit et excitat. *Decorum* igitur in eo consistit, ut animum subeat bonarum rerum cogitatio, appetitus autem rationi obtemperet, nec unquam rationem excludat rei alicujus affectus. Porro declarat, quomodo decorum illud conservandum sit, tam in sermone quam in actione vitae. Decori regulas igitur in recte agendo observandas exemplis Sanctorum veteris Testamenti illustrat atque ex iis quatuor virtutes cardinales. *prudentiam, justitiam, fortitudinem* et *temperantiam* tanquam decori normas officiique limites derivat.[1]) De his deinde singillatim disserit (c. 22—50.).

Libro secundo transitum a decoro ad utile praebet tractatio de vita beata; ex honesto enim vita beata trahit originem. Vita beata autem, quae ipsa etiam est vita aeterna, ex qua sola *utile* dimetiri licet, non consistit in ullis rebus externis, sed in scientia et innocentia, seu in cognitione divinitatis et fructu bonae operationis (c. 1—5.). — Jam consideraturus illud solum utile quod ad pietatem conducit, accurate primum demonstrat, honestum ac utile proprie unum idemque esse; tum vero quod nobis aliisque utile sit fusius exponit. Statuit igitur, utile esse unicuique, *si ab aliis diligatur, si fiduciam in ipso collocent,* denique *si bona existimatione gaudeat* et de hisce capitibus egregie disserit, vitam practicam semper maxime considerans (c. 6—24.).

Libro tertio de officiis *perfectis* disserit. Huc autem primo refert, semper et in omnibus *quaerendum esse, non quod singulis, sed quod multis aut omnibus utile sit;* id quod cum naturalibus humanisque, tum divinis legibus ex utroque Testamento petitis et ipsius Christi exemplo probat (c .1—4.) Dein vero attingens perfectionis fastigium, *nihil expetendum* esse statuit, *nisi quod honestum.* Cedat igitur oportet honestati non solum omnis generis utilitas, sed vita etiam et amicitia. Quod ut magis confirmet, innumeris fere exemplis ostendit, qua ratione Sancti veteris Testamenti

[1]) De hisce virtutibus quas s. Ambrosius vocat „principales" vid. de Offic. lib. 1. n. 105. 116. 126. 175. et n. 261. lib. 2. n. 49.; item de Cain et Abel lib. 2. n. 21. ubi hunc in modum loquitur: „Virtus enim genus est, quae dividitur in plurimas species; sed *principales* quatuor sunt, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia."

S. Ambrosii Opera moralia.

honestatem semper secuti sint, ac honestatem sectando utilitati simul consuluerint, et quemadmodum celebratissima quaeque Romanorum exempla longe superaverint (c. 5—22.).

S. Ambrosius in hisce libris Ciceronis de Officiis libros aperte sequendos sibi proposuit, eo tamen unice consilio, ut in illo qui prae caeteris honestatis exactae leges profitebatur, falsa praecepta ethices paganae fortius confutaret, simulque palam faceret, quanto intervallo christianae morum institutiones, quidquid unquam inter gentiles perfectius fuit antecederent. Unde et dispositio totius Operis atque ordo materiae in libris hisce desumptus est ex Ciceronis libris de officiis. — S. Doctor porro in hoc Opere non tam ex principiis antea stabilitis deducit officia, sed potius ab exemplis Sanctorum, praesertim veteris Testamenti, tanquam disciplinae speculo virtutes atque officia desumit. (Vid. lib. 1. n. 116. lib. 2. n. 51—60.)

Reliqua s. Ambrosii Opera moralia et ascetica fere ad commendationem et institutionem sanctae virginitatis ac continentiae pertinent, de qua frequenter et incredibili animi ardore verba fecit, multosque conscripsit libros.[1]) Huc vero spectant:

2) *Libri III de Virginibus ad Marcellinam* sororem suam,[2]) scripti a. 377 (lib. 2. n. 39.), majorem partem conditi ex sermonibus, qui rogante sorore, virgine Deo devota, suo aliarumque virginum commodo (lib. 2. n. 3.) in librorum formam sunt redacti.

Primus sermo die festo s. Agnetis a. 375 vel 376 habitus est, uti colligitur ex lib. 1. c. 2. n. 1. *Et bene procedit, ut quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum, et a praedicatione liber sumat exordium. Natalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctae Agnes, mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptae, mitentur innuptae.* Porro in *libro primo* de praestantia virginitatis s. Ambrosius disserit sanctamque Agnetem veluti exemplar celebrat. — *Libri secundi* initio finem suum hisce in-

---

[1]) Vid. lib. 1. de Virginibus n. 57—60. lib. de virginitate n. 11—13. n. 25—26. lib. de institutione Virginis n. 15.

[2]) Migne l. c. T. XVI. p. 187—232. Vers. germ. ed. F. X. Schulte, Kempten 1871. — Libros tres ipse s Ambrosius distinxit, vid. lib. 3. n. 1. et lib. de Viduis n. 1. Cf. de his libris s. Hieronym. ep. 22. n. 22. et ep. 48. n. 14. s. Augustin. de doctrina christiana lib. 4. n. 48. et 50. item Tillemont l. c. Art. XII. (p. 102—104.).

dicat: *Superiore libro quantum virginitatis munus sit, voluimus (non enim potuimus) explicare; ut per se coelestis gratia muneris invitet legentem. Secundo libro virginem institui decet, et tanquam competentium praeceptorum magisteriis erudiri. . . Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis.* Virginum igitur mores instituere aggressus, veluti exemplar proponit B. Mariam Virginem ac dein etiam s. Theclam virginem et martyrem, s. Pauli discipulam et ecclesiae Mediolanensis patronam. — Libro *tertio* virginibus *praecepta* tradit, secundum allocutionem ab Ambrosio relatam, quam Liberius Pontifex habuit, quum s. Marcellina Ambrosii soror sacrum velum ab eo susciperet. *Quoniam*, scribit s. Doctor, *quae habuimus superioribus duobus libris digessimus, tempus est, soror sancta, ea quae mecum conferre soles, beatae memoriae Liberii praecepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior.* Quae virginibus agenda, quae vitanda sint, exponit, atque in fine etiam quaestionem tractat a Marcellina propositam, de iis virginibus quae ut fidem et castitatem servarent, mortem sibi ipsae consciverunt. Quaestionem quidem haud ex principiis solvit, sed magnis encomiis illas virgines celebrat.[1])

3) *Liber de Viduis*,[2]) eodem tempore scriptus, ab ipso s. Ambrosio „tribus libris superioribus de Virginum laudibus“ proxime jungitur (n. 1.).

Ea libri hujus scribendi occasio fuit, quod vidua quaedam, cui filiae plures, partim nubiles, partim jam nuptui traditae supererant, occulto voluptatis amore ducta et solatio s. Ambrosii abusa, novas cogitaret nuptias. Hinc vir sanctus, ut simul et illud conjugium dissuaderet, et suspicionem datae approbationis abs se removeret, edito libro christianae viduitatis, quae matrimonio longe praestantior ad virginitatem proxime accedat, excellentiam praedicare atque ad eam colendam viduas hortari aggressus est. Hunc in finem non solum excellentiam istam testimonio s. Pauli probat (c. 1.), sed etiam veram viduam juxta eundem Apostolum describit (c. 2.), ac multa hujusmodi viduarum exempla ex Veteri

---

[1]) Quidquid ultra cap. 7. tanquam libri tertii pars extrema legitur in editionibus omnibus, quae praecessere Maurinam, pro singulari opusculo habendum est, quippe cum in omnibus Codd. Mss Tractatum distinctum constituat; vid. infra n. 4.

[2]) Migne l. c. p. 233 — 262. Vers. germ. ed. Schulte, Kempt. 1871. — Hujus libri meminit ipse s. Ambros. Exposit. Evang. Lucae lib. 2. n. 62. et lib. 4. n. 88. item s. Hieronymus ep. 48. n. 14. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. et Tillemont l. c. Art. XIV. (p. 108 – 9.)

S. Ambrosii Opera moralia.

et Novo Testamento affert (c. 3—9.); tandem viduas generatim, in specie vero illam, cujus occasione librum istum conscripserat, compellit ad perseverandum in vita coelibe, cujus sanctitatem, munera, propriasque virtutes, quanta valet verborum efficacia, describit, simul ostendens, rationes omnes, quas illa adhiberet, ut se in secundas nuptias conjiceret, leves atque infirmas esse (c. 8—15.).

4) *Liber de Virginitate,* qui ex variis sermonibus constat et circa a. 378. conscriptus est, haud incongrue utriusque Operis proxime praecedentis Appendix vocari potest, quamvis nihilominus vere per se subsistat.[1])

Post introductionem sat prolixam, in qua praecipue votum in proelio a Jephte nuncupatum et secutum postea filiae sacrificium enarratur atque expenditur (c. 1—2.), primum s. Ambrosius se defendit adversus eos, qui ipsum accusabant, quod virginitatem immoderatis efferret laudibus et virginis cujusdam nuptias illicitas prohibuerit. Quapropter iterum virginitatis praestantiam et commoda paucis exhibet, illudque vitae institutum „nec improbum esse, nec novum, nec inutile" argumentis evincit, singulas adversariorum objectiones futiles esse ostendens (c. 3—7.). Dehinc in sacrarum virginum gratiam exponens partem Cantici Canticorum satis fuse docet, quando, ubi et quomodo Christus inquiri debeat a virginibus, quid porro animam praestare oporteat, ut Christum quaerat, et ipsa quaeratur a Christo, nec non ut eundem intus excipiat atque retineat (c. 8—18). Tandem ex occasione lecti evangelii comparat institutiones ministrorum Jesu Christi, qui puellas et viduas ad continentiam hortantur, cum mirabili piscatione s. Petri, Dominumque rogat, ut piscationem sibi largam dignanter concedat (c. 18—20.).

5) *Liber de institutione virginis et s. Mariae virginitate perpetua,* scriptus circa a. 392., probabiliter destinatus fuerat ad Eusebium quemdam, civem Bononiensem, qui neptem suam Ambrosiam olim s. Praesuli enixe commendaverat. Hanc is, egregiis praeceptis imbutam optimeque educatam, cognito ejus desiderio ac parentum consensu,

[1]) Migne l. c. p. 265—302. Vers. germ. ed. Schulte, Kempt. 1871. — Librum hunc per se subsistere, ac proinde perperam in prioribus editionibus Opp. s. Ambrosii vel *librum quartum de Virginibus,* vel *librum secundum de Viduis* inscriptum esse, claris et ineluctabilibus argumentis evincunt editores Maurini in Admonit. libro huic praefixa. Eum librum s. Ambrosii genuinum esse foetum, omnino liquet ex n. 46. ipsiusmet libri.

solemni ritu inter virgines sacras recepit, atque orationem, quam ista occasione habuit, redactam in libri formam ad religiosum avum illius virginis transmisit.[1])

Praefationis loco s. Ambrosius breviter demonstrat, statum coelibem matrimonio longe praestare, simul monens, continentiae, ut Deo placeat, semper adjungi oportere silentium, orationem suique abnegationem (c. 1—2.). His praemissis exhibet sermonem, quem in virginis illius consecratione pronuntiavit. Ibi s. Ambrosius virginitatis praestantiam inde maxime probat, quia haec in utrumque sexum non solum liberationem a peccatis, sed etiam vitae sanctitatem Deo placentem contulerit. Nam culpa Evae, fons omnis peccati in genere humano, quae tamen longe minor erat, quam culpa Adami, abunde per Mariam deleta est, quae salva virginitate Deum nobis peperit, a quo omnis remissio culpae, sanctitas et justitia originem sumsit, et quae prima exemplo suo ad colendam virginitatem nos incitavit (c. 3—5.). Hanc perpetuam Dei Genitricis Mariae virginitatem non solum contra objectiones Bonosi e s. Scriptura petitas egregie defendit, verum solidis etiam argumentis luculenter demonstrat (c. 5—9.); quemadmodum etiam Christi divinitatem, ab eodem haeretico impugnatam, accurate probat (c. 10—12.). Dein vero ad imitandam Deiparae castimoniam virgines excitat; nec non, quaenam in ipsis virtutes requirantur, explicat (c. 13—17.), ac tandem Ambrosiae faustissima quaeque ardentissimo affectu comprecatur (n. 107—114.).

6) *Exhortatio virginitatis*, liber unus,[2]) scriptus circa a. 393., sermonem proprie refert, quem s. Ambrosius, fugiens Eugenium tyrannum, Florentiae in consecratione novae ecclesiae publice habuit. Ecclesiam istam Juliana quaedam vidua propriis exstruxerat sumtibus, quae et in matrimonio sanctissime vixerat, et post mariti obitum non solum se ipsam Deo sacraverat, verum etiam exemplo atque hortationibus suis id effecerat, ut filius unicus filiaeque omnes Deo se consecrarent.

---

[1]) Migne l. c. p. 305—334. — Vid. s. Ambrosii ep. 54. et 55. Cf. de occasione hujus lucubrationis Admonit. Maurin. eidem libro praemissa, ubi etiam de inscriptione illius pluribus agitur; item Tillemont l. c. Art. XIV. (p. 107—8.).

[2]) Migne l. c. p. 335—364. — Liber hic olim inscriptus erat: *Ad virgines exhortatio* seu *adhortatio*, in editione autem Romana: *De hortatione ad virginitatem Tractatus*. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. et Tillemont l. c. Art. LXXIII. (p. 249—50.).

S. Ambrosii Opera moralia.

Rogatus igitur s. Ambrosius eam ecclesiam dedicavit, et habita concione primo inventionem reliquiarum ss. Vitalis atque Agricolae Bononiae paulo ante a se factam describit, earumque pretium mirifice extollit (c. 1—2.). Tunc praeclaram sane orationem, proprio tamen stylo et eloquentia exornatam, refert, qua sancta illa vidua liberos suos ad amplexandam continentiae professionem, matrimonii incommodis coelibatusque utilitatibus invicem oppositis, exstimulaverat atque permoverat (c. 3—8.). Hanc piae matris exhortationem propria etiam admonitione prosecutus s. Ambrosius adjicit, qua ratione virgines istae, aliaeque omnes vitam instituere, et quibus exercitiis vacare debeant, ut professione sua digne ambulent, ac egregia praecepta illic tradita inspersis exemplis illustrat (c. 9—14.). Tandem Julianae paratam a Deo uberrimam pietatis mercedem pollicetur, Deoque supplicat, ut in ea, quam consecrabat, ecclesia, semper praesens atque propitius fidelium preces ac Dominici corporis sacrificium accipiat, sed imprimis hujusce totius familiae integram admittat oblationem (c. 14.) [1])

S. Ambrosii Sermones.

IV. S. Ambrosii Sermones. — *Sermones* plurimos habuit s. Ambrosius, quorum permulti ab ipsomet varios in libros congesti sunt. Pauci alii servata primigenia orationis forma aetatem tulerunt; huc praeter libros duos de excessu Satyri fratris jam memoratos pertinent Sermones duo a. 386. habiti medias inter persecutionum procellas ab Arianis excitatas, scilicet:

1) *Sermo contra Auxentium de Basilicis tradendis*[2]) de cujus occasione vid. supra, in quo lugubrem rerum ecclasiasticarum conditionem vivis coloribus depingit, haereticorum Arianorum, ac imprimis Auxentii malitiam detestandam ob oculos ponit, summam quoque animi sui fortitudinem prodit, quae non minus admiratione, quam imitatione digna est, ac plebem sibi commissam, ut Dei praesidium spe firma praestoletur, excitat.

---

[1]) *Librum de lapsu virginis consecratae*, qui argumenti ratione habita pariter huc referendus esset, vid. infra inter Opp. dubia s. Ambrosii; *liber* alius *ad virginem devotam* (Opp. T. II. Append. col. 365—68.) spuriis merito adjudicatur.

[2]) Oratio haec in edit. Maurin. post s. Ambrosii epist. 21. adjuncta reperitur. — Migne l. c. T. XVI. p. 1007—1018.

S. Ambrosii Sermones.

2) *Sermo in translatione reliquiarum ss. Gervasii et Protasii*[1]) habitus est a s. Ambrosio, cum corpora istorum fratrum Martyrum, divino monitu ipsi revelata, fuissent exhumata. In eo gloriam Sanctorum fusis laudibus celebrat, miracula a Deo per istas reliquias patrata narrat atque defendit, plebisque animos ad spem in sanctorum Martyrum praesidio collocandam erigit.

Duas etiam Orationes funebres Imperatoribus vita functis habuit, in quibus omnes ingenii vires ac eloquentiae flores adhibuit, ut consolandi munere quam optime defungeretur. Sunt autem istae duae:

3) *Consolatio de Obitu Valentiniani*[2]) junioris, qui anno 392. annos tantum viginti natus, necdum baptismi sacramento regeneratus, impia fraude e vivis sublatus fuerat. In solemni ipsius funere Mediolani s. Ambrosius egregiam habuit Orationem, qua luctum suum, totius Italiae et Ecclesiae de morte tanti Imperatoris fuse describit.

Vitam Valentiniani integram a prima juventute, ejusque praeclaras virtutes, pietatem et fidem, ardens baptismi suscipiendi votum, amorem erga populos sibi subditos et dilectionem amicorum sororumque summis laudibus extollit (n. 1—39.). Tunc vero ad ipsas sorores oratione conversa, eas docere aggreditur, quis in lugenda fratris morte tenendus sit modus; et licet ipsum baptismi sacramentum non susceperit, ejus tamen votum ipsi certe profuisse contendit (n. 40—53,). Ab ea consolatione ad preces venit, quas ut pro Valentiniano et Gratiano fundant, auditores hortatur, easque et ipse omni tempore Deo se oblaturum fore promittit; ac postquam amborum dotes majori splendore illustraturus, aliquot Cantici Canticorum locos iisdem applicavit, sermoni coronidem imponit (n. 54—80.).

---

[1]) Sermo hic seu potius, si rem accuratius inspiciamus, duplex Sermo, quorum alter in reliquiarum istarum inventione, alter sequenti die in earundem translatione habitus est, insertus reperitur in s. Ambrosii ep. 22. n. 3—13. et n. 15—23. — Migne l. c. p. 1019—1026.

[2]) Migne l. c. p. 1357—1384. Vers. germ ed. Schulte, Kempt. 1877. — In antiquis editionibus hujus opellae inscriptio erat: *Oratio funebris de Obitu Valentiniani Imperatoris;* in Romana autem editione: *In Obitu Valentiniani junioris Augusti Concio funebris.*

S. Ambrosii Sermones.

4) *Oratio de Obitu Theodosii*[1]) Magni, qui a. 395 Mediolani vita decessit. Elapsis ab ista morte diebus quadraginta, Honorius Caesar, priusquam corpus defuncti Constantinopolim ad sepulcra decessorum Imperatorum transferretur, illud funebri pompa in ecclesia Mediolanensi curavit honorari.

Itaque praesenti funere ac Honorio Imperatore ipso audiente s. Ambrosius nobili simul et christiana oratione Theodosii virtutes laudavit, ut clementiam, justitiam, caritatem et humilitatem, quarum merito jam beatudinis sedem et Sanctorum consortium receperit (n. 1—40.). Hos inter etiam Constantinus laudatur, primus ex Imperatoribus Christianus; sub quo a s. Helena, ipsius matre, lignum s. crucis inventum est, de cujus gloria s. Episcopus paulo fusius agit, monens, omnes abhinc Imperatores, Juliano excepto, suave Christi jugum portasse (n. 40—53.). Hanc laudationem, cui etiam preces pro anima defuncti Imperatoris intermiscet (n. 36—37.), pia consolatione atque adhortatione Honorii praesentis eleganter absolvit (n. 54—56.).[2])

S. Ambrosii Epistolae.

V. S. Ambrosii Epistolae. Maxime *Epistolae* s. Ambrosii imaginem virtutum ejus ad vivum expressam nobis sistunt. In iis quippe elucet pastoralis ejus sollicitudo, qua non solum dioecesin Mediolanensem, sed et alias multas licet dissitas complectebatur; refulget in iis sanae fidei zelus, et doctrinae ubertas, prudentia et caritas, sanctitas et animus supra terrenas omnes cupiditates animique commotiones elevatus; quibus dotibus adducti eum tanquam

---

[1]) Migne l. c. p. 1385—1406. Vers. germ. ed. Schulte, Kempt. 1877. — Orationem hanc Centuriatores aliique nonnulli in dubium revocare conati sunt. Verum nec minimam dubii sui rationem reddunt; et contra ipsos intexta historicorum eventuum series, stylus Operis, ac Scripturae interpretandae et argumento accommodandae ratio invicte pugnant. Cf. Ceillier l. c. Art. IV. n. 4.

[2]) Praeter Sermones s. Ambrosii hucusque recensitos, de quorum authentia nullum est dubium, habentur etiam alii *Sermones tres s. Ambrosii (De Perfecto; Adversus eos, qui dicunt possessionem non distrahendam, sed fructibus misericordiam faciendam; De caritate ex lectione s. Pauli Apostoli contra malos, qui bonis invident)* ex antiquissimo Codice Sessoriano editi Romae 1834 in 4°. Iidem excusi leguntur. in Marzohl und Schneller's Liturgie. II. Theil. (Luzern 1835.) S. XLIII—LX.

commune saeculi sui oraculum diaconi, presbyteri ac Episcopi consulebant, ejusque fidei atque solertiae non solum homines privati, verum etiam principes gravissima quaeque negotia committebant. Epistolae s. Ambrosii ab ipsomet in unum corpus collectae sunt; hodieque exstant 91 genuinae.[1]) Hae autem epistolae commode distinguuntur in *historicas*, *dogmaticas*, *morales*, *biblicas*, et *familiares*. S. Ambrosii Epistolae.

1) *Epistolae historicae*, plerumque ad Imperatores aut ad sororem suam Marcellinam datae, insigniores illius aetatis eventus, tam ad religionem, quam ad rempublicam spectantes describunt, gravesque exhortationes continent, quibus Imperii Romani principes officii sui circa fidem moresque commonentur; praecipuas quoque res a se ipso gestas accurate enarrat, ac nonnunquam defendit; denique etiam decreta Conciliorum, quibus ad res ecclesiasticas componendas ipse vel praefuit vel interfuit, omnium Episcoporum congregatorum nomine cum aliis Episcopis communicat.[2])

2) *Epistolae dogmaticae*, numero pauciores, at pondere graves, Gentiles atque haereticos plerumque feriunt. Non solum quippe brevem fidei professionem hic edit (ep. 48. n. 4—6.), sed et fortissime idololatriam impugnat, vanasque rationes, quibus Ethnici impios suos errores defendere conabantur, egregie confutat, religionem vero christianam pluribus titulis commendat (ep. 18.). Veram quoque Christi incarnationem contra Apollinaristas vindicat (ep. 46.), de *natura* et dignitate *animae humanae* disputat (ep. 34.), ac hominis *justificationem* ex fide, quae per caritatem operatur, contingere docet (ep. 78.). Denique contra Jovinianum ejusque asseclas *statum virginitatis statui conjugali anteponendum esse* probat, eosque refellit negantes, s. Mariam, Christi Dei-hominis matrem, semper virginem permansisse; nec non viduitatem et abstinentiam multis extollit laudibus (ep. 42.).[3])

---

[1]) Migne l. c. T. XVI. p. 875—1286. — Cf. s. Ambros. ep. 48. n. 7. Epistolae autem s. Ambrosii omnes a Maurinis Editoribus in duas distribuuntur classes; in classem I. referuntur illae, quarum aetatis notam aliquam licuit deprehendere, scilicet epist. 1—63.; classis II. eas complectitur, in quibus nulla certa vel sat probabilis nota aetatis reperiri potuit, scil. epist. 64—91. — Caeterum quanti fecerit epistolarum commercia, ipse aperte declarat s. Ambrosius ep. 47. n. 4—7. ep. 48. n. 7. ep. 66. n. 1. ep. 36. n. 1. ep. 7. n. 1.

[2]) S. Ambrosii ep. 1. ep. 9—14. ep. 17. 18. 20. 21. 22. 24. 40. 41. 42. 51. 53. 56. 57. 58. 59. 61. 62.

[3]) Hanc epistolam indicat s. Augustinus de nupt. et concupisc. lib. 2. n. 15. Idem argumentum prosequitur Ambrosius in epist. 63.,

S. Ambrosii Epistolae.

3) *Epistolae morales* etiam pastorales et canonicas complectuntur. In his ad maturanda baptismi sacramenta pie hortatur (ep. 79.); tum veram hominis christiani *libertatem* describit verasque divitias in cognitione sapientiae positas esse ostendit (ep. 37. et 38.); nec non variis explicatis s. Scripturae locis viam perfectionis christianae monstrat (ep. 27—33.). Clericos ad labores strenue ferendos ac patientiam exercendam erigit (ep. 81.); quid in novi Episcopi electione attendendum sit, sedulo monet (ep. 63.), ipsosque Episcopos recens ad hanc dignitatem evectos paterno affectu officiis tanti muneris instruit (ep. 2. 16. 19.);[1]) nec non quo die Pascha celebrandum sit, eosdem accurate docet (ep. 23.). Idem nuptias inter cognatos gradu nimis propinquo conjunctos prohibet (ep. 60. et 84.); in judiciis ecclesiasticis Episcoporum legitimam formam observandam esse districte praecipit, ac virginis iniquo judicio laesae causam tuetur (ep. 5. et 6.).

4) *Epistolae biblicae* solutiones fere continent, quibus difficultatibus aut quaestionibus sibi propositis satisfacere conabatur; ex hoc enim epistolarum genere et plurimum jucunditatis sibi provenire, nec minus utilitatis in alios redundare persuasum habuit (ep. 47.) Multos igitur locos, plerumque ex libris Mosaicis, ex prophetis, vel ex epistolis s. Pauli ea ratione interpretatus est.

5) Ultimum locum occupant *Epistolae familiares*,[2]) quae sive ad Episcopos, sive ad alios quosdam amicos suos scriptae tam prolixitate, quam gravitate reliquis cedunt; eae tamen non modo Sancti hujus urbanitatem et in honestis jocis amoenitatem, verum etiam illius pietatem et benignitatem manifestam redduat.[3])

VI. S. Ambrosius etiam *Hymnos* elucubravit, quorum argumentum praecipue in explicando divinae Trinitatis mysterio versabatur, ac quorum usus ex ecclesia Mediolanensi in omnes Occidentis ecclesias se diffudit. Hymni

---

quae data est ad ecclesiam Vercellensem, cujus pars haud exigua, scil. n. 7—40. duos monachos apostatas, Joviniani sectatores, exagitat.

[1]) Epistola 19. directa est ad s. Vigilium, Episcopum Tridentinum.

[2]) Sunt autem ep. 3 4. 48. 54. 55. 59. 85—91.

[3]) Ex genuinis s. Ambrosii epistolis rejectae atque inter *spurias* relatae sunt: *Epist. ad s. virginem Demetriadem; epist. ad virgines sacras*, quae continet historiam martyrii s. Agnetis (etiam a Baronio explosa in Annal. ad a. 324. n. 107); *epist. ad Florianum* (seu *ad Flavianum*); *epist. de inventione SS. Gervasii et Protasii*, et alia *de inventione SS. Vitalis et Agricolae*. Cf. Admonit. Maurin. T. II. Append. p. 477—78. Tillemont l. c. Art. XCIV. (p. 303.). Ceillier l. c. Art. V. n. 8. (p. 570—71.).

complures, qui in Breviariis hodiernis habentur, quique inde a priscis temporibus in Ecclesia cantantur, s. Ambrosium auctorem habere videntur. S. Ambrosii Hymni.

Magna est inter eruditos dissensio de numero hymnorum qui s. Ambrosium auctorem habent. Ex multis (94) qui circumferuntur Card. Tommasius ultra quinquaginta revera s. Ambrosio ex fide antiquorum Mss. Biblioth. Vaticanae tribuendos esse censuit;[1]) plerique cum Maurinis duodecim hymnos certo s. Ambrosii esse tenent;[2]) Biraghi nostris diebus octodecim hymnos s. Doctori vindicavit, ejusque sententiae auctores graves suffragati sunt.[3]) Alii tamen uti Ebert et Kayser nonnisi quatuor hymnos certo s. Ambrosio adscribi posse judicant.[4]) — Quod spectat ad *Hymnum Ambrosianum* qui dicitur (Te Deum laudamus), eum post baptizatum ab Ambrosio s. Augustinum ab utroque alternis vicibus decantatum sicque compositum esse, pietate quadam non sat castigata olim ferebatur. Dein eruditi plerique eum penitus s. Ambrosio abjudicarunt; modo vero ea praevalere videtur sententia, demonstrari quidem non posse hymnum hunc a s. Ambrosio esse compositum, sed etiam contrarium non posse probari.[5]) Antiquissimus sane est, quum ejus jam in Regula s. Benedicti mentio fiat.

---

[1]) Opera omnia ed. Vezzosi, Romae 1747. II. — Ei assentit Schlosser (Lieber), Die Kirche in ihren Liedern durch alle Jahrhunderte (2. Aufl.) Freiburg 1863, qui vers. germ. ed. 42. s. Ambrosii hymnos l. c. I. 5—80.

[2]) V. Migne P. L. T. XVI. p. 1409—1412. — Sunt illi hymni: „Aeterne rerum conditor," „Deus creator omnium." — „Jam surgit hora tertia;" — „Veni redemptor gentium;" — „Illuminans Altissimus;" — „Orabo mente Dominum;" — „Splendor paternae gloriae;" — „Aeterna Christi munera;" — „Somno refectis artubus;" — „Consors paternae gloriae;" — „O lux beata Trinitas;" — „Fit porta Christi pervia." — Cf. Maurin. Admonit in hymnos s. Ambrosii T. II. p. 1214—18. Tillemont l. c. Art. XCIV. cum Nota 65. Ceillier l. c. Ch. IV. Art. IV. n. V. Nirschl, Patrol. II. 381. — Alii Hymni (82) s. Ambrosio tributi ap. Migne l. c. T. XVII. p. 1173—1222.

[3]) Biraghi, Inni sinceri e carmi di S. Ambrogio Milano 1862. Ei assentiunt Bähr, Gesch. d röm. Litter. 2. Aufl. S 61.; Baunard, Hist. de S. Ambroise L. V. Ch. II. (2. ed p. 316.)

[4]) Ebert, Gesch. d. christl. lat. Litterat. B I. Leipz. 1874. — Kayser, Beiträge zur Gesch. u. Erklärung d. Kirchenhymnen I. 130. (2 Bände. Paderborn, 1881. 1886.).

[5]) Cf. S. Bäumer Art. Hymnen Freib. K. L. ed. 2.

§. 127.

S. Ambrosii Opera dubia et spuria.

S. Ambrosii Opera dubia.

Inter *Opera dubia* hujus s. Patris referri merentur:

1) *Libri sex de Sacramentis*[1]) (vel juxta alios *libri septem*) totidem conciones exhibent, quarum singulae singulis diebus hebdomadae Paschalis habitae fuere (lib. 4. n. 29.). Hisce orationibus Episcopus neophytos sacramentorum, quae pridie Paschatis acceperant, id est baptismi, confirmationis et eucharistiae doctrina informat. Auctor hujus Operis (forte Maximus Taur.) ita imitatur librum s. Ambrosii de Mysteriis, ut praeter paucas caeremonias, quas aut fusius ab Ambrosio enodatas contrahit, aut ab eo omissas pertractat, praeter expositionem Canonis Missae (lib. 4. c. 5—6.) et explicationem orationis Dominicae (lib. 5. c. 4.) ac praeter disputationem de oratione generatim (lib. 6. c. 3—5.), fere tantum ejusdem libri ratiocinia sententiasque amplificet.

2) *Apologia altera prophetae David.*[2]) Hujus libri idem est atque prioris apologiae (vid. §. 125 n. 16.) ar-

---

[1]) Migne l. c. T. XVI. p. 417—462. De auctore hujus Operis gravissima est quaestio, quam PP. Maurini solita eruditione et summo animi candore fuse admodum expendunt, donec ponderatis omnibus argumentis utriusque partis Opus istud s. Ambrosio abjudicant. Attamen lucubrationem hanc, quoniam ex Ambrosii sententiis et plerumque etiam verbis condita fuerit, ea saltem ratione indignam non esse judicant, quae Ambrosianis accenseatur. Caeterum auctor hujus Operis ex pluribus indiciis ad tempus s. Augustini aetate haud multo posterius pertinere videtur. — Librum quidem hujus tituli s. Ambrosius scripsit, sed plane dissimilis argumenti, ut constat ex s. Augustino Retract. lib 2. c. 4. et lib. 2. contra Julian. n. 14. 15. 19. Cf. de his omnibus Maurin. Admonit. in hos libros T. II. p. 341—48 et Admonit. in Sermones s. Ambrosio perperam adscriptos T. II. Append. p. 369—70. Tillemont. l. c. Art. XCII. (p. 299) cum Nota 65. (p. 765—66). Ceillier l. c. Ch. IV. Art. II. §. XIV. Card. Bona Rerum liturg. lib. 1. c. 7. n. 4.

[2]) Migne l. c. T. XIV. p. 887—917. — Praeter quamdam styli diversitatem alia etiam argumenta suppetunt, quibus merito in dubium

gumentum; in eo quippe ostenditur, non esse, cur quis- S. Ambrosii Opera dubia.
piam gemino Davidis crimine, adulterio et homicidio, offendatur. Auctor in prima Operis parte (c. 3.) disputans contra Gentiles monet, Davidis lapsum humanae conditioni, omnibus communi, tribuendum esse, poenitentiam vero et emendationem virtuti ipsius propriae; in altera parte adversus Judaeos (c. 4—5.) demonstrat, ideo lapsum esse s. David, ne amplius Judaei vaticinia de Jesu Christo Dei Filio prolata in eum detorquere praesumerent; in tertia vero parte (c. 6—12.) mysteria et figuras Christianis exponit, quae in Davidis adulterio latitant.

3) *Liber de lapsu Virginis consecratae*[1]) continet acrem et vehementem objurgationem virginis christianae, quae professionem virginitatis, solemni voto confirmatam, forni-

---

vocatur, utrum hoc Opus vere sit Ambrosii, nec ne. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. T. I. p, 703—6. Tillemont. l. c. Art. LXXXIX. (p. 292) cum Nota 59. (p. 763—64.). Ceillier l. c. Art. II. §. VI. n. 9—11. C. Bellarmin. de Scriptor. Eccles. in s. Ambrosio (ed. cit. p. 94.) Recentes tamen Editt. Migne et Ballerini hoc opus inter Scripta genuina collocarunt.

[1]) Migne l. c. T. XVI. p. 367—381. — Idem liber etiam inscribitur: *Liber ad virginem corruptam, Tractatus ad Virginem lapsam, Epistola ad Susannam, Objurgatio ad Susannam lapsam.* Instituta prolixa disceptatione de vero auctore hujus libri, qui non solum s. Ambrosio adscribitur, verum etiam s. Augustino (ab Erasmo Roterod.) s. Hieronymo (a Synodo Duziac.), s. Joanni Chrysostomo (ab uno Cod. Ms. recentioris aetatis, vel s. Niceae (ex Gennadii Catalogo de Script. eccles. c. 22.) tribuitur, Maurinis editoribus Opp. s. Ambrosii nihil magis rationi consonum videtur, quam ut Tractatus iste auctoritate Mss. omnium, recentiori uno excepto, s. Ambrosio vindicetur, cum et Ambrosio dignum esse et multiplici veteris Ecclesiae disciplina refertum, inter omnes constet. Sed obstat differentia styli, quandoquidem negari nequit, auctorem hujus libri, etiam ubi orationem adhibet maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisis uti, quam s. Ambrosium; accedit sententia quaedam Novatianis maxime favens, in hoc libro (n. 38.) obvia. Cf. Maurin. Admonit. in h. lib. (T. II. p. 303—4) D. Vallarsi Admonit. in Objurgat. ad Susannam lapsam in Opp. s. Hieronymi T. XI. P. II. p. 245—48. item Editoris Bassan. Praefat. in Opp. s. Augustini T. I. p. XI—XII. C. Bellarmin. de Scriptor. Eccles ed. cit. p 93. Dupin. T. II. p. 468—70. Tillemont l. c. Art. XCIII. (p. 300—302.) cum Nota 63. (p. 766.).

S. Ambrosii Opera dubia.

cationis crimine violaverat. Hic postquam sceleris admissi magnitudinem tum adjunctorum enumeratione, tum depulsione excusationum oculis subjecit, docet remedium unicum ei superesse aequalem peccato poenitentiam, ad quam non solum ipsam, verum etiam ejus corruptorem exstimulat ac instituit.

4) *Commentarius in Epistolas s. Pauli*,[1]) Opus valde utile quo Apostoli epistolae breviter sed egregie explicantur; ejus auctor vulgo *Ambrosiaster* dicitur. Opus se exhibet scriptum sub pontificatu s. Damasi (a. 366—384), et medio aevo s. Ambrosio tribuebatur. Sed Erasmus varias ob rationes genuinum illud esse negavit; Maurini quoque ob styli diversitatem et indicia interna s. Ambrosio illud abjudicarunt,[2]) eosque plerique secuti sunt. Ab aliis s. Hilario Pictaviensi, ab aliis alii cuidam Hilario scriptori saeculi IV. vel Faustino Luciferiano hic Commentarius adscriptus fuit.[3]) Modo vero P. A. Ballerini in recenti Operum s. Ambrosii Editioni, illud denuo s. Ambrosio vindicare argumentis non spernendis conatus est.[4])

S. Ambrosio nostro tempore etiam attributum est a viro erudito Rudorff[5]) opusculum juridico-theologicum cui titulus *Lex*

---

[1]) Migne l. c. T. XVII. p. 39. sqq.

[2]) V. Admonit. praev. in hoc Opus, Opp. s Ambrosii T. II. Append. p. 25. sqq.; cf. J. Garner, in Opp. Marii Mercat. P. I. Dissert. I. c. 9.

[3]) V. Langen, De Commentariorum in epp. Paulinas, qui Ambrosii, et quaestionum biblic. quae Augustini nomine feruntur scriptore. Bonnae 1880.

[4]) V. Praefatio ad commentaria in epist. s. Pauli Apost. in Edit. Balleriana Opp. s. Ambrosii T. III. 349—372 et Append. p. 971—974 — Praecipua difficultas ea est, quod s. Augustinus (Contra duas epist. Pelag. IV. 4.) ut *s. Hilarii* verba textum citat, qui in hoc Opere habetur, adeoque Hilario illud videtur adscribere. Sed eam apte diluit Ballerini advertens, s. Hilarium Commentarios scripsisse in s. Pauli epistolas et ex illis tum Augustinum, tum Ambrosium in Opere de quo agitur illum textum deprompsise. — Cfr. Nirschl. Patrol. II. §. 169. p. 382. sqq. ubi argumenta pro genuinitate hujus Operis concise referuntur.

[5]) Rudorff, Ueber den Ursprung und die Bestimmung der Lex

Dei sive Mosaicarum et Romanarum legum collatio.[1]) Temporibus s. Ambrosii opusculum hoc adscribendum esse variis ex indiciis colligitur, ipsum vero ejus esse auctorem Rudorff praecipue argumentis internis evincere conatus est. Sed desunt testimonia externa scriptorum vel codicum; et plura obstare videntur, quominus s. Ambrosio hic libellus adscribatur. Auctor enim passim liberius ac minus accurate, variis additis vel mutatis s. Scripturae textus (leges Mosaicas), in medium affert,[2]) illudque praeceptum: *Falsum testimonium non dabis adversus proximum tuum*, arte quadam ita accipit, ac si nomine proximi designetur propinquus sanguine atque hic agatur de familiari testimonio non admittendo.[3]) Sic legem illam Mosaicam confert cum legibus Romanis quibus testimonium contra familiares prohibetur. Haec vero aliena esse videntur ab indole et charactere s. Doctoris Ambrosii, ita ut existimemus ei hoc opusculum adscribi non posse. S. Ambrosii Opera dubia.

Medium quasi locum inter genuina et notha s. Ambrosii Opera obtinet *Commentarius in Cantica Canticorum*, e scriptis s. Ambrosii a Guilielmo quondam abbate s. Theodorici saec. XI. collectus. Constat quidem, s. Ambrosium nunquam ex proposito scripsisse in Canticum Canticorum. Sed cum eo libro tantopere ipsum delectatum esse appareret, ut ejusdem illustrandi nullam in variis suis scriptis praetermiserit occasionem, hoc in mentem induxit abbati Guilielmo, viro Operum s. Ambrosii studiosissimo, ut illic sparsa atque disjecta colligens ex eisdem inter se in centonis morem adsutis unum Commentarii Opus conficeret.[4])

Simili ratione composita est *Expositio fidei secundum symbolum Nicaenum*, quae tota ex locis quibusdam libri I. de Fide consarcinata est.[5])

Dei oder Mosaicarum et Romanarum legum Collatio. Abhandl. d. philos.-histor. Kl. d. Berlin. Akademie der Wissensch. 1868. p. 265—296

[1]) V. Ph. Ed. Huschke, Jurisprudentiae Antejustinianae quae supersunt, ed. 2. p. 547—609. Lipsiae 1867. — Cl. Nirschl Opusculum citatum dubiis s. Ambrosii Operibus accenset, Patrol. II. p. 382.

[2]) Cf. Tit. VI. Cap. VII. l. c. p. 572. et Tit. XV. Cap. 1. l. c. p. 595.

[3]) Cf. Tit. IX. Cap. I. l. c. p. 578.

[4]) Migne l. c. T. XV. p. 1851—1962. Cf. Maurin. Admonit. in hunc Commentar. in Opp. s. Ambrosii T. I. p. 1545—46. Dupin. T. II. p. 450. Exhibet editio Maurina ac Migne etiam locos s. Ambrosii, unde Commentarius iste excerptus fuit, accurate collectos et notatos.

[5]) De hoc libello. qui in edit Maurin. praetermissus est, habetur autem in edit. Gillotii Paris. 1603. et aliis editionibus, vid. Maurin. Praefat. T. II. p. III.

S. Ambrosii Opera deperdita et spuria.

Nota 1. Alia plura Opera s. Ambrosius conscripsit, quae temporum injuria exiderunt, ut *Commentarium in Isaiam prophetam* (s. Ambros. Exposit. in Luc. lib. 2. n. 56. S. Augustin. de gratia Christi lib. 1. n. 54. De nupt. et concupisc. lic. 1. n. 40.), *Sermones in librum Proverbiorum* (s. Ambros. de Myster. n. 1.), *Homilias in librum Sapientiae, Commentarios in Prophetas* et *librum de Sacramentis* vel *de philosophia adversus Platonem* (s. Augustin. Retract. lib. 2. c. 4. item ep. 31. n. 8.), porro *institutionis libellum ad Pansophium*, puerum e mortuis suscitatum (Paulin. Vita s Ambrosii n. 28.), et *epistolam praeclaram in modum Catechismi* ad reginam Fritigil (ibid. n. 36.). De his aliisque nonnullis vid. Maurin. Praefat. Opp. s. Ambrosii T. II. p. V—VII. Tillemont l. c. Art. XCII. (p. 298.) et Art. XCV. (p. 304—6.). Ceillier l. c. Art. VI. (p. 574—77.).

Nota 2. *Ordo Ambrosianus*, exhibens formam sacrificii ecclesiae Mediolanensi inde ab antiquissimo tempore ad hunc usque diem propriam atque solemnem, controversiae subjacet, cum determinari nequeat, quid vel quantum s. Ambrosius in ista liturgia, certe ante ipsius aetatem quoad rei substantiam Mediolani jam usitata, sive addiderit, sive immutarit. Cf. Card. Bona Rerum liturg. lib. 1. c. 10. Mabillon Museum Italicum Paris. 1724. T. I. P. II. p. 99—109. Tillemont. l. c. Art. XCV. (p. 306). G. Cave Vol. I. p. 264—65. J. A. Fabricii Biblioth. med. et infimae latinit. T. I. p. 85—86. Kraus, Real. Encycl. d. chr. Alterth. Art. Liturgie, II. 332. (Schill.) — Continetur Ordo iste Ambrosianus in *Missali Ambrosiano*, quod postremo impressum est Mediolani 1831.

Nota 3. Spuriis potius, quam dubiis Ambrosii Operibus adnumerandum videtur Opus, quod vulgo inscribitur: *Egesippi Historiae de excidio urbis Hierosolymitanae libri quinque:* asserunt quippe nonnulli, innixi potissimum auctoritate Cassiodorii (Instit. divin. litter. c. 17.), libros illos, quos ex Josephi Flavii libris de bello Judaico liberiore interpretatione conversos esse apparet, a s. Ambrosio adhuc juniore translatos esse; vid. Galland. Biblioth. T. VII. Prolegom. c. 20. J. A. Fabricii Biblioth. latina T. II. p. 315—16. Quibus omnino adversantur PP. Maurini in Praefat. Opp. s. Ambrosii T. II. p. IV—V. et Ceillier l. c. Art. V. n. 20. (p. 573—74.). Cf. G. Cave s. v. Hegesippus Vol. I. p. 265. C. Oudin T. II. col. 1026—31. et 1058—60. Optima istius Historiae editio habetur in Galland. Biblioth. T. VII. p. 653—771. et in Opp. s. Ambrosii ed. Migne P. L. T. XV. p. 1961—2224.

Nota 4. *S. Ambrosii explanatio Symboli ad initiandos*, quam primus in lucem extulit A. Majus in Collect. Nova Veterum Script. T. VII. p. 156—58, nec stylo, nec argumento huic tanto Doctori satis convenire videtur. — *Ejusdem Epistola de Fide ad beatum Hieronymum presbyterum* (ibid. p. 159—61.) est quidem luculenta fidei catholicae de divinitate Filii ejusque incarnatione expositio, quam tamen vel inde Ambrosio nostro abjudicandam censeo, quod ipse Episcopus Hieronymum presbyterum „Patris“ nomine com-

pellat contra usum totius Ecclesiae antiquae. Utrumque opus- S. Ambrosii culum recusum est in Opp. s. Ambrosii ed. Migne P. L. T. XVII. Opera spu- p. 1155—62. ria.

Nota 5. Praeterea circumferuntur alia haud pauca Opera, quae falso nomen s. Ambrosii in fronte gerunt; eorum praecipua haec sunt: *De Trinitate* vel *in Symbolum Apostolorum Tractatus*, id est collectio locorum, qui ex multorum Patrum Operibus excerpti sunt, ad adstruendam Trinitatem, Incarnationem et Resurrectionem (exstat in Maurin. edit. Opp. s. Ambrosii T. II. Append. p. 321—344. cf. Admonit. praevia); *Commentarius in Apocalypsin*, qui est Berengaudi, et saltem ad saeculum VIII. pertinet (ibid. p. 499—590. cf. Admonit. praevia); *Concordia Matthaei et Lucae circa Genealogiam* Jesu Christi (ibid. p. 609—610. cum Admonit. praevia): *Tractatus de* 42 *mansionibus filiorum Israël*, Opus auctoris sat antiqui, quo positiones castrorum populi Israelitici in deserto mystice exponuntur (ibid. p. 1—20. cum Admonit. praevia); *Liber de vitiorum virtutumque conflictu ad Simplicianum*, qui est Ambrosii Autperti (cf. Maurin. Praefat. T. II. p. III.); Libellus *de dignitate conditionis humanae* (ibid. p. 611—12. cum Admonit. praevia); Libellus *de dignitate sacerdotali*, qui revera Gerberti (seu P. Sylvestri II.) est liber de Informatione Episcoporum (ibid. p. 357—64. cum Admonit. praevia); *Epistolae* 5 supra (p. 690) nominatae; *Sermones plurimi*, qui omnes, modo excipias supra laudatos, a cordatioribus Criticis ipsisque editoribus Maurinis s. Ambrosio abjudicantur; eorum alii ad s. Maximum Taurin., alii ad s. Augustinum, alii ad s. Caesarium Arelat. auctorem pertinent, alii ignoti sunt auctoris (vide Maurin. Admonit et Indicem ibid. p. 367—90., multospue eorum impressos p. 391—478.); *Precationes duae praeparantes ad Missam*, quae s. Ambrosii stylum minime sapiunt (ibid. p. 489—98. cum Admonit. praevia, cf. Tillemont l. c. Not. p. 64. p. 766—67.); item s. *Sebastiani Martyris Acta* (Bolland. in Actis SS. Januar. T. II. p. 265—78. et in Opp. s. Ambrosii ed. Migne T. XVII. p. 1019—58. cf. Bolland. Commentar. praev. de s. Sebast. n. 5—7 p. 257—58. Maurin. Praefat. in Opp. s. Ambrosii T. II. p. IV. et Migne Admonit. l. c.) et *Acta ss. Martyrum Cantii, Cantiani et Cantianillae* (in Actis SS. Maji T. VII. p. 427—30.). De his aliisque pluribus vid. Maurin. Opp. s. Ambrosii T. II. Praefat. item Ceillier l. c. Art. V. p. 567—74. C. Oudin T. I. col. 669—74. G. Cave Vol. I. p. 263—64. — Pleraque Opera dubia et spuria s. Ambrosii habes ap. Migne P. L. T. XVII.

§. 128.

Character et Doctrina s. Ambrosii.

S. Ambrosius, „Ecclesiae fidelis Doctor, et catholicae veritatis adversus haereticos usque ad periculum sanguinis

S. Ambrosii Character et Doctrina.

defensor acerrimus," „cujus pro catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus, non dubitat orbis praedicare Romanus,"[1]) in rebus fidei et morum tam viva voce, quam scriptis insignem Ecclesiae contulit utilitatem; unde etiam „columna Ecclesiae" audire meruit.[2]) In Operibus ejus dogmaticis, praesertim in libris de Fide, multum ingenii et acuminis elucescit; argumentum suum plene amoeneque tractat; subtilissimas objectiones dilucidissime proponit et summa cum industria atque perspicuitate refellit. Vix ullum ex veterum Patrum Operibus reperias, in quo mysterium ss. Trinitatis clarius exponatur, et difficultates theologicae circa illud ipsum mysterium melius excutiantur et illustrentur, quam in libris s. Ambrosii de Fide et de Spiritu S. — Insignem porro non solum inter caetera ss. Patrum Opera, verum etiam inter ipsos s. Ambrosii libros locum sibi vindicant ejus Tractatus de moribus et disciplina. In his quippe non minus inest jucunditatis, quam solidae pietatis; in his omnia vitae genera, praesertim Clericos, Virgines sacras et viduas, egregie ad virtutem perfectionemque christianam instituit; hi tandem abundant vigore muneris Episcopalis. ac praeclaris sententiis principiisque mirum in modum referti sunt, ut *manuductio vitae perfectae* et *schola virtutis christianae* haud immerito nuncupari queant.

In s. Scriptura exponenda triplicem attendit sensum, *litteralem, moralem* et *mysticum;*[3]) sed in hoc ultimo enu-

---

[1]) S. Augustin. contra Julian. Pelag. lib. 2. n. 32. et lib. 1. n. 10. Vid. etiam Pelagii haeresiarchae praeconia laudis in s. Ambrosium apud s. Augustin. de nupt. et concupiscent. lib. 1. n. 40.

[2]) S. Hieronym. adv. Rufin. lib. 1. n. 2. Rufini Apolog. in s. Hieronym. lib. 2. n. 23. Vid. etiam s. Hieronymi Commentar. in Ezechiel. Praefat. lib. XI. (T. V. col. 405—6).

[3]) Vid. s. Ambros. Enarrat. in Psalm. 36. n. 1—2. Exposit. in Ps. 118. Serm. I. n. 3. Lib. de Isaac et anima n. 23. Quae vero per allegoriam in s. Scriptura indicari soleant, ipse declarat ep. 33. n. 2. — Praeterea familiaris est ipsi *interpretatio thematica*, quae peculiares divinae Scripturae partes una cum earum expositionibus applicat ad alicujus particularis argumenti tractationem, ostendens totum suscepti

cleando tam copiosum, quam brevem in primo sese exhibet. Caeterum sensum mysticum in exponendo Veteri Testamento praecipue urgere solet, idque maxime, ubi factorum historia quidpiam, quod contra morum probitatem honestatemque pugnet, prae se ferre videtur. Tunc enim veritus, ne istinc vel fideles deliquendi, vel Pagani ac Manichaei Ecclesiae insultandi occasionem arripiant, apte confugit ad allegoriam.[1]) Verum alias quoque frequenter pulcherrima religionis mysteria sub litterae involucro latere admodum ingeniose demonstrat, ubi nihil contineri, nisi simplex rei aut facti narratio videbatur, ex. gr. in structura arcae Noë, in conjugio Isaac, in benedictionibus Patriarcharum. *Sensum litteralem* maxime secutus est in libris Hexaëmeron, de Paradiso, de Arca et Noë et in Expositione Evangelii secundum Lucam. *Sensus* autem *moralis*, licet omnibus ferme Operibus s. Ambrosii velut inspersus sit, in quibusdam tamen magis ex proposito explicatus reperitur, praesertim in Psalmorum Enarrationibus. — Caeterum haud raro tam in dogmaticis, quam exegeticis Scriptis libere imitatur Graecos, scilicet Origenem et Didymum, quorum tamen errores sedulo cavet, item s. Basilium M. et s. Athanasium, Philonem quoque Judaeum, virum multae eruditionis, et ipsum allegoricae interpretationis perquam studiosum; e quibus multa decerpsit ac propria sibi fecit[2]) tanta dexteritate usus, ut eo in genere

S. Ambrosii Character et Doctrina.

argumenti corpus, membra partesque singulas in propositis s. Scripturae locis velut in tabella depictas inveniri. Cf. Sixti Senensis Biblioth. sanct. lib. 3. Meth. 22. (T. I. p. 282—83).

[1]) Hinc maxime utilitas interpretationis allegoricae ea aetate vindicabatur; vid. s. Augustin. Confess. lib. 6. n. 6. et 8. et lib. 5. n. 24.

[2]) S. Hieronym. adv. Rufin. lib. 1. n. 2. ep. 112. n. 20. ep. 82. n. 7. et Praefat. in lib. Didymi de Spiritu S. a se versum. Rufini Apolog. in s. Hieronym. lib. 2. n. 23. 24. et 25. Cf. PP. Maur. Praef. in Opp. s. Ambrosii T. I. p. VII—IX. item eorundem Admonitt. in Hexaëmeron, in lib. de fuga saeculi, in lib. de Elia et jejunio, in Expositionem Lucae, et in libros de Spiritu S. item Tillemont l. c. Art. X. (p. 98.) Ceillier l. c. Art. VIII. n. 1. (p. 686—87.) C. A. Majus in Collect. Nova Veterum Script. T. I. (Romae 1831.) Prolegom. n. 4. (p. X—XI).

S. Ambrosii Character et Doctrina.

omnium facile princeps videri posset, ipsi etiam Hieronymo superior. Probationes, quas adhibet, fere semper s. Scripturae auctoritate nituntur, aut si quas etiam ex naturali ratione desumit, easdem nunquam non divino quopiam testimonio confirmat. S. Scripturam enim assidua lectione et meditatione inde ab initio muneris Episcopalis familiarem sibi reddiderat.[1])

Stylus s. Ambrosii, qui summa ingenii perspicacitate atque mira dicendi facilitate praeditus, ac diligenter in urbana forensique eloquentia exercitatus erat, grandis est, nobilis ac copiosus, verum insigni simul suavitate ac modestia temperatus, quin idcirco vi sua vehementiaque destituatur. Habet siquidem affectus suos atque aculeos, sed tanta conditos festivitate, ut nullam morosioris agrestiorisve ingenii speciem prae se ferant. Observare licet in ejusdem elocutione miram sententiarum densitatem, atque brevitatem periodi concinnam ac modulatam, sed imprimis tam felici varietate distinctam, ut nullam taedio relinquat locum. Non ingentes in animis motus excitat, sed delectat et docet, atque leni quodam et jucundo dicendi genere in cor et animum influit. Attamen ob cogitata ejus acuta, vivida et ingeniosa, ob concisam dicendi rationem, et ob frequentem allegoriarum usum hinc inde non adeo facile intelligitur.[2])

Doctrina s. Ambrosii ita in omnibus cum catholica doctrina concordat, ut ex hac sola ratione nonnulla ipsius Opera, ex. gr. libros de Mysteriis, de poenitentia, de virginitate heterodoxi quidam recentiores in dubium vocare conati fuerint. Nam ut nihil dicam de peccato originali, pro quo s. Augustinus multa illius testimonia collegit,[3]) alia etiam doctrinae catholicae capita luculenter confirmat, scilicet:

---

[1]) Vid. s. Augustin. Confess. lib. 6. n. 3. et s. Ambros ep. 2. n. 3—4.

[2]) Vid. de s. Ambrosii eloquentia et stylo s. Augustin. Confess. lib. 5. n. 23—24. contra Julian. Pelag. lib. 2. n. 11. Op. imperf. contra Julian. lib. 1. n 49. et de doctrina christ. lib. 4. n. 45—50. S. Hieronym. ep. 22. n. 22. cf. de Scriptor. eccles. c. 124. s. Prosperi Chron. ad a. Chr. 380. Cassiodor. Instit. divin. litter. c. 16. et 20. Sidonii Apollinaris lib. 4. ep. 3. Cf. Dupin. T. I. p. 509 - 510 Tillemont. l. c. Art. X. (p. 98—99.) Ceillier l. c. Art. VIII. n. 5. (p. 688).

[3]) Vid. s. Augustin. contra Julian. Pelag. lib. 1. n. 10. 11. et lib. 2. n. 4. 5. et n. 8—16.

S. Ambrosii Doctrina.

1) *De justificatione hominis* haec est ejus sententia, quam exponit tractans de baptismo: „Spiritu a Deo signati sumus. Sicut enim in Christo morimur, ut renascamur; ita etiam Spiritu signamur, ut *splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus;* quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen *in corde signamur*, ut Spiritus S. exprimat in nobis *imaginis coelestis effigiem.* Quis igitur audeat dicere discretum a Deo Patre et Christo esse Spiritum S., cum *per ipsum ad imaginem et similitudinem Dei esse* mereamur, et per ipsum fiat, ut divinae simus consortes naturae. In quo utique non carnalis successionis haereditas, sed *adoptionis gratiae spiritale commercium* est.“ „Bonus Spiritus, qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimen excludit, bonum munus infundit.“ — „Quod ait (Mich. 7, 18.): *Auferens peccata*, ad *remissionem* pertinet, quia *penitus ea tollit, ita ut non sint*, quorum memor non erit.“ De Spiritu S. lib. I. n. 79—80. et n. 71. item ep. 70. n. 23. Cf. Concil. Trident. Sess. 5. cap. 4. et 7. can. 11.

2) *De acceptae justificationis incremento* ita docet: „Quod si ille (Christus Dei Filius) secundum plenitudinem majestatis suae perfectus est, *nos autem perfecti secundum virtutis accedentis profectum*, etiam Filius diligitur a Patre secundum semper manentis plenitudinem caritatis, in nobis autem caritatem Dei *virtutis* emeretur *profectus.*“ De Fide lib. 5. n. 91. Ita quoque de Spiritu s. lib. I. n. 93. Cf. Concil. Trident. Sess. 5. cap. 10. et can. 24.

3) *Merita bonorum operum* praeclare agnoscit, dum illa verba Christi: „Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo“ (Matth. 20, 23.) huñc in modum explanat: „*Non est meum*, qui *justitiam* servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit: *quibus paratum est*, ut ostenderet, Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed *meritis*, quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait: *Quos praescivit, et praedestinavit;* non enim ante praedestinavit, quam praesciret, sed quorum

S. Ambrosii Doctrina.

merita praescivit, eorum praemia praedestinavit."[1]) De Fide lib. 5. n. 82—83. Idem expresse testatur, „*bonae operationis mercedem* esse beatitudinem vitae aeternae" (de Offic. lib. 2. n. 9.), nec non varias esse apud Patrem mansiones, „in quibus *pro ratione meritorum* unusquisque requiescet." De Offic. lib. I. n. 247. Cf. Concil. Trid. Sesr. 5. cap. 16. can. 26. 31. et 32.

4) *Vera et realis praesentia* Jesu Christi in Eucharistia, ipsa etiam *transsubstantiatio* et *adoratio* Christo in Sacramento Eucharistiae debita ab ipso diserte adstruitur: „Nos quotiescunque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium *in carnem transfigurantur*[2]) *et sanguinem*, mortem Domini annuntiamus." „Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam? Probemus (scilicet in seqq.), non hoc esse, quod natura formavit, sed quod *benedictio consecravit*, majoremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia *benedictione etiam natura ipsa mutatur*".[3]) Dein explicans verba Prophetae: „Adorate scabellum pedum ejus," haec addit: „Per scabellum terra intelligitur, per terram autem *caro*

---

[1]) Inde etiam patet, quam de praedestinatione tenuerit sententiam s. Ambrosius.

[2]) Quid proprie juxta usum loquendi veteris Ecclesiae latinae significet vox: „*transfigurare*," ipse pater latinitatis ecclesiasticae, Tertullianus, ita declarat: „Transfiguratio interemtio est pristini. Omne enim, quodcunque transfiguratur in aliud, desinit esse, quod fuerat, et incipit esse, quod non erat." Tertullian. adv. Praxeam c 27. Ac proinde *transfiguratio* olim plane idem significabat, quod hodie *transubstantiatio*.

[3]) De Fide lib. 4. n. 124. vid. totus contextus; item de Mysteriis n 50., cui loco addas n. 51—55., ubi inter alia etiam ait: „Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?" n. 52. „Humana benedictio" hoc loco indicat verba Mosis et Prophetarum, quibus aliquando ipsa etiam rerum natura mutata est; cujus rei exempla quaedam ex Veteri Testamento profert. Hisce verbis humanis itaque merito opponuntur verba incarnati Dei Filii, quibus consecratio ss. eucharistiae peragitur, seu „consecratio divina." Vid. etiam de hoc sacramento Exposit. in Ps. 118. Serm. 8. n. 48. Lib. de Incarnat. Domin. Sacram. n. 23.

Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt.“ De Spiritu S. lib. 3. n. 79. Cf. Concil. Trid. Sess. 13. cap. 1. 4. 5. can. 1. 2. 6. S. Ambrosii Doctrina.

5) De *sacramento poenitentiae, confessione peccatorum* et *potestate remittendi peccata solis sacerdotibus a Christo commissa* egregie testatur: „Quod nobis impossibile impetratu videtur, Deo donare possibile est. *Impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti, concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur.“ „Dominus par jus et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ecclesiae utrumque licet, haeresi utrumque non licet; *jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est.* Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet; haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet.“ „Cur baptizatis (ita instat Novatianis), si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est; quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? Nonne Dei nomen operatur?“ „Qui agit poenitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire et tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum.“ „Hanc culpam sacerdotes non auferunt, neque peccatum ejus, qui in dolo se offert et adhuc in studio delinquendi est.“ „Neque potest quisquam justificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus“.[1]) De Poenitentia lib. 2. n. 12. lib. I. n. 7. n. 36—37. lib. 2. n. 35. ep. 67. n. 11. lib. de Paradiso n 71. Cf. Concil. Trid. Sess. 14.

---

[1]) Hanc autem confessionem peccati non solum Deo, verum etiam sacerdoti faciendam esse ex locis allatis sponte fluit; id quod et alibi satis clare ab ipso Ambrosio indicatur, ex. gr. de Poenit. lib. 1. n. 90. lib. 2. n. 5. n. 27. et n. 66.

S. Ambrosii Doctrina.

6) *Invocationem Sanctorum* ita nobis commendat: „Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt; martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogari nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt peccata, laverunt; isti enim sunt Dei martyres, nostri praesules, speculatores vitae actuumque nostrorum. *Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere*, quia ipsi infirmitates corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.“ Lib. de Viduis n. 55. Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de Invocat. venerat. et reliquiis Sanctorum.[1])

7) *Intercessionem pro defunctis*, quae non est nisi dogma de *purgatorio* in praxin deductum, ipse ad Deum dirigit his verbis: „Da requiem perfectam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam praeparasti Sanctis tuis. Dilexi et ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu et precibus inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis est vita.“ Orat. de Obitu Theodosii n. 36. 37. Cf. Concil. Trid. Sess. 25. Decret. de Purgatorio.

Editiones.

Editiones: Omnes editiones Operum s. Ambrosii, quae editionem PP. Maurinorum praecedunt, parum correctae sunt, et ordine admodum perturbato multa etiam spuria pro genuinis venditant. Harum potiores sunt, quam ed. Auerbach Basileae 1492. III. Voll. fol. recusa ibid. 1506 cum Indice amplissimo; item ed. Erasmus Roterod. Basileae 1527. V. Tomi in duobus Voll. fol., saepius diversis locis recus. praesertim cura Sig. Gelenii Basileae 1538. et Paris. 1549. (quam edit. C. Bellarminus recenset); item ed. J. Costerius Lovan. Basileae 1555. III Voll. fol — ed. J. Gillotius Campanus Paris. 1568. III. Voll. fol. — ed. Felix de Montalto (postea nomine Sixti V. Romanus Pontifex) Romae 1580—85. V. Voll. fol. saepe dehinc recusa, praesertim Paris. 1603., quae variis accessionibus locupletata est. Tandem eruditorum omnium eximios plausus merito tulit editio PP. Maurinorum. quae accurantibus Jac. du Frische et Nic. le Nourry lucem aspexit Paris. 1686—90. II. Voll. fol. — Editio haec praestantis-

[1]) Ne nimis prolixa evadat locorum excerptorum series, testimonia alia praeclara de veneratione reliquiarum et crucis Christi indicasse sufficiat; vid. Exhortat. Virginit. c. 1. et 2. Epist. 22. fere integra, praesertim n. 12. 13. et n. 16—23. Orat. de Obitu Theodosii n. 41—51.

sima integra recusa est Venetiis 1748—51. IV. Voll. fol., et iterum Venetiis 1781—82. VIII. Tomi in 4°. — Recusa est et aucta ap. Migne P. L. T. XIV—XVII. — Nova Editio nuper prodiit Mediolani: S. Ambrosii Mediol. Episcopi Ecclesiae Patris et Doctoris Opera omnia, ad Mediolan. Codices pressius exacta curante P. A. Ballerini Metrop. Eccl. Can. VI. T. fol. min. Mediolan. 1876—1886. — Caeterum de editionibus cf. Maurin. Praef. T. I. Opp. s. Ambrosii, item Dupin T. II. p. 442. et p. 510—12. G. Cave Vol. I. p. 262. — J. A. Fabricii Biblioth. latina T. II. p. 311—15. Ceillier l. c. Art. VIII. n. 6. (p. 688—93.). Schoenemann Biblioth. hist. litter. Patrum latin. T. I. p. 368—419. Editiones Operum S. Ambrosii.

§. 129.

S. Damasus et S. Siricius, Pontifices Romani.

I. *S. Damasus*, „vir egregius et eruditus in Scripturis," post Liberii mortem ipsius „Dei judicio Romanae Ecclesiae Episcopus est constitutus (a. 366.); eum Ursinus antipapa illegitime intrusus deturbare studuit.[1]) Hinc non solum initium, sed major paene pars Episcopatus ejus turbis et machinationibus factionis Ursinianae graviter vexata fuit; eam tamen rem satis sibi molestam vir sanctus in utilitatem totius Ecclesiae convertit, dum quippe ex occasione ejus contentionis istud impetravit, ut leges olim ab Imperatoribus latae de judiciorum ecclesiasticorum tam in causis fidei et religionis, quam Clericorum, prae saecularibus auctoritate renovarentur et observationi denuo mandarentur.[2]) S. Damasus.

[1]) Anastasii liber Pontific. (ed. Duchesne T. I. p. 212.) S. Hieronymi ep. 48. n. 18. S. Ambros. ep. 17. n. 10. Theodoreti Histor. Eccles. lib. 2. c. 22. lib. 5. c. 2. Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 10. S. Hieronymi Chronic. ad a. 2. Valentiniani I. Imp. et Concil. Aquilej. (a. 381.) Epistola ad Gratianum Imp., quae est ep. 12. inter epistolas s. Damasi (ed. Coustant. et Schoenemann). Cf. Merenda Opuscula et gesta s. Damasi P. c. 1. et 2. De patria s. Damasi controvertitur. Communior sententia est, eum Hispanum fuisse, eamque sententiam propugnavit Fr. Perez. Bayerius, Damasus et Laurentius Hispanis asserti et vindicati. Dissert. histor. Romae 1756. in 4° p. 1—53. Romanum eum potius fuisse censet Duchesne l. c. Cf. Rade, Damasus, Bischof v. Rom, p. 7. Freiburg. ap. Mohr 1882.

[2]) S. Damasi ep. 6. et 7. (ed. Coustant. et Schoenemann).

S. Damasus. Verum et gravissimis Ecclesiae negotiis mox animum adjecit. Itaque primum instigante s. Athanasio exstirpandis Arianae haereseos reliquiis per superiorem Italiam vicinasque regiones operam dedit, et Synodo 93 Episcoporum Romae habita (circa annum 371.) Auxentium, Mediolanensem Episcopum, qui haeresin Arianam clanculum, sed eo periculosius fovebat, damnatum omnibus vitandum esse monuit, atque Episcopos Illyrici, illius vicinos, in sana fide confirmavit.[1]) Neque minori sollicitudine genuinam Ecclesiae catholicae fidem de Spiritu S. conservare studuit, quapropter et Concilio Nicaeno adjecit, quae ad Spiritus S. divinitatem adstruendam necessaria videbantur, et Concilium Constantinopolitanum I., quod est inter oecumenica secundum, auctoritate sua confirmavit.[2]) Non vero satis habuit, fidem de ss. Trinitate omnibus tenendam inculcare, sed et primus, cum novam Apollinarii haeresin latius serpere intellexisset, Concilio Romae (a. 377. vel 378.) congregato, cui etiam Petrus II. Alexandriae Episcopus interfuit, eam ab Ecclesia catholica alienam esse decrevit, ipsumque Apollinarium cum Timotheo ejus discipulo anathemate damnavit.[3]) Quo facto Vitalis, et ipse unus ex praecipuis Apollinarii asseclis, Antiochia Romam properavit ad Damasum, ut se ab illius haeresi purgaret, ac tum quidem verbis specie catholicis Damasum sibi conciliavit. Mox vero Pontifex, de fallacia ejus admonitus, habita Synodo (a. 378.) litteras dedit ad Paulinum, Antiochiae Episcopum, quibus confessionem fidei catholicae adjunxit, Vitali ejusque sociis

---

[1]) S. Damasi ep. 3. (edit. Rom. cur. Merenda ep. 1.) etiam ap. Mansi T. III. col. 455—60. et 443—43. Cf. P. Coustantii Monit. in hanc epist. et Merenda l. c. cap. 4. et 5.

[2]) S. Damasi ep. 5. n. 3. Photii lib. de Synodis (Mansi T. III. col. 596.) Cf. Merenda l. c. cap. 20. et 21.

[3]) S. Damasi ep. 4. (ed. Rom. ep. 2.) etiam ap. Mansi T. III. col. 460—62. Vid. Rufini Histor. Eccles. lib. 11. c. 20. Sozom. lib. 6. c 25. Libellus Synod. (Mansi T. III. col. 485. et J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. XII. p. 387.). Leontii Byzantini liber adv. fraudes Apollinarist. sub fin. (Galland. T. XII. p. 707.) Cf. P. Coustantii Monit. in hanc epist.

subscribendam, qua, confirmata fide Nicaena, omnes Apol- S. Damasus.
linarii errores jugulavit. Similiter et reliquas illius aetatis haereses multis cum Episcopis Romae congregatis anathemate perculit.[1]) Cum tamen Apollinaristae, saepius licet jam damnati, perfidiae suae virus Timotheo potissimum duce per Orientem spargere non cessarent, denuo (a. 382.) Damasus partes fidei contra istius sectae homines fortiter defendendas suscepit.[2]) Hinc quoniam solida ejus mens aggressionibus atque conflictibus haereticorum invictissime restitit nec ullum praebuit aditum, haud ineleganti paronomasia „fidei adamas" dictus est a Concilio oecumenico sexto.[3])

Rebus interim ecclesiae Constantinopolitanae per illegitimam Maximi Cynici ordinationem haud parum turbatis provide consuluit data a. 380. ad Ascholium Thessalonicensem Episcopum, familiarem suum, gravissima atque elegantissima epistola, qua non solum Cynici illius ordinationem irritam declaravit, verum etiam generatim canonum observantiam in constituendis Episcopis sedulo inculcavit.[4]) S. Petrum, Alexandrinum Episcopum ab Arianis ejectum, qui ad s. Damasum confugerat, in Sedis Apostolicae patrocinium recepit.[5]) In turbis autem ecclesiae Antiochenae Paulini partes strenue tuebatur Damasus, eumque Praesulem ad magnam Synodum Romae a. 382. coactam evocavit, quocum etiam s. Hieronymus, dissidio ecclesiae Antiochenae haud parum afflictus, Urbem petiit. Qua occasione Pontifex usus Hieronymum, cujus doctrinam ac pietatem dudum noverat atque suspexerat, apud

---

[1]) S. Damasi ep. 5. (edit. Rom. ep. 3. et 4.) etiam ap. Mansi T. III. col. 425—26. et 477—92. Cf. P. Coustantii Monit. in hanc epist. et Mansi T. III. col. 501—4.

[2]) S. Damasi ep. 14. (edit. Rom. ep. 7.) etiam ap. Mansi T. III. col. 427—28. Cf. P. Coustantii Monit. in hanc epist., ubi notat, alios hanc epistolam ad a. 383 vel 384 referre.

[3]) Concilii Constantinopolit. III. Prosphonet. ad Imp. Constantinum (Mansi T XI. col. 661—62.).

[4]) S. Damasi ep. 8. et 9. (edit. Rom. ep. 5. et 6.). Cf. P. Coustantii Monit. in utramque epist. et Merenda l. c. cap. 17.

[5]) Libellus Synodicus ap. Mansi T. III. col. 485. et in J. A. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. XII. p. 387.

S. Damasus. se retinuit, ut sibi in causis negotiisque ecclesiasticis expediendis praesto esset, ac ut Orientis et Occidentis Synodicis consultationibus suo nomine responderet. Sed maxime Hieronymi eruditione s. Damasus toto illo tempore, quo superstes fuit, usus est in sacris illustrandis Scripturis earumque enodandis difficultatibus, eumque ut negotio huic vacaret, tum viva voce, tum scriptis ad eum epistolis identidem excitavit. Obiit s. Damasus prope octogenarius sub finem anni 384.[1])

S. Damasi Scripta. S. Damasus complures *Epistolas* et varia *Carmina* posteris reliquit, quorum tamen pars longe major dudum intercidit. *Epistolae* ejus, quarum hodie nonnisi *undecim* aut *duodecim*, et aliae quidem integrae, aliae vero ex parte tantum servatae exstant, plerumque Synodicae sunt, atque causam fidei aut disciplinae ecclesiasticae spectant: duae tantum ipsius epistolae pertinent ad studium s. Scripturae (ep. 15. et 16. seu ed. Rom. et Migne ep. 8. et 9.), quibus nempe s. Hieronymum rogat, ut sibi, quid apud Hebraeos significet *Hosanna*, perspicue explicare, ac nonnullas quaestiones difficiliores de quibusdam Veteris Testamenti locis solvere velit.[2]) — Idem quoque s. Pon-

[1]) S Hieronymi ep. 123. n. 10. ep. 127. n. 7. ep. 45. n. 2. et de Scriptor. eccles. c. 103. Huc porro referri debent s. Hieronymi ep. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 35. et 36. seu Damasi ep. 10. 11. 15. 16. et 17. (in ed. Rom. ep. 8. et 9.). Cf. P. Coustantii Monit. in istas epistolas, nec non Ejusdem Monit. in s. Damasi ep. 13. item Merenda l. c. cap. 12. cap. 20. n. 6. et cap. 24.

[2]) Epistolas Synodicas s. Damasi vide supra in Vita s. Damasi. Fragmentum *ex Concilio urbis Romae sub Damaso de explanatione fidei* (ed. Rom. p. 221—22. ap. Mansi T. III. col. 462. Migne P. L. T. XIII. p. 573.), in quo agitur de septiformi spiritu, qui in Christo requiescit, atque multiformis nominum Christi dispensatio explicatur, Merenda s. Damaso vindicare conatus est in Opusc. et Gestis s. Damasi c. 21. n. 3. Praeterea aliud exstat s. Damasi nomine *decretum de Patriarchalibus sedibus ac de recipiendis et rejiciendis libris*, de quo plurimum disceptatur. Merenda l. c. n. 4., Baronius et Blanchinus defendunt illud ceu genuinum saltem quoad partem priorem (ed. Rom. p. 222. Migne l. c. p. 574); alteram vero partem de recipiendis ac rejiciendis Scripturis Gelasii P. esse, eruditi plerique existimant. Sed controversia de genuinitate totius decreti modo vehementius invaluit. (V. infra T. II. sub Gelasio I.).

tifex „elegans in versibus componendis ingenium habuit,“ multaque carmina brevia heroico metro edidit. Namque ipse „virgo et Ecclesiae virginis doctor,“ non prosa tantum, sed et versibus virginitatem commendavit; insuper summam quorumdam librorum tam Novi Testamenti, quam Veteris hexametris versibus composuit; quorum tamen omnium jacturam hodie dolemus.[1]) Exstant solummodo quadraginta circiter *Epigrammata*. inscriptiones plerumque vel epitaphia, ex. gr. in laudem Davidis, de nomine Jesu, de s. Paulo, de s. Andrea, de s. Stephano P., de s. Laurentio, de s. Agnete, de s. Agatha, de s. Hippolyto et al. Epigrammata vero ista, etsi alioquin elegantissima, haud raro in metricas leges offendunt.[2]) S. Damasi Scripta.

Editiones: *S. Damasi Opera omnia* primus collegit notisque illustravit M. Sarazanius Romae 1638. recusa Paris. 1672 in 8°. — S. Damasi P. Opuscula et Gesta ed. A. Merenda Romae 1754. fol. quae editio omnium optima censetur; plene recusa ap. Migne P. L. T. XIII. p. 109—442 et p. 1195—1218; Opuscula sine Gestis recus. in Galland. Biblioth. T. VI. p. 319—52. — *Epistolae s. Damasi* solae habentur in P. Coustantii Epistolis Romanorum Pontiff. T. I. p. 471—622. (ed. Schoenemann T. I. p. 308—405.). Vers. germ. ed. Wenzlowsky, Briefe d. Päpste B. II. Kempten 1876.

II. *S. Siricius*,[3]) Pontifex Romanus (a. 384—398.), vestigia premens decessoris sui, doctrina, pietate et reli-

[1]) S. Hieronym. de Scriptor. eccles. c. 103. item ep. 48. n. 18. ep. 22. n. 22. Cf. Merenda l. c. cap. 25. §§. 1 et II.

[2]) Cf. Merenda I. c. cap. 25. §. II. et Fr. P. Bayer. Damasus et Laurentius Hispanis asserti Romae 1755. p. 53—60. — Caeterum de s. Damaso ejusque scriptis cf. Tillemont. Mém. T. VIII. S. Damase Pape (p. 386—424. cum Notis p. 773—79.), Ceillier T. VI. Chap. XI. (ed. 2. T. V.). Schoenemann Biblioth. histor. litterar. Patrum latin. T. I. (p 333—43), item Anastasii Biblioth. Vitae Roman. Pontiff. ed. Blanchini cum Notis Variorum (T. III. p. 34—49), Fr. Pagi Breviarium Gestorum Roman. Pontiff. T. I. p. 102—112. G. Cave Vol. I. p. 230—31. J. A. Fabricii Biblioth. med. et infimae latinit. T. II. p. 4—7. Galland. T. VI. Prolegom. c. 4. Bähr, Geschichte der röm. Lit. B. 4. Courcet, de s. Damasi summi ap. Christianos pontificiis carminibus. Gratianopoli. 1869. Rade, Damasus, Bischof v. Rom. Freiburg (Mohr) 1882. Auctor hic passim minus aequus est in s. Damasum; plures vero ejus assertiones discutiuntur et emendantur in periodico: Mittheil. a. d. Bened. Ord. 1882. II. p. 170—175. — Cf. Chevalier s. v. Damase.

[3]) De hujus Pontificis sanctitate doctissimus P. Benedictus XIV.

S. Siricius. gionis zelo praeclarus *septem* reliquit *Epistolas*, in quibus non solum varios damnavit haereticos, ut Priscillianum, Bonosum et Jovinianum, cavens simul, ne haereses istae latius serperent,[1]) verum etiam disciplinam ecclesiasticam saluberrimis decretis instauravit.[2]) Decreta haec praecipue pertinent ad Episcopos et Clericos, dum quippe statuit, quales ad ejusmodi officium pervenire, quamque in officio tam sublimi conversationem tenere debeant; item ad monachos et virgines Deo devotas; ad causas denique matrimoniales, sacramentorum administrationem et justam delictorum ecclesiasticorum punitionem. Epistola celeberrima hujus Pontificis ad Himerium Tarraconensem Episcopum data a. 385. prima est ex Decretalibus Romanorum Pontificum, quae tulit aetatem.[3])

Editiones: *S. Siricii P. Epistolae et Decreta* edita sunt optime in P. Coustant. Epist. Rom. Pontiff. T. I. p. 622—711. (ed. Schoenemann T. I. p. 407—474.) cum egregiis Monitis et Notis. Alia editio non minus laudanda habetur in Galland. Biblioth. T. VII. p. 531—50. et plenissima cum Prolegomenis ap. Migne P. L. T. XIII. p. 1115—96. Vers. germ. ed. Wenzlowsky, Briefe d. Päpste B. II. Kempten 1876.

§. 130.

S. Philastrius Brixiensis et s. Zeno Veronensis.

S. Philastrius. I. *S. Philastrius*, qui ab aliis etiam *Philaster* dictus est, Brixiensis Episcopus et Confessor, „vir per omnia

in Bulla de nova Martyrologii Romani editione, eidem Martyrologio praefixa n. 49—94. fuse ac praeclare disputat, eamque contra C. Baronium luculenter probat. — Cf. Jungmann Diss. T. II. D. IX. p. 197. sqq.

[1]) S. Siricii P. ep. 3. 7. 8. et 9.

[2]) S. Siricii P. ep. 1. 4. 5. 6. et 10.

[3]) Cf. de s. Siricii vita et scriptis praeter Coustantii Monita Notasque etiam Galland. T. VII. Prolegom. c 13. Anastasii Bibl. Vitae Roman. Pontiff. ed. Blanchini T. III. p. 49—59. Tillemont. T. X. Le Pape Sirice (p. 357—367. cum Notis p. 787—94.) Ceillier T. VIII. Chap. III. Fr. Pagi Breviarium Gestorum Roman. Pontiff. T. I. p. 112—22. Schoenemann Biblioth. histor. literar. Patrum latin. T. I. p. 555—60. — Cf. Chevalier s. v. Sirice.

Apostolicus," vitae sanctitate, fidei zelo et Scriptorum memoria illustris altero saeculi IV. dimidio floruit. Is continentiam singularem exercens ac pervigil in Scripturis sanctis cum vehementi ardore animi summam in sanctis moribus lenitatem, cum altitudine scientiae insigne humilitatis studium conjunxit. Presbyteri jam dignitate ornatus s. Pauli Apostoli imitator factus universum paene ambitum Romani orbis circumiens verbum Domini praedicavit Sanctoque Spiritu plenus non solum contra Gentiles atque Judaeos, verum etiam contra haereses omnes, et maxime contra furentem eo tempore Arianam perfidiam tanto fidei vigore pugnavit, ut verbera etiam perpessus fuerit. Tum vero s. Hilarii vestigia premens et s. Ambrosio viam parans Mediolani quoque idoneus Dominici gregis custos fuit, et Auxentio Ariano repugnavit. Romae postmodum non exiguo tempore commoratus multos et publica et privata disputatione fidei lucratus est. Tandem circa a. 380 Brixiae Episcopus constitutus est, eoque munere strenue functus et gregem suum verbo salutis diligenter instituit, aliisque junctus Episcopis sedulam curam rerum ecclesiasticarum gessit. Obiit certe ante annum 397, ut plerique censent, jam c. a. 387. S. Philastrius.

Scripsit (c. a. 380) *Librum de haeresibus*, in quo uniuscujusque haereseos errores praecipuos paucis verbis aperit, plerumque tamen absque ulla refutatione. Latiori haereseos significatione usurpata non tantum sectas vel errores in populo Judaico exortos eo nomine intelligit, ac proinde haereses 28 ante adventum Domini commemorat, verum etiam post Domini adventum haereses 128 recensens in earum numerum varias quoque sententias refert, quae veritati congruae vel saltem problematicae sunt, nec ab aliis erroribus historicis et chronologicis immunis deprehenditur; nihilo tamen secius liber iste multa utilia ac notatu digna continet. Stylus ipsius humilis, hinc inde etiam obscurus atque implexus, textus autem librariorum culpa multis deformatus est mendis.[1])

[1]) Vid. de s. Philastrio s. Gaudentii (immediati illius successoris) Sermo de Vita et Obitu s. Philastrii, qui est ipsius Sermo 21. item

Editiones S. Philastrii.

Editiones: S. Philastrii liber de haeresibus ed. Basileae 1528 et 1539 in 8°; Helmestadii 1611 et 1621 in 4°; ed. cum Notis J. A. Fabricius, Hamburgi 1721 in 8°; melius adhuc ed. P. Galeardus in Card. Quirini Veterum Brixiae Episcoporum Opp. Brixiae 1738. fol. recus. cum Praefat. P. Galeardi in Migne P. L. T. XII. p. 1049—1310. Eandem quoque P. Galeardi editionem recogn. et suppl. ed. Galland. Biblioth. T. VII. p. 475 521. Ed. Oehler, Corpus haereseologium T. I. Berolini 1856.; Hurter, Opuscula Patrum T. X.

S. Zeno.

II. *S. Zeno*, octavus Veronae Episcopus et inclytus Confessor, s. Ambrosii aetatem attigit. Is ex Africa fortasse oriundus, et a teneris unguiculis in latinis auctoribus exercitatus ac praecipue Virgilium legere assuetus, post Orientis iter, cui sese ante Episcopatum commisisse recte creditur, probabiliter a. 362. ecclesiae Veronensi praefectus est. Paganos tunc temporis adhuc superstites assidue impugnans plurimos ad fidem christianam perduxit: pravos etiam mores, quos iidem ex ethnica conversatione contraxerant, aliosque abusus penitus tollere studuit; sed praesertim virginitatem summopere commendavit ac primus in Occidente monasteria sacrarum virginum instituisse videtur. Eo pariter tempore, quo haeresis Ariana in superiori Italia Fortunatianum, Episcopum Aquilejensem, corruperat, ac Mediolanensem sedem Auxentius, inveteratus Arianus, per annos ferme viginti occupavit, ipse constans atque intrepidus Arianorum impietati frequentibus concionibus ac institutionibus se objecit. Mortem ejus haud absque ratione verisimili ad a. 380. referre licet.[1])

Ejusdem Praefat. in Sermones suos et Serm. 16. S. Augustini ep. 222. n. 2. et lib. de haeres. c. 41. Gesta Aquilej. Concilii a. 381. in s. Ambrosii Opp. post Epist. 3. n. 61. et n. 76. S. Gregorii M. lib. 7. ep. 15. Cf. Galland. Biblioth. T. VII. Prolegom. c. 11. Galeardi Praefat. in lib. s. Philastr. de haeres. Tillemont T. VIII s. Philastre (p 541—45.) Ceillier T. VI. Chap. XX. (ed. 2. T. V.) J. A. Fabricii Biblioth. med. et infimae Latinit. s. v. Philastrius (T. V. p. 287—88). Schoenemann Biblioth. histor. litterar. Patrum latin. T. I. p. 536—47. — De utilitate et usu hujus libri vid. praesertim Galeardi Praefat. cit. n. 14—19.

[1]) Vid. s. Zenonis lib. I. Tract. 3. n. 1. lib. II. Tract. 33. 38. et 42. lib. I. Tract. 5. item lib. I. Tract. 1. lib. II Tract. 1—8. et Tract. 77. S. Ambros. ep. 5. n. 1. et 19. S. Gregorii M. Dialog. lib. 3. c. 19. Anonymus Pipinianus (saec. IX.) in Rhytmo de Veronae laudibus (s. Ze-

Sanctus hic Episcopus, qui inter Latinos elegantia dictionis eminet, plurimos reliquit *Tractatus*[1]) (scilicet 93 genuinos),[2]) alios longiores, alios breviores, primus inter latinos Ecclesiae Patres atque Scriptores, cujus *Sermones* prodierunt. Ipse tamen hanc collectionem haud parasse et edidisse credendus est, in qua scilicet Sermones quidam

S. Zenonis Tractatus.

---

nonis Opp. ed. Ballerin. p. CXCVIII.) Cf. Ballerin. Prolegomena Zenoniana tribus Dissertationibus comprehensa, praes. Dissert. I. c. 2. et 3. et Dissert. III. c. 1. et 2., ubi contra Baronium (in ejus Martyrologii Romani editione ad 11. Aprilis) solide ac ingeniose evincit, unum esse s. Zenonem Veronensem Episcopum, Confessorem s. Ambrosii aetate illustrem. In hanc porro sententiam abeunt G. Henschenius in Actis SS. ad diem 12. Aprilis (April. T. II. p. 69—78.) Tillemont T. IV. Persécution de l'Eglise sous l'Empereur Valentinien Art. VII. (p. 14—16. cum Nota p. 585—87.) Galland. Biblioth. T. V. Prolegom. c. 12. n. 1. et haud obscure Labbe de s. Zenone Veron. (ed. cit. p. 55—56.) Quaecunque argumenta proferri possunt, ut s. Zenonis Veron. martyrium sub Gallieno Imp. adstruatur, collegit Fr. Bonacchi duobus Opusculis, quorum prius inscribitur: *De sermonibus et martyrio s. Zenonis Episcopi Veronensis*, Pistorii, 1740; alterum vero, *Dissert. critica de epocha et martyrio s. Zenonis.* Venetiis 1751. (utrumque recus. in nova Append. edit. Augustanae Opp. s. Zenonis).

[1]) Vocis: *Tractatus*, quae antiquorum Patrum concionibus passim praefigitur, ea est ratio. Sicut „*tractare*," quod proprie est Episcoporum (s. Optat. de schismate Donatist. lib. 7. n. 6.), a. s. Cypriano primum (ep. 56. p. 91. ed. Paris.), dein ab aliis frequenter accipitur pro: concionem habere in publicis Ecclesiae coetibus, ita vox *Tractatus* pridem pro Episcopali concione ad populum solemni formula invaluit, vid. ex gr. s. Cyprian. lib. de opere et eleemosyn. (p. 241. ed. Paris.) S. Ambros. de Offic. lib. I. n. 99. et 101. item de excessu Satyri lib. 1. n. 14. S. Augustin. ep. 214. n. 2. Cf. B. Ferrarii De Ritu sacrarum Ecclesiae veteris concionum lib. I. c. 2. Veronae 1731. p. 2—14.

[2]) Praeter hosce 93 genuinos s. Zenonis Tractatus olim complures alii s. Zenonis nomine circumferebantur, quos acutior Critica dudum veris auctoribus restituit. — Sermones isti genuini in edit. Ballerin. ita in duos libros distributi sunt, ut liber I. Tractatus longiores, liber II. Tractatus breviores complectatur. Cf. de istis Tractatibus Ballerin. Praefat., item Ballerin. Dissert. I. atque Prooem. Dissert. II., tandem Praefat. in Append. — Bonacchi Lib. I. de Sermonibus s. Zenonis Veron. (loco supra cit.) et Galland. l. c. n. 2. — Alii praesertim vetustiores auctores, ut Dupin T. I. p. 313—15. et Tillemont. l. c. Not. 6. (p. 587—88.), justo iniquiorem censuram in Sermones s. Zenonis tulerunt.

S. Zenonis Tractatus.

imperfecti, alii repetiti ac mutili inveniuntur; sed quae in usum Sermonum, quos ad populum frequentissimos habuit, post mortem in schedis reliquit. ea ab aliis inventa ob insignem sancti viri existimationem, sedulo colligenda visa sunt; idque tanta factum est diligentia, ut quidquid reperiri potuit, sive perfectum, sive minus, fragmentum licet exiguum esset, vel breve exordium vel unica etiam periodus, collectione atque editione dignum fuerit judicatum.

Tractatus longiores (lib. I.) fere omnes de virtutibus et vitiis agunt; huc pertinent Tractatus de fide, spe et charitate (Tract. 1. et 2.), de justitia (Tr. 3.), de pudicitia et continentia (Tr. 4. et 5.), de patientia et humilitate (Tr. 6. et 7.), de timore Dei naturali ac supernaturali (Tr. 8.), atque de avaritia (Tr. 9. 10. et 11.); Tractatus de spiritu et corpore, quo rationem reddit pugnae perpetuae inter utramque hominis partem, et auditores, quomodo eluctari possint, instruit (Tr. 12.); porro de carnali et spirituali circumcisione agit (Tr. 13.); pulcherrimam de spirituali aedificatione domus Dei explicationem subnectit (Tr. 14.); disserit de triplici genere sacrificiorum (Tr. 15.); denique in Tractatu de Resurrectione et animae immortalitatem et corporis futuram resurrectionem hujusque modum adstruit (Tr. 16.). — In Tractatibus *brevioribus* (lib. II.) s. Zeno agit de aeterna Filii Dei generatione ejusque divinitate contra Arianos (Tr. 1—6); ac mysterium Incarnationis Jesu Christi, Filii Dei, celebrat (Tr 7—9. et 29.). Tum de Sanctis Veteris Testamenti, scilicet de Abraham, de somnio Jacob, de Juda et Job, de Susanna et Jona propheta disserit (Tr. 10—17.), atque martyrium s. Arcadii describit (Tr. 18.). Paucis dein exponit, in quo imago Dei in homine sit collocanda (Tr. 19. 20.), ac de futuro judicio disputat (Tr. 21.). Populi quoque Judaici reprobationem ac Gentilium vocationem novaeque simul Ecclesiae indolem fuse exhibet (Tr. 22—28.) Locum extremum occupant breves Invitationes ad fontem baptismalem (Tr. 30—37.), quibus Catechumenos baptizandos alloquitur, atque Tractatus septem ad Neophytos post baptisma (Tr 38—44.), nonnihil prolixiores, dehinc plures Tractatus de festo Paschatis (Tr. 45—53.), tandem Tractatus de Exodo (Tr. 54—68.) et Daniele (Tr. 69—77.), qui omnes Paschalis festi vel baptismatis imaginem ab Exodi vel Danielis lectionibus, solemni ritu inter sacra officia recitatis, egregie referunt.

Sermones hi antiquissimi praeclaram veteris disciplinae Ecclesiasticae imaginem ac insignia dogmatum prae-

cipuorum testimonia exhibent. Auctor eorundem s. Hilarium atque Lactantium aliquoties imitatus est. Stylus sublimis quandoque ac floridus, numeris certis cadens et allegoricis dictionibus lubenter indulgens, potissimum syntaxi quadam singulari praeditus est, quam nullo in alio Scriptore latino deprehendere licet. S. Zenonis Tractatus.

Nota. Inter Sermones perperam s. Zenoni adscriptos non tantum Commentarii aliquot s. Hilarii in Psalmos et quaedam Homiliae s. Basilii M., in linguam latinam conversae, olim vagabantur, verum etiam *Potamii*, Episcopi Ulyssiponensis (?), *Tractatus de Lazaro resuscitato*, et alter *de martyrio Isaiae prophetae*, quorum stylus admodum obscurus est atque implexus. Hos simul cum *epistola* ejusdem *Potamii ad s. Athanasium* in Appendicem rejecerunt Ballerinii in sua edit. Opp. s. Zenonis (eadem opuscula Potamii recusa leguntur in Galland. Biblioth. T. V. p. 96—99). Cf. Ballerin. Praefat. in Append. Opp. s. Zenonis §. III. et Galland. T. V. Prolegom. c. 10. Schoenemann Biblioth histor. literar. Patrum latin. T. I. p. 307—9. Migne P. L. T. XI. p. 527 sqq.

Editiones: Una est (praetermissis antiquioribus editionibus, quae prodierunt Venetiis 1508. Veronae 1586. et Patavii 1710.) luculenta s. Zenonis Tractatuum editio, quae inscribitur: s. Zenonis, Episcopi Veronensis, Sermones ed. fratres Ballerinii. Veronae 1739. recus. cum nova Appendice Augustae Vindelic. 1758 in 4.°; item recus. in Galland. Biblioth. T. V. p. 105—158, et ap. Migne P. L. T. XI. cum Apparatu vario scientifico (Proleg. p. 9—253, Textus p. 253—528, Appendices p. 528—760). Vers. germ. ed. Brüll, Kempten 1876. Cf. de anterioribus editionibus Opp. s. Zenonis Veron. Schoenemann Biblioth. histor. literar. Patrum latin. T. I. p. 314—28.

ADDENDA.

P. 171. — Recenter varii scriptores contenderunt, *Epistolam Barnabae* passim interpolatam esse, variasque partes adjectas. Ita J. Weiss, Der Barnabasbrief kritisch untersucht Berlin 1888. D. Volter, Der Barnabasbrief neu untersucht. Jahrbuch f. prot. Theol. 1888. I. p. 106—144. Cf. recensionem A. H. (Hilgenfeld) in Zeitschrift f. wissensch. Theologie, Jahrg. XXXII. (1889) p. 248. Opinionem hanc indicasse sufficiat; conjecturam argumentis sufficientibus non niti existimamus.

P. 182. — Pastorem a variis auctoribus compositum esse opinatur Hilgenfeld in sua editione Pastoris (a. 1881), ita ut distinguantur 1) Hermas pastoralis ut auctor primus, cui adscribit Mandat. I—XII et Simil. I—VII; 2) Hermas apocalypticus, cui attribuitur Vis. I—IV; 3) Hermas secundarius cujus sint Simil. VIII—X. — Plenam unius operis unitatem dein propugnavit Ad. Link, Die Einheit des Pastor. Marburg 1888. 8°. 47 p. — Duobus opusculis unius auctoris constare Pastorem, ita ut primum opusculum continuerit Visiones, alterum Mandata et Similitudines, statuit P. Baumgartner, Die Einheit des Hermasbriefes. Freiburg i. B. 1889. 8°. VIII. 95. — Unum esse totius operis auctorem, tenemus.

P. 234 n. 2. — Recenti tempore quidem nisus est Zahn Theophilo Commentarium in Evangelia qui exstat ut opus genuinum vindicare. Sed Harnack aliique critici ostenderunt, opus hoc esse compilationem sequioris aetatis, ita ut non ante finem saeculi V. exortum sit. Cf. Tübing. Quartalschr. 1889. p. 526. 527.

P. 259. — S. Victori R. P. adscribendum esse opusculum *De aleatoribus*, quod inter Opera supposita s. Cypriani exstat (v. p. 329), argumentis non spernendis ostendere conatus est A. Harnack. (Der pseudocyprianische Tractat de aleatoribus, die älteste christliche Schrift. Ein Werk des römischen Bischofs Victor I. Leipzig 1888.) Impugnaverunt tamen hanc sententiam plures critici graves, uti E. Wölfflin, A. Miodonski (Anonymus adversus aleatores etc. Erlangen u. Leipzig, 1889), Funk, (Histor. Jahrbuch 1889 p. 1. sqq.) Hilgenfeld (Libellum de aleatoribus inter Cypriani scripta conservatum ed. etc. Freiburg i. B. 1889.) Quaestio hucusque nondum satis eliquata esse videtur.

P. 353. — De *Actis Archelai* fusius agit Dr. K. Kessler in erudito Opere „Mani. Forschungen über die Manichäische Religion. B. I.

p. 87. sqq. Sprache und Composition der Acta Archelai." Berlin 1889 in 8°. — Sententia viri eruditi ad haec fere reduci potest. 1° Acta haec confecta sunt in Mesopotamia septemtrionali, (Edessa, Harran, Nisibis,) maxima parte initio saeculi IV. (a. 300—325). Occasio fuit periculum propagationis Manichaeismi in illas regiones. Jam aliqui Christiani in provincia illa Osrhoëna ad Manichaeismum defecerant, discussionesque de hac doctrina exortae erant. Ad eam refellendam Opus suum auctor composuit, formamque Disputationis ei dedit. — 2° Usus est hic auctor seu compilator pluribus documentis anterioribus iisque genuinis. Haec documenta praecipue fuere a) Epistola a Manichaeis emissa, (ep. ad Marcellum.). b) Expositio brevis ad instar catechesis doctrinae Manichaeorum, quam Auditor aliquis Manichaeorum postea conversus confecerat. c) Epistola cujusdam presbyteri, cujus paroecia ob Manichaeismi propagationem periclitabatur, ad virum ecclesiasticum superioris dignitatis in civitate Episcopali. d) Hujus viri epistola responsoria. Utramque hanc epistolam auctor ampliavit. — Documenta haec originalia ex ultimis decenniis saeculi III sunt. Usus est etiam compilator quibusdam disputationibus contra Manichaeos, quae jam existebant. — 3° Disputatio Archelai in ea forma qua exstat locum non habuit; sed passim in Mesopotamia disputationes tum ecclesiasticorum tum laicorum cum nuntiis emissariis (apostolis) Manichaeorum contingebant, et scenis illis quae in ficta hac Disputatione Archelai repraesentantur, apprime status rerum illius aetatis exhibetur, adeoque Acta Archelai antiquum sunt documentum quod suum pretium habet. — Quum porro auctori seu compilatori notum esset, Manetem in Babylonia meridionali quum esset junior vixisse et in illis regionibus doctrinas suas studuisse propagare, ad eas regiones Disputationem illam transfert. Cascar videlicet de qua agitur est civitas Charax (Spasimu) in Babylonia meridionali ad Tigridem inferiorem, non vero Cascarorum civitas quae postea Wasit dicta est. — 4° Lingua syriaca opusculum esse conscriptum, ex syriasmis in fragmentis graecis quae exstant, et ex versione latina certo colligitur. Interpretes autem graecus et praesertim latinus, quum linguae syriacae minus periti essent, haud raro in sua versione erraverunt, maxime dum nomina appellativa vel communia in nomina propria transmutarunt; imo et ipse compilator Syrus in Mesopotamia degens, nonnunquam documenta originalia ex alia regione oriunda ob variationem quamdam idiomatum ea aetate obvenientem non penitus intellexit. Inde obscuritas quaedam et confusio in illis Actis obvenit.

Cl. Kessler ea quae statuit plerumque sedula disquisitione colligit, opportunisque argumentis firmat. Nonnunquam tamen conjiciendo nimium progredi visus est. Huc pertinet, quod opinetur (p. 126.), Archelaum non esse personam historicam, et jam primum compilatorem Syrum ex documento syriaco male lecto appellativum (episcopus) ut nomen proprium (Archelaus) accepisse. Conjectura haec solidis argumentis non nititur. Rerum indoli magis consentaneum est supponere,

Archelaum Episcopum fuisse qui in illis regionibus ultimis decenniis saeculi III Manichaeos verbo et scriptis efficacius impugnavit, cujusque nomen sat notum erat. Vel in civitate Charax, vel apud Cascaros censerem eum vixisse. Citatur a cl. Kessler inter Manichaei Scripta etiam Epistola ad Cascaros (Sendschreiben an Kaskar S. 214), et advertitur, hanc regionem in Babylonia meridionali, celebrem fuisse dioecesim episcopalem, ibidemque Manetem videri primos conatus fecisse ad doctrinas suas propagandas.

P. 358. nota 2. — De quaestione, quis prior scripserit, Minucius an Tertullianus, bene disseruit Reck: Minucius Felix u. Tertullian. Tübing. Quartalsch. 1886. (p. 64—114). Ex accurata *Octavii* et *Apologetici* collatione et comparatione eruit priorem scripsisse Minucium, eumque videri Tertullianum prae oculis habuisse.

P. 409. — Expensis Veterum testimoniis eruditi jam censent, Apollinarium Laodicenum nonnisi versus annum 390 obiisse. Unde *Libri duo de Incarnatione contra Apollinarium* adhuc vivente Apollinario a s. Athanasio conscripti sunt.

Verlag von **Fel. Rauch** in **Innsbruck**, zu beziehen durch alle Buchhandlungen.

Costa Rossetti, Jul., S. J., **Philosophia Moralis** seu Institutiones Ethicae et Juris naturae secundum principia Philosophiae Scholasticae, praesertim S. Thomae, Suarez et De Lugo, methodo Scholastica elucubratae. Accedunt 4 tabulae de virtutibus et vitiis. Editio altera emendatior et indice alphabetico aucta. 1886. 8°. XXXI u. 912 S. 5 fl. — 10 M.

Kleutgen, J., S. J., **die Philosophie der Vorzeit.** Zweite verbesserte Auflage. 2 Bände. 1879. 8°. 1782 S. 8 fl. 90 kr. — 16 ℳ 80 ₰.

Lainez, Jacobi, pontificii theologi synodi Tridentini, praepositi generalis Societatis Jesu, **Disputationes Tridentinae**, quas ad manuscriptorum fidem edidit notisque ac commentariis instruxit H. Grisar, S. J. 2 vol. 1885. 1271 S. 6 fl. — 12 ℳ.

Lancicii, Nicolai, S. J., **Opusculum spirituale.** De piis erga Deum et Coelites affectibus, insinuatis in quaternis punctis meditationum pro singulis diebus totius anni. — Novam editionem curavit et textum recognovit Carolus Moser, presbyter Curatus in Pill. — Cum approbatione Reverendissimi et Celsissimi Episcopi Brixinensis. 1881. 8°. VIII und 499 S. 1 fl. 50 kr. — 3 ℳ.

Müllendorff, P., **J.**, S. J., **Entwürfe zu Betrachtungen nach der Methode des hl. Ignatius von Loyola, zunächst für Kleriker.** Mit Genehmigung der fürstbisch. Ordinariate von Brixen, Laibach, Seckau und Trient und Erlaubnis der Ordensobern. kl. 8°. **1. Die Bergpredigt.** 34 Betrachtungen. 1886. 238 S. 60 kr. — 1 ℳ 20 ₰. **2. Das Ziel der Gerechten.** 31 Betrachtungen. 1886. 296 S. 80 kr. — 1 ℳ 60 ₰. **3. Weihnachtsfestkreis.** 64 Betrachtungen. 1888. 460 S. 1 fl. 15 kr. — 2 ℳ 30 ₰. **4. Die Begebenheiten aus dem öffentlichen Leben Jesu.** 51 Betrachtungen. 1887. 376 S. 90 kr. — 1 ℳ 80 ₰. **5, Die Parabeln des Herrn.** 33 Betrachtungen. 1889. 312 S. 75 kr. — 1 ℳ 50 ₰.

Nilles, Prof. Dr. **Nic.**, S. J., **Kalendarium manuale** utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis accademiis clericorum accommodatum. Tom. I. und II. vergriffen. Tom. III. 1885. CXX und 1088 S. — Bildet auch ein abgeschlossenes Ganzes für sich allein. 6 fl. 50 kr. — 13 ℳ.

Noldin, H., S. J., **die Andacht zum heiligsten Herzen Jesu.** Für Priester und Candidaten des Priesterthums. Mit Erlaubnis der Obern. Dritte Auflage. 1887. 288 S. 75 kr. — 1 ℳ 30 ₰.

Schüch, P. **Ign.,** wirkl. Consistorialrath. **Handbuch der Pastoraltheologie.** Mit oberhirtl. Genehmigung. Achte Auflage. 1889. gr. 8°. 6 fl. — 10 ℳ 80 ₰.
Dasselbe in Halbchagrinband 7 fl. — 12 ℳ 80 ₰.

Stentrup, P. **F. A.,** S. J.. **Praelectiones Dogmaticae de Verbo Incarnato** quas in C. R. Universitate Oenipontana. Pars prior. **Christologia. 2 vol.** 1882. 1328 pag. 5 fl. — 10 ℳ.

— — Pars altera. **Soteriologia. 2 vol.** 1889. 1872 pag. 7 fl. — 14 ℳ.

— — **Praelectiones Dogmaticae de Deo uno.** quas in C. R. Universitate Oenipontana habuit. (Oeniponte). 1879. 8. 772 p. 3 fl. — 6 ℳ.

Zeitschrift für kathol. Theologie. Herausgegeben von Professoren der Theologie an der k. k. Universität Innsbruck. 8°. Erster und zehnter Jahrgang vergriffen. Zweiter bis sechster Jahrgang (1878—82) à 2 fl. 25 kr. — 4 ℳ 50 ₰. Siebenter bis neunter (1883—1885) und eilfter bis dreizehnter Jahrgang (1886—1889) à 3 fl. — 6 ℳ.

Verlag von
Fr. Pustet in **Regensburg New York & Cincinnati**

Jungmann, B., Ph. et S. Th. Doct. ac Profess. ord. in S. Fac. Theol. Universitat. cath. Lovaniensis, **Dissertationes selectae in historiam ecclesiam.** Complet in 7 vol. 1880/87. 8°. (I. 466 p. 4 ℳ. II. 466 p. 4 ℳ. III. 454 p. 4 ℳ. IV. 408 p. 3 ℳ 60 ₰. V. 512 p. 4 ℳ 60 ₰. VI. 492 p. 4 ℳ 30 ₰. VII. 480 p. 4 ℳ 20 ₰.) 28 ℳ 70 ₰.

— — **Institutiones Theologiae Dogmaticae specialis:**
Tractatus de Gratia. Editio V. 1882. 8°. 320 p. 3 ℳ.
Tractatus de Deo uno et trino. Editio IV. 1882. 8°. 388 p. 3 ℳ 30 ₰.
Tractatus de Deo Creatore. Editio IV. 1883. 8°. 404 p. 3 ℳ 60 ₰.
Tractatus de Novissimis. Editio III. 1885. 8°. 348 p. 3 ℳ 30 ₰.
Tractatus de Vera Religione. Editio III. 1886. 8°. 264 p. 2 ℳ 80 ₰.
Tractatus de Verbo incarnato. Editio IV. 1884. 8°. 420 p. 3 ℳ 60 ₰.

Kleutgen, P. **A. Jos.,** S. J.. **Institutiones Theologiae in usum scholarum.** — De ipso Deo. 1881. 8°. 760 p. 6 ℳ.

208.091
F425

3387

AUTHOR FESSLER, JOSEPH

TITLE Institutiones Patrologiae
Vol. I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

3387